

Spiritus Est Qui Vivificat

ARNOLDI GEULINCX

OPERA PHILOSOPHICA.

VOLUMEN PRIMUM.

EX OFFICINA FBATRUM GIUNTA D'ALBANI.

ARNOLDI GEULINCX
ANTVERPIENSIS

OPERA PHILOSOPHICA.

RECOGNOVIT J. P. N. LAND.

SUMPTIBUS PROVIDERUNT SORTIS SPINOZANAE CURATORES.

VOLUMEN PRIMUM.



HAGAE COMITUM
APUD MARTINUM NIJHOFF.
MDCCCXCI.

L. S.

Arnoldi Geulincx, utriufque Belgii decoris, nomen et placita quaedam haud ignorant qui hiftoriae philofophicae aliquam operam dederunt; fcripta vero cuncta infpicere vix ullis contigit. Nec mirum, cum illi, patria profugo et praematura morte abrepto, amici quantum fcimus non fuperfuerint praeter fenem optimum Abrahamum Heydanum [1] et juvenes alumnos, quibus inftituendis totum fe dediderat. Horum quia nemo cathedram publicam adeptus eft [2], exinde praeceptoris defuncti doctrina nonnifi extra fcholas fautores habuit, eofque ftudio magis quam ingenio vel auctoritate infignes. Juventus quidem academica, tefte Ruardo Andala [3], fama viri impulfa, ejus dictata vel excerpta fedulo defcribere pergebat, et arcana fapientiae magis reconditae in his quam in libris editis contineri fibi perfuaferat; quo factum ut typographi ea quoque, licet admodum imperfecta, deinceps, tam ut erant Latina quam in vernaculum fermonem tranflata, prelo mandare inceperint. Interea nefcio quid religioni receptae contrarii in iis inventum eft, et fenfim negligi coeperunt, quippe quae nec theologi amplius, nec Spinozae fectatores, nec phyficae novae Neutonianae praecones hominibus commendarent. Reftant nunc pauciffima fingulorum libellorum exempla, quorum corpus integrum nufquam in bibliothecis exhibetur.

---

1 De hoc nobiliffimo theologiae profeffore noviffimus fcripfit J. A. Cramer in differtatione inaugurali c. t. *Abraham Heidanus en zijn Cartefianifme* (Utrecht 1889).

2 Etenim Joannem Swartenhengft, qui ab anno 1672 difputationibus philofophicis praefidebat, poft triennium quippe novarum rerum patronum ab univerfitate noftra relegarunt.

3 In *Examine Ethicae clar. Geulingii* (Franequerae 1716), p. 24.

Attamen Germanici praefertim inveftigatores, quorum induftriam nihil etfi oblivione fere contritum latere folet, jamdudum nos edocuere, fuiffe Geulingium non merum Cartefianum philofophum, fed fuum, Spinozae, quocum nullum quidem commercium habuiffe videtur, plus uno nomine vicinum habendum. Quamobrem deinde a quibufdam ipfius popularibus diligentiffime conquifita funt quae ejus fata parum cognita et labores illuftrarent, item confirmatum eft, in quibufnam locis rariffimi illi codices hodie afferventur. Ex hifce ftudiis excreverunt utiliffimi libri virorum doctiffimorum G. Monchamp facerdotis et V. Vander Haeghen [1]. Et ego, poftquam per complures annos illius fcripta praecipua collegeram et documenta univerfitatis noftrae perquifiveram, vitae relationem quantum ejus fieri poterat abfolvi [2] et, cum jam omnia neceffaria in promptu effent, operum editionem quam accuratiffimam parare inchoavi. Animum addebant cum Metaphyficae Latinae donum, quod bibliotheca noftra publica acceptum refert viro doctiffimo I. Bywater univerfitatis Oxonienfis focio, tum exemplum fcholarum omnium quas apud nos habuit philofophus, liber nefcio cujus juffu olim nitide exaratus et nuper eidem thefauro emptionis jure additus. Denique, quia graviores erant fumptus faciendi quam quos prudentes librarii fibi fufciperent, confilium illud cui Spinozam emendatius editum debemus, et huic fimilis naturae operi providere decrevit. Itaque jam eo pervenietur ut, quid fibi propofuerit Geulincx nofter, quid nimis brevi vitae fpatio perfecerit, aequo judicio perpendere liceat.

---

1 *Hiftoire du Cartéfianifme en Belgique*, par l'abbé Georges Monchamp (Bruxelles et St. Trond, 1886). – *Geulincx*, *Étude fur fa vie*, *fa philofophie et fes ouvrages*, par Victor Vander Haeghen (Gand 1886). Hujus auctoris defcriptiones bibliographicas quamvis eximias non erat opus hìc iterum exhibere.

2 *Arnold Geulincx te Leiden* (1658—1669); Verflagen en Meded. der Kon. Akademie van Wetenfchappen, 3de Reeks, Deel III (Amst. 1886). — *Arnold Geulincx und die Gefammtausgabe feiner Werke;* Archiv f. Gefch. d. Philof. Band IV, Heft 1 (Berlin 1890). — Hujus commentationis verfio Anglica exftat in diario c. t. Mind, vol. XVI, n°. 62 (London 1891).

Dolendum profecto, quod hominis chirographa, excepto nomine ter fubfcripto quod in tabula depinxi, atque etiam epiftolae ad eum datae prorfus perierunt, et folos tenemus tres quatuorve parvos libros quos ipfe typis exprimi curavit, cetera omnia ab auditorum calamis originem trahunt. Illos ut erant defcribere fatis erat, fublatis mendis manifeftis, et punctis ita repofitis ut fermonis contextus hujus aetatis hominibus promptius pateret; haec eodem fere modo tractanda erant quo veterum auctorum verba membranis eruimus. Nonnunquam ea quae primitus ore tradita erant, repetitionibus ut fit referta, aliquantulum contrahere vifum eft, ne lectoribus taedium moverent. Ceterum curavi ne quid dictum notitia dignum omitteretur, neve doctori cui (ut ait h. vol. p. 168) res verbis potiores videbantur, Latinitas obtruderetur ab ipfius ufu aliena.

In difponenda fcriptorum ferie temporum ordinem fecutus effem fiquidem, ut apud Kantium fere aut Leibnizium, illuftranda fuiffet auctoris fententia pedetentim adulta. At materiae quae in hifce paginis exponuntur, pene omnes Lovanii paratae et intra paucos annos in lucem proditae, eandem ubique mentis conditionem referunt. Quamobrem malui, initio facto ab iis differtatiunculis quas ille diligenter recognitas animi declarandi caufa univerfae reip. literariae obtuliffe videtur, deinceps tractatus logicos dare, quas excepturi funt metaphyfici, phyfici, ethici, eodem rerum ordine qui in Oratione I (pag. 42 fq.) commendatur, additis difputationibus quas alumni Lugdunobatavi aufpice magiftro defenderunt. Agmen claudent annotationes majores ad Cartefii Principia.

Ad Orationem illam et Quaeftiones q. d. quodlibeticas verba adfcripfi quibus editio princeps a retractata diftinguitur. Annotationes hiftoricas addere nolui, utpote operis molem nimis aucturas. Tantum obiter haec moneo. Quaeftionum XXVII et XXV argumenta petita funt e libellis duobus Hollandicis,

quorum exempla ſunt in bibliotheca regia Hagana [1]. Res Georgicae in Quaeſt. XXVI narratae unde manaverint fruſtra quaeſivi [2]. Goeterus ille, cui et Quaeſt. XXVIII et appendix XXV debetur, nomen habuit Anthonis Goeteeris, ejusque diarium anno 1619 editum in bibliotheca noſtra academica praeſto eſt.

Judicia quae de Quaeſtionibus et de Logica reſtituta olim tulit J. N. Paquot [3] quam parum acuta ſint, facilius intelligetur quo quis ingenium ſeculi XVII et artis logicae rationem et hiſtoriam accuratius perceperit. Nec ſane negligendum id quod Ritterus et Kuelbius animadverterunt, doctorem academicum, rei ſcholaſticae quae tunc erat pondere impeditum, complura ſapienti lectori ſupplenda relinquere coactum fuiſſe quae, ut in fine Orationis I innuitur, ab ipſo dicta et fruſtra fuiſſent et minus tuta.

Supereſt ut menda typographica recenſeam ſero in plagulis detecta.

Pag. 8 vſ. 6 legendum: ſuo Marte — vſ. 14 *add.* [hujus ed. pag. 41] — P. 11 vſ. 4 D. 16 M. DEC. — vſ. 7 Seductores — P. 13 vſ. 23 primum, - P. 21 vſ. 1 feminae — P. 32 vſ. 18 *claramque* — in marg. vſ. 3 cementatis — P. 34 in marg. vſ. 3 Sic — P. 35 vſ. 1 *parentheſis* — P. 41 in marg. vſ. 8 magnâ ſcientiâ, — P. 58 vſ. 17 ſententiae — P. 69 vſ. 13 frequentiores — P. 70 vſ. 6 arriſiones,

---

1 Cf. Catalogus van de Pamfletten-verzameling beruſtende in de Kon. Bibl., bewerkt door Dr. W. P. C. Knuttel, n⁰. 5647 et 2325. Hujus narratiunculae verſio Anglica exſtat Oxonii in theſauro Aſhmoleano (cf. Encyclop. Britann. IXth ed. vol. XXI p. 96 a in fine). Ubi noſter d. 1 m. Maji habet, illic tamen 2 m. Junii, et apud Adamum Olearium peregrinatorem 6 m. Julii legitur.

2 Breviter ea memorat Petrus de la Valle (*Della conditione di Abbàs rè di Perſia*, in Venetia 1628, p. 91 ſq.), ubi dicit ſe jam amplius de iiſdem egiſſe in literis anno ſuperiore ad papam Urbanum VIII datis h. t. *Informatione della Georgia*, item in neſcio quo *Raconto delle regione ſottepoſte al moderno imperio di Perſia.* Vereor autem an haec viderit philoſophus noſter, imprimis ideo quod pro Catharinae nomine Keteuàn, pro Tamaras Teimuraz l. l. habetur. Minus etiam juvat A. de Gouvea (*Relation des grandes guerres et victoires obtenues par le roy de Perſe, etc.* Rouen 1647).

3 *Mémoires pour ſervir à l'hiſt. litt. des Pays-Bas, etc.* t. XIII (Louvain 1768) p. 71.

— in marg. vſ. 2 ſuaviter ſopiuntur — P. 71 vſ. 1 ſi — vſ. 2 tamen — vſ. 14 reſpondeant — P. 81 in marg. vſ. 2 Auguſtinus: — P. 83 in marg. vſ. 5 Dominicani — vſ. 6 Senenſis — P. 91 vſ. 25 et obtuſam — P. 93 vſ. 16 forenſi — P. 95 vſ. 5 luxuriet — P. 97 vſ. 13 theſaurum — P. 101 vſ. 18 *apud* — P. 102 vſ. 9 ſit — P. 103 in marg. vſ. 2 immenſam — P. 105 vſ. 13 ferme — P. 106 vſ. 6 ſi, Muſarum — vſ. 12 leges — P. 107 vſ. 28 cerdones, — P. 108 vſ. 19 ceras [*leg.* feras] — P. 111 vſ. 28 liberius — P. 115 in marg. vſ. 2 pronuntiavit — P. 126 vſ. 3 ſcite — P. 130 vſ. 18 angulo — P. 137 vſ. 7 Gubernatore — in marg. vſ. 4 incendiis — P. 139 vſ. 17 Chriſtianam — P. 155 vſ. 17 tractatûs, — P. 157 vſ. 20 exaruit — vſ. 23 *Graece* — P. 158 vſ. 7 Chriſtus — P. 191 vſ. 9 perpetuo et — P. 209 vſ. 10 *truncus, et* — P. 278 vſ. 28 falſum. C. C. B. L.

D. Lugd. Batav. m. Aprili a 1891.

J. P. N. Land.

SUMMAE RERUM AD

VITAM ARNOLDI GEULINCX

PERTINENTIUM.

Anno 1623 d. 25 m. Jan. Joannes Geulincx, civitatis Antverpienfis tabellarius literis Bruxellas portandis, uxorem ducit Mariam Strickers (alias Strickaert, Stricker, Strick, Stricx, Strix) in ecclefia B. M. Virginis.

A. 1624 d. 31 m. Jan. baptizatur filius Arnoldus in ecclefia Sti. Jacobi, fponforibus Arnoldo Strix et Gertrudi Woft.

Annis 1626, 1629, 1633, 1638 reliqui eorundem liberi Caecilia, Joannes, Aegidius, Jofephus, in ecclefia B. M. V.

[Joannes anno 1647 Jacobi Jordaens pictoris alumnus factus, anno 1658 modo in collegium S. Lucae afcitus obiit relictâ viduâ.]

Annis 1637 et 1638 duas domus comparant parentes, mox in unam conjungendas.

A. 1640 Arnoldus Lovanii in paedagogium Lilii recipitur, ubi in philofophia praeceptorem habet Guilielmum Philippi, Cartefianae doctrinae ftudiofiffimum.

[De rebus univerfitatis cf. Valerius Andreas in Faftis Academicis Studii generalis Lovanienfis, Lov. a. 1650 editis.]

A. 1643 d. 19 m. Nov. gradum licentiae in artibus adeptus inter candidatos 159 ordine fecundus, theologiae alumnis afcribitur.

A. 1646 m. Dec. petit ut admittatur ad concilium facultatis artium titulo profefforis philofophiae [fecundarii] in paedagogio Lilii; admittitur falvis falvandis praeftatque juramentum.

[Primariarum in paedagogio cathedrarum alteram tenere pergit Guil. Philippi ad a. 1650.]

A. 1649 d. 20 m. Nov. pater domum Antverpienſem Henrico fratri ejuſque uxori vendit; d. 10 m. Dec. munere civico ſolutus, cum uxore Lovanium petit apud filium profeſſorem habitaturus.

A. 1652 Arnoldus profeſſor primarius creatur; m. Sept. nominatur inter examinatores pro gradu bacalarii, et a paedagogii regente quaeſtionum q. d. quodlibeticarum praeſes deſignatur.

d. 16 m. Dec. habet *Orationem primam*, quaeſtiones illas auſpicaturus.

[Diſputatiunculas ſubſequentes ab alumnis recitandas ipſe compoſuit.]

A. 1650 primum editae QUAESTIONES QUODLIBETICAE, Antverpiae, apud viduam Joannis Cnobbari.

A. 1654 m. Aug. inter univerſitatis decanos quinto loco recenſetur A. G., theologiae licentiatus.

[Nimirum duae facultates erant juris canonici et civilis.]

A. 1657 d. 18 m. Jan. proviſus de praebenda canonicali in baſilica Aquiſgranenſi, non admittitur, quod probare non potuit legitimitatem parentum.

d. 17 m. Sept. inter tentatores licentiandorum nominatur.

A. 1658 d. 23 m. Jan. „DD. Lilienſes dixerunt eſſe certum negotium „concernens paedagogium Lilii, de quo cuperent informare facul„tatem [artium]; ſed cum hoc non conveniens ſit illud omnibus „indicare, petiverunt dari deputatos, quibus illud ipſum poſſent „communicare. Deſignati fuere D.D. Renſon, Beux, Scaille, Mar„cellis, qui tres priores abſente ultimo plene informati fuerunt de „cauſa D. Arnoldi Geulincx, quondam profeſſoris in Lilio, cur „nimirum et quare de unanimi conſenſu regentis et aliorum pro„feſſorum ejuſdem paedagogii fuerit a profeſſoratu depoſitus, viſis „etiam et lectis informationibus contra ipſum captis a Magnifico „Domino [rectore]; qui judicarunt DD. Lilienſes non tantum potuiſſe „ſed omnino debuiſſe ad dictam depoſitionem procedere."

d. 24 m. Jan. „indicta et ſervata eſt deputatio extraordinaria „in majori numero, in qua Magn. Dom. Rector legi curavit libellum „ſupplicem ſibi ex parte D. Arn. Geulincx porrectum, quo exponit „quod a concilio Brabantiae d. 15 hujus obtinuerit litteras manu„tenentiae in profeſſoratu philoſophiae quem habuit in paedagogio „Lilienſi, hic quoque lectas et Do. Damman ſucceſſori ſuo in „eodem profeſſoratu inſinuatas; quodque dictis litteris et inſinua-

„tione non obſtantibus, praefatus D. Damman ac alii uti ait „turbatores non deſiſtant, quin immo et manum in ipſum expo- „nentem injicere ſine ratione, fundamento, aut aequitatis praetextu; „quare petebat injungi dicto Damman et ſuis, ut tenori dictarum „litterarum manutenentiae ſe conforment, interdicendo interim „quibuscunque, ne quid in perſonam dicti Geulincx attentent donec „finito judicio aliud ſtatuatur. Ex deliberationibus dominorum „deputatorum concluſum eſt, quoad dictum libellum ſupplicem, „illum eſſe communicandum dicto domino Damman uti parti, ut „infra octiduum ab inſinuatione ad contenta ejuſdem deliberet. „Et quoad dictas litteras manutenentiae, praedictum Damman „eidem interim poſſe reſpondere et contra eaſdem reſcribere."

d. 11 m. Febr. in locum D. Geulincx a facultate proexaminator ſuffectus eſt.

[Anno 1630 d. 30 m. Sept. ſtatuerat Conſilium Brabantiae, nuperas Guilielmi Philippi eccleſiae Brugenſis canonici nuptias non eſſe impedituras quominus docendi munere fungi pergeret; at ſimilem indulgentiam philoſophiae profeſſoribus in poſterum recuſatum iri. Itaque ad annum 1650 ille cathedram ſine moleſtia occupavit, deinde per annos quindecim medicinam docuit. Quamobrem ſuſpicari licet, veritos eſſe collegas, ne idem illud quod praeceptori proſpere ſucceſſerat jam tentaret alumnus, quippe cui virginem matri cognatam (imo fortaſſe filiam avunculi qui Arnoldi baptiſmo ſponſor interfuerat) eodem anno 1658 nondum praeterlapſo nupſiſſe compertum ſit. Ceterum nihil vel inhoneſte vel invitis legibus facti ei ab inimicis unquam palam exprobratum eſt.]

Eodem anno 1658 d. 7 m. Maji in Album Studioſorum Academiae Lugdunobatavae honoris cauſa refertur „Arnoldus Geulincs Ant- „verpianus, 33 annorum, Philoſophiae quondam Profeſſor primarius „Lovanii," habitans in vico cui nomen de Garenmarkt, ubi ſuam gerere dicitur rem familiarem.

d. 6 m. Sept. examinandum ſe offert facultati medicae.

d. 17 m. ejuſdem habita diſputatione de Febribus Medicinae Doctor creatur.

d. 22 m. Nov. in albo civitatis ſponſali commemoratur uxorem ducturus Suſannam Strickers e pago Wiert [Weert in provincia hodierna Antverpienſi], quae et ipſa in vico modo dicto domicilium

habet. Teſtes ſunt Sebaſtianus van den Bos puellae ſororis maritus et Suſannae mater Anna Lamberts.

d. 8 m. Dec. nuptiae celebrantur.

[De tempore quo, duce ſine dubio Abrahamo Heydano, eccleſiae reformatae nomen dedit, non conſtat; attamen album illud non continet niſi eorum nomina, qui religione a ſe diſſentientibus matrimonium ſpondebant. Heydano deinde, theologiae profeſſore Carteſianae doctrinae amantiſſimo, et opibus et apud Curatores auctoritate multum valente, uſus eſt patrono liberaliſſimo et conſtantiſſimo.]

A. 1659 d. 16 m. Martii a Senatu ei permittitur ut in philoſophia collegia [privata] habeat.

d. 8 m. Aug. legitur in collegio Curatorum et Conſulum libellus, quo rogat ut ſibi liceat diſputationibus palam habendis praeſidere; id quod, auditis profeſſoribus Golio, Bornio, de Raei, d. 8 m. Nov. ad tempus ei conceditur, attamen ea lege, ut intra fines philoſophiae Ariſtotelicae permaneat, neu quidquam juris ſibi vindicet academici ſive officii ſive ſtipendii impetrandi.

A. 1660 d. 7 m. Aug. Curatores adit, ut de argumentis aliquibus philoſophicis palam et gratis dicere ſinatur. Conſultis Golio, Heereboordio [in ſola re phyſica Carteſiano], Hornio, de Raei, d. 8 m. Nov. cum hoc negatur, tum reſcinditur id quod anno ante conceſſum erat.

A. 1661 d. 6 m. Mart. decretum per pedellum noſtro ſignificatur.

d. 17 m. Junii diem ſupremum obit Adrianus Heereboord, logices, ethices et politices prof. ord.

A. 1662 d. 1 m. Aug. Curatoribus dedicatur LOGICA SUIS FUNDAMENTIS RESTITUTA, quae prodit Lugduni Batavorum apud Henricum Verbieſt.

d. 21 m. Aug. libelli auctor florenis ſeptuaginta donatur. Simul ei defertur Lectoris Logices officium, et annua 300 florenorum conſtituuntur.

d. 14 m. Oct. lectiones logicas auſpicatur habita *Oratione ſecunda.*

A. 1663 d. 11 et 12 m. Jul. habentur diſputationes phyſicae: Iſagoges partes I et II.

d. 31 m. Aug. Curatoribus dedicat METHODUM INVENIENDI ARGUMENTA, quae editur Lugd. Bat. apud Iſaacum de Wael, cujuſque ergo d. 4 m. Sept. ſexaginta floreni ei attribuuntur.

d. 20 m. Oct. diſputatio phyſica: Iſagoges pars III.

A. 1664 d. 26 m. Apr. diſp. ethica: de Virtute et primis ejus proprietatibus.

d. 10 m. Maji diſp. philoſophica, continens Reſponſionem ad objectiones.

d. 18 m. Oct. augentur annua ad 500 florenos.

d. 26 m. Nov. diſp. phyſica: Iſagoges pars IV.

d. 3 m. Dec. diſp. phyſica: Hypotheſes phyſicae.

d. 20 m. Dec. diſp. philoſophica de Conario ſenſus.

A. 1665 d. 4 m. Jan. Nicolao Staefveniſſe dedicat SATURNALIUM S. QUAESTIONUM QUODLIBETICARUM editionem ſecundam recognitam et auctam, quae prodit Lugduni Batavorum ex officina Henrici Verbieſt.

d. 27 m. Jul. dedicat Curatoribus TRACTATUM ETHICUM PRIMUM, qui proſtat Lugduni Batavorum apud Philippum de Cro-y.

d. 28 m. Aug. triginta floreni tractatûs auctori aſſignantur. Eodem die Profeſſoris Extraordinarii titulo ornatus, in Collegii Ordinum Hollandiae ſubregentis domum vacantem migrare jubetur.

d. 9 m. Nov. acceptum honorem capeſſit dicta *Oratione tertia.*

A. 1666 d. 3 m. Apr. et d. 3 m. Jul. diſputationes metaphyſicae: Iſagoges partes I et II.

m. Oct. diſputationes phyſicae duae de Reſpiratione.

A. 1667 d. 8 m. Febr. Ethices docendae veniam impetrat, auctis annuis ad florenos 700.

d. 14 m. Apr. Curatoribus dedicat tractatûs ethici primi verſionem Belgicam: *Van de Hooft-deuchden. De eerſte Tucht-verhandeling. Door Arnout Geulincx, Antwerpenaer, Profeſſor van de Philoſophie in de Univerſiteyt van Leyden. Tot Leyden, Ghedruct voor den Autheur, By Philips de Cro-Y, A°.* 1667.

A. 1668 d. 14 et 28 m. Jan., d. 29 m. Febr., d. 14 m. Mart., m. Apr., d. 5 m. Maji, d. 13 m. Jun. diſputationes ethicae de Finibus Bonorum et Malorum I—VII.

d. 23 m. Jun. diſp. logica de Dialectica.

d. .o et 24 m. Nov. diſpp. ethicae de Finibus VIII et IX.

[d. 30 m. Nov. Gothofredus Spinaeus ſubregens in Collegium Ordinum introducitur.]

d. 22 m. Dec. diſp. phyſica de Mundo.

A. 1669 m. Jan. disp. physica de Ventis I.

m. Mart. disp. metaphysica: Isagoges pars III.

d. 13 m. Apr. disp. physica de Aquarum circa terram pericyclosi.

d. 4 m. Maji disp. physica de Ventis II.

d. 1 m. Junii [Georgio Hornio, collegii oratorii publici praeside, jam anno ante mente capto] nostro mandatur a Curatoribus, ut collegia oratoria habeat et studiosorum in ea arte exercitia moderetur.

m. Junio disp. physica de incendio Aetnae.

Eodem anno nomine editionis tertiae iterum prodeunt exemplaria editionis secundae SATURNALIUM, Lugduni Batavorum ex officina Salomonis Wagenaer.

d. 8 m. Nov. ultimae professori assignantur pecuniae mercedis trimestris nomine debitae.

d. 20 m. Nov. ab Abrahamo Heydano in lectionum academicarum exordio verba faciente lugetur una cum multis aliis peste abreptus „D. Geulincx, ille quidem ingenio felix et eloquio disertus, ut „nisi paupertas, illa quidem bonae mentis mater, sed magnum, ne „emergant qui cum illa conflictantur, impedimentum, — obstitisset, „inter excellentes hujus seculi Philosophos et Oratores nomen et „decus tueri potuerit."

d. 27 m. Nov. viduae Susannae Stryckers id petenti attribuunt Curatores annuos centum florenos bis solvendos, quibus illa familiam sustentet. [Nummi tamen in rationibus accuratissime habitis non referuntur.]

A. 1670 d. 6 m. Jan. „judicavit Senatus ex dignitate Academiae „esse quod D. Rector suppeditet sumptus necessarios in funus viduae „D. Arnoldi Geulincx Professoris extraordinarii, repetendos a DD. „Curatoribus, vel ex bonis defunctae jure praelationis." [Soluti sunt, testibus Rationibus Academicis, floreni fere 64, neque unquam a Senatu recuperati. Porro nihil repertum est.]

Generis insigne quo libri titulum ornavimus repetitum est e Quaestionum editione Antverpiensi, omissis tamen striis transversis, quibus factum est ut et Paquot et (qui hunc unum viderat) Rietstap nostras uncinum non argenteum sed coeruleum significari retulerint. Similes enim illic apparent et in lunulis, atque ita quidem ut harum uni eadem lege rubrum colorem tribuere oporteret, siquidem minus perito opifici potius quam mori dudum recepto crederemus.

POST AUCTORIS MORTEM HAEC SCRIPTA EDITA SUNT:

Anno 1675 Ethica integra, Lugduni Batavorum apud Adrianum Severini. [Curavit Philaretus, i. e. Cornelius Bontekoe Alcmarienſis Med. Dr., qui m. Sept. 1665 primum in Albo Studioſorum inſcriptus, annis quoque 1674 et 1676 ibi commemoratur. Obiit Francofurti ad Viadrum d. 3 m. Jan. a. 1685.]

Methodus (ed. 2.) apud eundem, ad quam adjecit Philaretus Objectiones adverſus Ethicam una cum reſponſionibus ſuis.

A. 1683 Ethica (integra ed. 2.) Lugduni Batavorum apud Johannem de Vivié.

A. 1688 Physica vera, poſt Corn. Bontekoe Metaphyſicam, Lugd. Bat. apud Johannem de Vivié et Fredericum Haaring.

Compendium Physicae illuſtratum a Caſparo Langenhert, editionis plenioris modo memoratae ignaro, Franequerae ex officina Leonardi Strick.

(A. 1689 Logica, teſte Georgio in *Allgem. Europ. Bücher-Lexicon*, Lips. 1742, qui ipſe, aut cujus auctor, editionem anni 1698 in mente habuiſſe videtur.)

(A. 1690 *Ethicae verſio belgica*, teſte Paquot — *Mémoires* t. XIII, Louvain 1768, — h. t.: *de Zedenkonſt van A. G.*)

Annotata praecurrentia ad R. Carteſii Principia, Dordraci ex off. Theodori Goris.

A. 1691 Annotata Majora in Principia Philoſophiae Renati des Cartes, ibid. Additae ſunt Diſputationes noſtro praeſide habitae et Orationes II et III.

Ethica (integra ed. 3), Amſtelaedami apud Janſſonio-Waeſbergios.

Metaphysica vera et ad mentem peripateticam, Amſtelaedami apud Joannem Wolters.

A. 1696 Collegium Oratorium, Amſtelaedami apud Janſſonio-Waeſbergios.

Ethica (integra ed. 4), ibid. Accedit Chreia philoſophica e Coll. Orat. deſumpta; item Cornelii Bontekoe Tractatus ethico-phyſicus de Paſſionibus.

Metaphyſicae et Phyſicae verſio Belgica: Geeſt- en Wereldkunde

van Arnold Geulings, te Dordrecht by Dirk Goris 1696, interprete Antonio de Reus Gorcomienfi [qui d. 24 m. Apr. a. 1668 aetate 23 annorum inter Juris ftudiofos Lugdunobatavos nomen dederat].

Chreiae Philofophicae et Tractatus de Paffionibus, quae Ethicae in ed. 4 fubjuncta erant, *verfio Belgica, te Dordrecht, Dirk Goris.*

A. 1697 *Ethicae verfio Belgica* (editione fecunda?): *Ethica of Zedenkonft, . . . vertaalt . . . door Ant. de Reus. Te Dordrecht, By Dirk Goris.*

A. 1698 Logica, Amftelaedami apud Johannem Wolters. Exfcribitur editio anno 1662 facta, quae tamen in hac nullibi memoratur.

A. 1709 Ethica (integra ed. 5.), Amftelodami apud Janffonio-Waefbergios. Exfcribitur editio anni 1696.

CODEX MANUSCRIPTUS BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS LUGDUNOBATAVAE.

ARNOLDI GEULINCX ANTVERPIENSIS, IN ILLUSTRI ACAD. LUGD. BATT. PHILOSOPH. PROFESS. COLLEGIA.

I. Collegium in Principia Philofophiae Cartefii. Fol. 1—146.
  a. Annotationes praecurrentes. Fol. 1—60.
  b. Annotationes latiores f. refumptae. Fol. 63—146.
II. Collegium Metaphyficum. Fol. 147—220.
  a. Pars 1. Metaphyfica vera. Fol. 147—185.
  b. Pars 2. Metaphyfica Peripateticorum. Fol. 187—220.
III. Collegium Phyficum. Fol. 221—327.
  a. Phyfica ad mentem Peripateticorum. Fol. 221—241.
  b. Altera Phyfica ad mentem Peripateticorum. Fol. 242—277.
  c. Phyfica vera. Fol. 278—327.
IV. Collegium Logicum. Fol. 328—360.
  a. Paradigmata difputationum. Fol. 328—333.
  b. Ad Logicam fuam. Fol. 334—360.

CONTINENTUR HOC VOLUMINE

EPISTOLA DEDICATORIA

ET

PRAEFATIO

AD

SATURNALIUM

EDITIONEM LUGDUNOBATAVAM
PERTINENTES.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Nobili et Ampliſſimo Viro Domino D. NICOLAO STAEFVENISSE, *Civitatis Vliſſinganae Senatori et Syndico; ab Illuſtr. et Praepot. D. D. Ordinibus Zelandiae ad Comitia Ordinum Generalium Delegato.*

Nobilis et Ampliſſime Vir,

Viros Principes et Magiſtratum gerentes literis operam navare, et tetricis ac difficilibus Reipublicae negotiis otium illud honeſtum et blandum interponere, magna ſemper laus fuit; utinam hodie non tam rara foret! Nam quotusquisque jam ex iſto numero veteres illos Reipublicae Romanae proceres et heroës aemulatur? qui, quantum eis ab officiis et publico munere ſuperabat temporis, tantum in pulcherrimas doctiſſimaſque commentationes impendebant; quarum etiamnum partem aliquam (nam injuriâ temporis intercidêre potiora) magno cum fructu et voluptate terimus. Capit interim nos admiratio non mediocris, cum perpendimus, id in hac Muſarum palaeſtrâ praeſtitiſſe viros, domi militiaeque, mari atque terrâ occupatos, quod ab umbratico quocunque, ſedentario, et jugiter chartis impalleſcente literatore ſperare non auderes. Te intuens haec dico, Nobilis et Ampliſſime Vir, qui ſuccifivas et ſubſecundarias horas perire non pateris, nec a luxu vel deſidiâ mentis avocamenta petis, ſed quod otium a curâ publicâ et re familiari datur, id omne confers in haec ſtudia doctrinae. Teſtes mihi fuerunt, praeter

alia monimenta, Verſus, in quos incidi, Latine a te et venuſtiſſime compoſiti; tales fundis occaſione datâ, facilis ex temporalibus Poëta. Jam, quas tibi dotes inſevit Natura, cultum eae, ſuccum, et robur accipiunt a literis et eruditione tuâ. Incredibilis illa tua morum ſuavitas, comitas, benignitas (quas coram expertus ſum); a faſtu et faſtidio quam longiſſime remota gravitas, candor; ad haec judicii vis, acrimonia, maturitas; nulla harum virtutum in te mediocris, omnes ſunt ſummae. Tum eae quas poſtremum recenſui, hac aetate tuâ, quae annum quadrageſimum nondum attingit, magis ſpectabiles ſunt et rarae; ſed nempe hic fructus Hiſtoriae, cujus es aſſiduus et diligentiſſimus Lector; illa juvenes et viros prudentiâ cum ſenibus aequat. Itaque gratulor Patriae et Reipublicae Belgarum, etiam in hiſce fluctibus et tempeſtate gratulor, quod cum caeteris peritiſſimis naucleris te etiam gubernaculis ſuis admoverit, et jam nunc admoverit, cum Virtus et Viri requiruntur. Silentibus ventis et pacato mari vel remex ad clavum ſedeat, et innoxius ſedeat, imo teneat aliquamdiu curſum rectum. Nunc turbines imminent, inclinationes temporum, et bellorum procellae:

Nunc animis opus eſt, omni nunc arte miniſtrâ.

Hic Animus, haec Ars, gemina ſunt familiae tuae inſignia. Ex qua nuper, ut antiqua ſilentio praeteream, affulſit decus illud Patriae, Pater tuus, D. Cornelius Staefveniſſe, Illustr. et Praepot. Ordinum Zelandiae Conſiliarius et Syndicus, vir in graviſſimis Reipublicae negotiis exercitatus, et extraordinariis ad moderatores exterarum gentium, nominatim ad Reginam Sueciae, item ad Brandenburgiae Principem legationibus defunctus; jam a tribus circiter luſtris praematurâ morte, cum ageret annum aetatis quinquageſimum ſecundum, mortalibus ereptus, magno Reipublicae et bonorum omnium luctu. Cujus ut virtutum, ita et divini ſymboli haeres es; ſymbolus autem ejus erat:

Animum rege; quo velut compendio vir optimus, et in omnibus vitae partibus moderatus, omnes ſuas virtutes complexus eſt. Itaque ad exemplum ejus te componis, Animum regis; hoc tibi gentilitium eſt; et Ratione regis eum; noviſti enim, cupiditatum et affectuum lupatis aut calcaribus non regi animum, ſed frangi vel efferari. Proinde jam alterum ſymbolum accipe, quem Romanus Sapiens (id dicere volui, Vates) tibi inculcat: *Multos reges*; nam ſic inquit: *Multos reges*, *ſi Ratio te rexerit.* Hiſce tuis, et illuſtrium parentum ſuorum, veſtigiis inſiſtit etiam generoſiſſimus et ſummae ſpei adoleſcens D. Cornelius de Jonghe, Toparcha in Oſterlant, s'Heer-Janslant, etc. filius ſororis tuae, jam plus tres annos diſcipulus et convictor meus, ſuo merito mihi longe cariſſimus. Igitur applaudo clare:

Fortes creantur fortibus et bonis.

Et ſimul libellum hunc, quem primâ editione nemini inſcripſeram, hac alterâ tibi, Vir Nobilis et Ampliſſime, cui multis ille nominibus debetur, volens et lubens inſcribo, atque Libellum ipſum, toto ſuo ſucco et ſanguine, meae erga te perennis obſervantiae monimentum eſſe jubeo. Vale. Dabam Lugduni Batavor. IV. Januarii MDCLXV.

LECTOR
BENEVOLE.

En Oratiunculas aliquot, quas juvenis et pene adolescens Lovanii, ubi Philosophiae Professorem agebam, ab hinc annos tredecim lusi, dixi, edidi. Et lusi, inquam: videor enim hîc interdum Poëta, videor entheo spiritu instinctus, anhelare subinde verius quam perorare. Hoc tunc juvabat, hoc sors tunc et aetas ferebat. Legeram mihi genus aliquod dicendi arduum, abruptum, et (quod vitio mihi vertebant adversarii mei) Afrum, quod velut e Pythiâ quadam specu per intervalla detonaret, et tamen plus in sinum reconderet (quod acutos tunc et perspicaces censere memini) quam fronte mitteret. Solito me stylo et modulatione vocis abdicaveram; nec meorum, sed eorum etiam quae ab aliis hauseram, conabar oblivisci. Eos tantum modos orationis, et velut metricas leges, quas ipse mihi dixeram, tenax et animosus observabam. Itaque nihil ab aliis mutuabar, ne a me ipso quidem; quidquid depromebam, erat ex penu illâ quam mihi recens comparaveram. De aliorum judiciis non laborabam; qui si boni essent, boni consulturos, quae bono dixissem animo; sin mali, alte contemnendos mihi et despiciendos arbitrabar. Hunc ego, qui dictas Declamationes animat, spiritum et ardorem evirare nondum aut sufflaminare constitui; vivat ibi, et gliscat ibi. Castigavi tamen eum, ne me conniventem patrem, et prolibus meis justo plus indulgentem dicas; crudiora digessi, austeriora mitigavi, quae luxuriare videbantur recidi; ad extremum

etiam, nullâ aliâ causâ, ſolum pro meo jure hinc inde quaedam addidi, dempſi, mutavi; ſed totum id modice feci, aut etiam intra modum.

Niſi quod forte primum Actum hujus fabulae (Orationem, quam in auſpiciis dixi) ſtudioſe magis et accurate reconcinnavi. Et erat operae pretium. Cum enim perverſa Scholarum Dogmata (a quibus hodie tantum in Eccleſiis et Republicâ turpitudinis et turbarum) non e Philoſophiâ (a qua equidem nihil niſi beneficum et ſalutare), ſed e perverſe Philoſophantium affectibus (quos ibi Geniorum nominibus inſignivi) ſcaturire videamus; promptum jam et expeditum erit unicuique, ſive veterum, ſive recentium Philoſophemata pervolventi, permixtos cum iis errores certis et indubitatis criteriis deprehendere, et delirantes a Rationis lira ſententias ſuis quaſque Geniis, a quibus dimanant, aſſignare; atque adeo iis ipſis Geniis *Cave canem* inurere. Genii enim tres, aut potius quatuor (*Pantomimus*, *Mango*, *Dogmatiſtes*, et *Gerro*), quos noſtra illa exagitat et inſectatur Oratio, illi fere ſunt qui Equum Trojanum infarciunt, quem jam diu fatalem et inauſpicatum intra Scholam aſpeximus.

Inſuper hac ſecundâ editione Libello meo lucernam geminam accendi, Paraphraſim et Commentationem. Sed has in limine tantum habeo; nam quid opus erat faculas illas omnibus locis interponere, et ubique lychnuchos ex fornice ſuſpendere? Si recte putas, non fuiſſet hoc aliud quam oleum et operam perdere. Non prodeſt, inquam, ea res, ſed obeſt; perſtringit oculorum aciem, obtundit et confundit. Tu igitur ſume tibi, quem dixi, ardentem in veſtibulo dimyxum, ut videas ubi pedem ponas, et greſſum dirigens eâ luce, penetra jam ſecurus in adyta Libelli. Sicut enim generoſos et itineribus aptos ac aſſuetos equos tantiſper quidem fraeno ducimus, calcar etiam interdum addimus, donec viam illam, quam conficere decrevimus, inſiſtant; quam ſimul atque inſtiterunt, illi alacres et

ſponte properant, nec deflectunt, ſed inſtitutum iter, ſi non aliud juſſi fuerint, perpetuo et rectâ proſequuntur; ſic etiam prudens et cordatus Lector ſatis habet per primas aliquot Librorum paginas Annotationibus dirigi, Commentario ſenſum et mentem Auctorum edoceri; caetera quid ſibi velint, inter legendum ſuo marte conjicit et aſſequitur.

Tandem ad calcem Orationem ſubjeci, quam dixi Lugduni Batavorum a duobus plus annis, cum in illâ Academiâ publicas in Logicam Lectiones auſpicarer. Si hac Oratione perlectâ, argumentum ejus apud animum tuum mature perpendas, agnoſces poſtremam hanc Orationem primae illius Orationis eſſe ſupplementum. Gerro enim e judicio, quod primâ illâ Tragoediâ perhibetur, clanculum elapſus (ut videre potes hoc libello pag. 156), hîc accipitur et vapulat; ſed alio ſchemate, et aliter perſonatus vapulat. Nam Gerrae ejus non ut Gerrae jam, ſed ut Sentinae (et quid ſunt aliud?) Hippocrenem Philoſophicam inquinantes ſpectantur. Hae ibidem Sentinae quatuor deteguntur, *Prologus*, *Prognoſis*, *Rhapſodia*, et *Anomalia*; et ades o Hercules, o foetoris et nauſeae patientiſſimus Hercules (verus Amor Sapientiae), Augiae illud ſtabulum ut repurges.

ORATIO I

EX EDITIONE LUGDUNOBATAVA ANNI 1665, QUACUM COMPARATUR EA QUAE ANNO 1653 ANTVERPIAE PRODIIT.

ORATIO I,

DICTA IN AUSPICIO QUAESTIONUM QUODLIBETICARUM, LOVANII, D. 14 M. DEC. A. 1652, POST ANNOS DUODECIM LUGDUNI BATAVORUM RETRACTATA.

Continet actionem in Seductores Genios: Pantomimum *praecipue*, Mangonem, *et* Dogmatiſtam, *qui omnes ad* Philoſophiae *tribunal citantur, fraudis, ſeductionis, et ſtellionatûs rei aguntur.*

Quam tetris errorum fumis involuta Mentis Humanae fax eſt! quam ſpiſſis difficultatum fuſtibus ſubjicitur! Obruta, ſuffocata, (quid multa?) exſtincta; non reſtat niſi tremula, quae fungum ellychnii pererrat, ſcintilla [1]. Ludibrium quoddam ſumus, quamdiu hîc ſumus; ſcopus quidam ſumus, in quem collineant [2] innumerabiles impoſturae. Haeremus, ceſpitamus; inter ſalebras et vepres, inter confragoſa caligamus [3] ſine duce; hoc deteriore conditione, quod nihilominus, et avidi ad pergendum et creduli, unius vicem ducis, varios amplectamur ſeductores [4]. Senſûs noſtros non ſugillo; circumſcriptores illi quidem, ſed

---

1 *Ed. Pr.:* Quam denſis errorum tenebris involuta mortalium mens eſt! quam tortis difficultatum nodis irretita! immerſa carni, confuſa, ſopita et extincta propemodum eſt illa lucula. 2 Scopus, in quem collimant. 3 inter ſ. et v. caecutimus. 4 quod quandoque nimium credulis officium Ducis praebeat illuſor.

et ſinguli ſtolidi et univerſi male foederati; mutua conſilia non raro mutuos aſtûs eludunt; patent, tenentur; jam pridem iis dica ſcripta, et palam fraudis mendaciique convictis fides abrogata [1]. Sunt ſeductores alii, verſipelles quidam Genii, ad fallaciam et technas nati. Hi non in cute ſubſtitere, ſicut [2] Senſûs, ſed percolati, et medullam ſubeuntes, ad Animum penetrarunt. His utitur Animus, his, ut cariſſimis convictoribus, totum ſe credidit [3]; his non ducitur jam, ſed agitur, trahitur, raptatur; hos neceſſarios ei, hos ei dominos fecit diuturna familiaritas [4]. Tandem tamen aliquando [5] manifeſtis indiciis deprehenſi; ad igniculum Rationis, afflictum illum quidem, eluctantem tamen ex intervallo et irradiantem clarius, detecta perfidia; ad judices etiam delata nomina [6]. Acerrimos habent propugnatores. Boni duces videntur vanis quibuſdam et prurientibus ingeniis [7], quod interdum [8] ſine offenſâ ſeducant longius; ſuſpenſo gradu ductum obſecuti, praeſtolantur Eventum; at eventus ille non niſi ſcrobs aut obex; interea micant ancipiti ſpe, et ipſâ periculi trepidatione geſtiunt [9]. Quoſdam longa majorum duces hos ſequentium caterva patronos fecit. Superſtitioſum hoc genus, cui ne manifeſtus quidem Antiquitatis error ſine ſacrario eſt; *Novitatum oſores* audiunt. His accedit Philoſophorum vulgus, vecors illud coecae conſuetudinis mancipium. Hi communia, quotidiana, pervagata, quae paſſim apud populum increbuere, cujuſmodicunque illa ſint, ferunt; ea quorum inſolentes ſunt, exſibilant, explodunt,

---

1 Nec duntaxat ſenſus noſtros infamiâ illâ notaverim: impoſtores illi quidem, ſed non admodum vafri, non conſpirant ſatis, mutuas ſubinde fraudes detegunt; jam dudum ad omnia Philoſophiae tribunalia citati, de apertis mendaciis convicti, fidem apud ſapientes non habent. 2 ſiſtunt ut. 3 sed intro ad animum penitus penitusque abiere. 4 His ille se ut fideliſſimis domeſticis commiſit; his non d. ſed abripitur verius; neceſſitudinem conciliavit longa familiaritas. 5 Tandem tamen et illi. 6 ad rationis crepusculum detecta perfidia, inſuper ad judices delati. 7 curioſulis quibuſdam. 8 ſubinde. 9 ſed. longius; exſpectant eventum, qui non niſi ſcrobs aut obex, interea periculo pruriunt.

ſarcaſmis exagitant et dicteriis proſcindunt [1]. His freti patronis ſeductores, quem fraude ſibi arrogarant, etiamnum fraude gerunt et adminiſtrant Ducatum [2], et porro ſeducunt impudenter; praeeunt paſſim in Philoſophicis viretis credulum illud et ſequax ovile. Et ſicut Senſus olim, adipati cliens [3] Epicuri, ridiculam ſuos aſſeclas devolvit in foveam, dum meridiano ſole orientem occidentemque ſolem [4] majorem fateri cogit, quia majorem oculi teſtarentur [5]; ita et hi pudendis aeque, quos ducunt, imo turpioribus circumveniunt modis; niſi frontem illaqueatis perfricuiſſet publicus ille ganeo et corruptor, Mos [6]. Seductores hos hodierno die reos ago [7]. Amor-Sapientiae (partes hae tuae ſunt) ſedeto pro tribunali [8]. Aſſiſtite, quibus a praejudicatis opinionibus [9] vacuum pectus, et juſtam judicum facite decuriam. Vobis judicibus pedum iis extorquebo de manibus, intenſum ad viam indicem caeteris digitis aequabo et flectam in pugnum [10], inſidioſam dexteram uſque et usque aventem inferi axillae, religabo poſt tergum. Ducis illa inſignia, Ducis haec munia, ſoli debentur Rationi; ſoli vindicabo Rationi. Sic adverſariis, antequam jure cum iis experimur, inſultamus [11], ſic cauſae confidimus et judici. Habeant ſibi ſane ad iniqua Vanitatis [12], Superſtitionis, Inſcitiae tribunalia gratioſos patronos; at ſupremo hoc judice non ſperent niſi ferale Theta.

Prodi huc primum Pantomime, Allegoriae, Similitudinum, et Fabularum Genie [13]; judicibus te ſiſte. Quid? In gremio [14]

---

1 His accedit Philoſ. vulgus, quibus mos eſt, quia rationem non percipiunt, inaſſueta quaevis explodere, et ſicut veſtium formas aut derident aut ſuſpiciunt, prout eas recepti patriae ſuae mores vel rejecere vel admiſere, ita etiam philoſophandi rationem; lydius lapis, ad quem examinant veritatem, ſolere, vel non ſolere dici. 2 His fr. patr. impoſt. etiamnum uſurpant ſibi jus ducatus. 3 sub clientela pinguis. 4 dum ſolem orientem meridiano. 5 eo quod major videretur. 6 ita et hi in paria ſaepenumero, quin et majora quoque propellunt abſurda, niſi gravitatem lapſus extenuaret aſſuetudo. 7 His ego ſeductoribus hodiernâ die actionem intentabo. 8 Amor sap. judex eſto. 9 a praejudiciis. 10 ſublatum indicem compellam in pugnum. 11 Sic adv. inſultamus ante pugnam. 12 curioſitatis. 13 Pant. aſſimilandi genie. 14 ſinu.

Charitum educatus, inter Parnaſſi floſculos laſcivire ſolitus, amoenis Rhetorum ſpatiis inambulare [1], ludere natus eras, ſpecioſe puer; quae te veſana compulit ambitio, munia Ducis, quibus fungendis par non es [2], affectare? Viam praeire vis ad Veritatem; ſed quid ad teneros iſtos pedes inacceſſa Naturae teſqua, ſpinoſa Philoſophiae noſtrae dumeta? Genius hic, judices, cum ad omnem Metamorphoſim inclinat propendetque [3], tum inanima in animata transformandi longe cupidiſſimus eſt [4]. Ipſe lapides, ipſe ſilvas, montes, urbes, fluvios, ventos, et quaevis tandem adſciſcit [5] in humanam ſocietatem, et jubet homines nobiſcum eſſe. Queri ea ſaepe, ſaepe laetari facit, jam amore, jam miſeratione, iam odio, aliiſque impulſa cupiditatibus inducit [6]. Dum animi gratiâ, dum dicis ergo, inter Poëtas iſta ſuos comminiſcitur, remitto, concedo, aequi bonique facio [7]; dum pro feriis vendicat, malas artes! malas artes! vel me tacente [8], res ipſa clamat. Nec eſt quod ambigat de crimine; ſi inficias iverit, convincam [9]. Age. Cum olim in Gindo fluvio equus aliquis qui Cyro in deliciis [10] erat, ſubmerſus periiſſet [11], nunquid flumini necem illam aſſignaſti [12], Pantomime? nunquid credulo regi perſuaſiſti, Gindum laceſſere, et injuriis ultro laeſam majeſtatem provocare [13]? Adeo enim Cyrus facibus tuis exarſit in iras, ut continuo juſſerit Gindum [14] in centum ſexaginta rivulos, quo nobilis quondam fluvius exareſceret, diſſecari. Ha, nimis fero corde [15]! Xerxes

---

1 campis exſpatiari. 2 quibus impar es. 3 in omnem metam. pronus ſit. 4 tum vel maxime prurit, ut inanimata quaevis transformet in viventia; 5 quinimo lapides, ligna, domos, fluvios, aſciſcit omnia. 6 nobiſcum eſſe; dolorem iis interdum et questus, interdum laetitiam et riſus, metum etiam, ſpem, et iras attribuit. 7 Dum joco haec et animi gratiâ comminiſcitur, non reprehendimus; 8 dum pro ſ. vend. impoſtorem non ego, ſed. 9 Nec eſt quod de altera illa parte diſceptet; inficiari crimen iſtud non poteſt; convincam manifeſte. 10 regi C. imprimis carus. 11 eſſet. 12 nunq. fl. ſenſum affinxiſti. 13 Gindum hominem eſſe. 14 fluvium illum. 15 rivulos dividi. Lubet inſaniam irridere: o te miſerum Gindum! qui ante tam ſuperbe intra alveum tuum decurreras, pontem

etiam, immanis ille Κύκλωψ, qui maria pedibus et claſſibus montes peragravit, eodem Genio in ſimilem actus eſt furorem [1]. Nam cum Helleſpontum contabulaſſet, et Aſiae Europam ponte junxiſſet; hic vero fluctibus inſurgens, ſtolidam illam compagem excuſſiſſet, ruinaſque ejus inter undas ſuas volveret [2]; trecentos mari colaphos infringi juſſit [3], ferreas etiam compedes [4], ne qua libere vagaretur, ſed arctis intra litora ſua carceribus detineretur, injecit [5]. Muſſitat Pantomimus, nictat oculis, nutat capite, geſticulatur manibus, vacillat pedibus, totus in geſtum abivit Genius. Videtur aliquid velle innuere. Quidlibet; modo ne nobis imponat, vaſtas illas Oceani genas alapis, quas ei Xerxes incuſſit, livorem ſuum debere [6]. Sed leve ſit ſingulos aliquos homines [7] decepiſſe; quod ſubjiciam [8], populare delirium eſt, et ejuſdem illius Genii impoſturis ac inſtinctui aſcribendum eſt utique [9]. Pſyllorum gens, quae propter [10] majores Africae Syrtes ſedem habuit, crebris ab Auſtro vento damnis et cladibus accepti, nunc obtriti domorum arborumque ſtrage, nunc arenarum, velut in fluctûs quoſdam ſe efferentium, procellis hauſti et demerſi (ſiccum enim mare Syrtes exhibent, quod ventis agitatum pro fluctibus arenarum cumulos verſat) horum tandem malorum impatientes, ad arma conclamare, turmatim concurrere, in Auſtrum, quaſi in hoſtem (agilem illum, et ordines intercurrere ſubtilem) ſaxis et telis irruere. Sed ita furentes, et (quod hic vere dixeris) aërem verberantes, adverſo turbine violentior ventus occupat, et dicto citius univerſos cum omnibus copiis armiſque, collibus arenarum involvit

---

non ferebas, praeruptis etiam ripis atque aggeribus, novas ſubinde vias moliebare, decus hîc perdis; pueri te vadabunt in poſterum; vitam hîc perdis et nomen. 1 X. etiam eodem genio in ſimilem actus eſt amentiam. 2 Nam cum Helleſpontus pontem ſublicium fluctibus ſuis dejeciſſet. 3 incuti, 4 catenas. 5 quo captivum traheretur, immitti juſſit. 6 O ridiculam impotentiam! putem ego vaſtas illas pelagi maxillas etiamnum a fuſtibus iſtis livere. 7 ſingulares homines. 8 ſubdam. 9 inſtinctui debetur totum. 10 circa.

et ſepelit [1]. Silet hîc Genius noſter; ſed ſi ſtaret ad plebejum Jnſcitiae tribunal, jam cataſtrophen illam mordicus [2] rapuiſſet in ſuas partes. Senſit, inquit, qui injurias ſuas perſecutus eſt ventus, qui ultus eſt rebelles [3]. At coram hoc judice noſtro de nugis iſtis ne hiſcit quidem; pudor vetat. Quid? Idem ille Genius, Barbaros dicam? imo Romanos, viros illos, imo Graecos, cultos illos, tamquam pueros, tamquam fatuos induxit, ut Lunae laboranti (ſic enim hi loquuntur), id eſt noctem noſtram offendenti, curationem aliquam adhiberent [4]. Et quidem contra ſideris lethargum praeſens hoc remedium [5] praeſcripſit: inconditos clamores tollerent, tubas clangerent, pelves et tintinnabula colliderent, fragoribus complerent omnia [6]. Aniles intemperiae vix Chriſtianos purioribus ſacris abſtractos demiſerunt; hodie Sinas adhuc et Turcas agitant [7]. Dies me deficiat, ſi porro enarrare pergam praeſtigias, quibus Genius ille nos ludit et faſcinat, in opprobrium Humanae Mentis et ſannas. Non negat haec: palam ſunt; habet tamen jam pridem (quantum ex geſtibus et inquieto vultu conjeciſſe videor) quod loquatur. Audiamus. *Plebem* [8] *decepi; quid ad hoc forum? Philoſophos non circumveni. Et cur inſulſam illam ac turbulentam multitu-*

---

1 ſedem habuit, quod Auſtrum ventum plus nimio haberent inviſum, ut ſibi ac ſuae terrae noxium, communi edicto omnes ſumptis armis in Auſtrum quaſi in hoſtem jure belli profecti ſunt. Sed ecce rem ſtupendam! nam ita profectis ventus magno ſpiritus agmine venit obviam, et univerſos cum omnibus copiis armisque cumulis arenarum operuit et ſuffocavit. 2 jam poſtremum hoc quod dixi, dentibus et unguibus. 3 Senſit, inquit, ventus qui ultus eſt injuriam. 4 Quid? nonne idem ille genius Romanis olim et toti fere mundo perſuaſit lunae, dum eclipſin pateretur, ſubvenire? 5 panchreſtum hoc. 6 *Add.:*

. . . . attonitis quoties avellitur aſtris
Solis opaca ſoror, procul auxiliantia gentes
Aera crepant fruſtraque timent.

7 Nec duntaxat ethnicos, verum etiam Chriſtianos multos error ille habuit, ut videre eſt apud Ambroſium ſermone octogeſimo ſecundo, et hodie etiam Turcas habet, teſte Eugenio Rogerio libro ſecundo, capite decimo texto deſcriptionis Terrae Sanctae. 8 Plebem, inquit.

dinem [1] *elusisse, crimini sit? Repagulum ponimus* [2], *dum scite imponimus; fraenum* [3] *et flagellum sunt illi, quos suggerimus, instinctus* [4]; *apprehendat hos prudens rector, utatur his, et domet, et agat quo vult, debili Rationi, vanis legibus obluctantem semper et recalcitrantem feram* [5]. Nihil de istâ Politicâ dicam, qua callidos illos, qui soli Politicorum nomine censentur hodie, callide pellexit in suas partes ista vulpes; nihil, inquam, de istâ Politicâ dicam; aut potius hoc solum dicam: Probrosam esse majestatem, quae populi se tuetur erroribus, quae cives [6] suos pecudes facit, et bubulcum mavult agere quam Principem. Principem ego mihi serium totum, sincerum [7] totum, suspiciente imaginatione repraesento, et velut humani conventûs sanctissimum aliquem gravissimumque praesulem. Fugiant! fugiant Machiavelli noctuae ad illustrem hanc et pulcherrimam boni Principis notionem [8]. Nunc purgationi, Pantomime, respondebo tuae. Plebem decepisse te fateris, non Philosophos? Imo, inquam, Philosophos decepisti, non plebem. In Scholis montes tuarum fraudum; in triviis verrucae tantum. Vin' tibi Stoicos producam, qui Justitiam, Clementiam, caeterasque virtutes, animalia quaedam esse censuerunt? Vin' Pythagoras olim et Platones? Vin' nostrâ memoriâ [9] Keppleros [10] et Campanellas? Quorum alii sideribus et telluri, plantis alii, alii etiam elementis, lapidibus, et metallis sensum impertiti [11]. Quin horum aliquis calorem, frigus, lucem, tenebras, non sentire modò, sed etiam ratiocinari nobis narrat; nec imperite ratiocinari, sicut plerique nostrûm, sed accurate; haec talia Geometriam callere, Staticam exercere deprehendit [12]. Sed missos faciamus hos Pantomimi studiosos, hos Volones,

1 insulsam istam mult. 2 *add.* ferocienti belluae. 3 *add.* quoddam. 4 occulti isti instinctus. 5 prudens rector et moderetur. 6 subditos. 7 candidum ego mihi principem et serium. 8 ideam. 9 aevo nostro. 10 *In ed. utraque* Klepperos. 11 Quorum aliqui in sideribus et terra, alii etiam in omnibus elementis, lapidibus, et plantis sensum invenere. 12 quinimo quidam calorem, frigus, lucem, et (si Deo placet) tenebras sensitiva corpora et rationis non expertia, id est, homines esse pro compertissimo habent.

qui ultro eum et deditâ operâ ſequuntur; in quo, ut jam ſit in eo culpa qui circumvenit, non minor eſt in iis qui circumveniri ſe ſivere. Ad illos potius orationem convertamus, quos aliud agentes, alio ſpectantes, et invitos impulit, eluſit, induxit. Nos, nos (aperte dico) Peripatetici defecimus, nos qui Rationis Triarii ferebamur, nos, o pudor! transfugae, nos Mimo illo imperatore [1] meruimus, antequam ſcivimus. Pantomimi illa ſunt, pro quibus hactenus, tanquam pro aris et focis, contra Rationem dimicavimus. *Fugae Vacui et Impedimenta Vacui*, *Appetitiones naturales et Averſationes naturales*, *Sympathiae et Antipathiae*, *Formae ſubſtantiales et Intelligentiae, Facultates et Potentiae*, ſunt, inquam, illa omnia Pantomimi propria, mancipio et nexu, uſu et fructu. Quibus adde manubias et praedas, quas, agrum Rationis contra jus et fas depopulatus, aſportavit. Principio Pantomimus *Fugas et Impedimenta Vacui* Corporibus injunxit. Nam ſi forte vaſi pleno epiſtomium detraxerit promus condus, Vinum ſuſpicere Pantomimus jubet, et dolii ſui fornicem, num quâ pertuſus ſit rimâ, diligenter explorare. Quae ſi nulla pateat ſuperne, vae tibi Bacche, ſi effluis inferne; ſuſtine, inquam; fraenos injice ponderi tuo, non diſcede de ſtatione. Si vero vel tantilla rimula detecta ſit, eja! jam integrum eſt erumpere, et, ni cantharus adſit, qui te mature excipeat, peſſum ire potes, et in cellae pavimento, ut Liber es, libere volutari. Interea exercet Aërem jus quoddam rigidum, et (audeo dicere) iniquum; hic enim, genio ſuo indulgente Baccho, et infra per apertum ſiphunculum dilabente, genium ſuum defraudare cogitur, deſcendere, inquam, cum ſit naturâ levis, clarus, amplus, perque ſpiraculi fauces penetrare in vas, quo ſit vicarius et locum repleat, quem liquor liquerat. Quod equidem praeſtare non

---

1 Sed miſſos faciamus pinguiculos illos, qui jam a ratione ad Pantomimi caſtra transfugae novum ſub vexillis ejus ſacramentum dixerunt. Peripateticorum claſſes, quae fideliſſimas rationi se jactant, infectat etiam illa larva, inſtigat occulte, inſcios agit ſub ſua ſigna; militavimus ei et ſtipendia ejus.

valet Aër ſine corporis ſui ad oras iſtius anguſtiae, quam ſubtilis, exilis, et (pene dixeram) exenteratus perlabitur, alliſione, divulſione; itaque duram illam legem indignabundus exſequitur, et ſaepe (quod promi norunt) cum fremitu. Aſt omnes hae Corporum curae, ſtudia, tormenta, quorſum? Nimirum ne inter dolii fornicem et, auxiliis infra dilapſis, ſubſidens Vinum prodeat aliquando monſtrum illud vecors, ridiculum, nugax, ſine mente, ſine corpore, *Vacuum*, inane, nihil, quod horret jure merito Natura, ſicut Manducum

In gremio matris formidat ruſticus infans.

Ad haec Pantomimus vim quandam vitalem per omnes res pertinentem, *Appetitionem et Averſationem* induxit. Ipſo igitur inſtigante, *non-eſſe* res omnes horrent; *eſſe* ſuum velut vitam et ſalutem amant medullitus, nihil eo carius, nihil (ut verum dicam) antiquius habent; mox qualiſcunque illius vitae ſubſidia quaedam parant, et abarcent noxia, poſtremo res meliores quaerunt et de his ſibi proſpiciunt, quae ſunt ad commodum et voluptates. Sic aqua quae incaluit, igne ſublato, paulatim excutit calorem, et cudit ſibi tacitis malleis novum frigus; calor enim infeſtus Aquae id agit, ut in fumum ac vapores reſoluta diſpereat; imo, quod horrendum eſt magis, diſpareat [*ſic*], ne reſiduo quidem cadavere. Sed hîc mihi jam, Pantomime, injicitur ſcrupulus, cur Aquae frigus affectandum potius quam calorem putes. Ambo, cum modum exceſſerunt, ex aequo noxia ſunt: calor eam in vapores, frigus in glaciem vertet. At enim glacies in Aquam facile liqueſcit; et vero vapores quoque in Aquam facile coguntur; ecce par ratio. Quapropter auctor ego ſum Lymphae (quod memini prudentiores inculcare mihi ſaepius; et gratias ago),

Auream ſervet mediocritatem,

ſi modo nomen Aquae, et uſus, quos nobis praebet, lavandi, rigandi, navigandi, integros et ſalvos eſſe velit. Denique alias

Aqua in nubes coacta depluit, alias e fontibus ſcaturit in rivulos, e rivulis in fluvios, et ex his in mare, poſt multas ambages ſe devolvit; quae omnia tam ſedulo molitur Aqua, ut aucto numero firmior, et adverſus hoſtium inſidias tutius, et cum ſui ſimilibus degat ſuavius. Sic mollis ille latex, cum ſuâ ſponte infirmus, et aliorum libidine ſit infeſtus, prudenter et cate ſe tuetur. Sed avos noſtros, lapides, inquam, ſilices, marmora, genus illud durum, et adverſus hoſtium ſuorum incurſiones perpetuo cataphractum, neſcio quae tanta teneat impotentia. Tutum illis ſublime verſari; imo ſublime, quam humi, ſecurius agent; non ſitum contrahent, non obterentur plauſtris, non urentur in calcem. Verum enim vero ſurdis ea canimus: tantum abeſt ut, his adducti rationibus, ipſi ſe in altum ſubvehant, ut manibus noſtris in aërem projecti ſexcenties, ſexcenties recidant, et ne punctum quidem temporis ſubſiſtant loco tam aprico, tam ſalubri. Quin e domorum et turrium faſtigiis, quam primum ſoluti ſunt, praecipitant et devolvunt ſe in ima, libidine tam effraenatâ, ut infra ad platearum incolas fraterculos ſuos appulſi diſſiliant in partes, et integritatem ſuam miſeri, velut animulam aliquam exhalent. O interim immites cognatos illos, et vere ſaxeos! qui et hoſpitem et fratrem, in amplexus ſuos tam avide ruentem, non accipiant molliore culcitâ. At, at! E vicino Peripato contenta vox, cum iracundiâ et ſtomacho: *Inepta ſunt iſta, quae Peripateticorum ſenſis paſſim interponis epiphonemata; tute fabulas iſtas habe tibi; Peripatetici haec talia non dicunt.* Fateor, non dicunt. Sed, o quiſquis es, qui vocem illam animas, incola Peripati; populares tui gloſſas faciunt; ego interpretem ago, commentarium adfero; eſtne quod mihi jure ſuccenſeas? Illi lineamenta ducunt; ego lineamentis colores induco. Filum illi neverant, et opus erat acu. Sed, o bone vir, etiam in Circo veſtro non primos tantum actus, ſed integras etiam ſaltant fabulas (quanquam, quae laus eſt mutilare, et ſupremum actum praecidere?). *Materiam* habere ſe ad

inſtar foeminae, *formam* eſſe velut marem; eas inter ſe diligere, concupiſcere; num aliud ſapiunt? Hinc vero naſcuntur longe lateque diffuſae quaeſtiones triobolares: *An Materia Formam appetat, quam amiſit?* Dicas eos quaerere, an Materia lugeat maritum vita jam defunctum. *An Forma, qua fruitur Materia, appetitum ejus expleat?* ita ut novis nuptiis memoriam exuat veteris connubii. *An plures ſimul Formas appetat?* et omnibus ſe pervulget. *An vero nobiles prae ignobilibus ambiat?* Tum vero feſcennina illa, de *Diſpoſitionibus requiſitis in Materiâ, ut a Formâ iniri poſſit; de copulâ ſeu Unione Phyſicâ inter Materiam et Formam;* ſi quis appellet, honos praefandus ſit. Haec et caetera de genere hoc, quae longum eſt perſequi, cum Peripatetici obviis ulnis in Philoſophiam receperint, praeſtent etiam et tueantur neceſſum eſt, ſi haſce meas commentationes, et infinitas quas otioſus comminiſcar ſimiles, Philoſophicâ civitate donavero [1]. Scimus igitur (et quis id ignorat?), his [2], quae ſenſu et cognitione carent, boni nihil aut mali eſſe; ſint, non

---

1 antequam ſcivimus. Pantomimus naturarum nobis fabricavit exigentias, naturales reſultantias, eſſentiarum nobilitates et ignobilitates, ſympathias et antipathias et Intelligentias; et ſi qui ſimiles aſſeres in pontem aſininum non inconcinne quadrant, ab illo ſunt ut plurimum artifice. Perſuaſit materiam formas, et has viciſſim appetere materiam, aquam exigere frigus, lapides gravitatem deſiderare, ſponte ſuâ deorſum niti, violente ſurſum trudi ac detineri. Novimus quippe homines, dum carceribus detinentur inviti, ſi quâ parte detur exitus, erumpere protinus et effugere; et imaginem illam tranſtulimus ad lapides, quia dum ſubjecto ſibi aëri incumbunt, non ſiſtunt, ſed ingratum ſublime peroſi, provolvunt ſe in ima, tantâ ſubinde libidine, ut inferne in plateales forte fraterculos impacti diſſiliant in partes, et eſſe ſuum miſeri velut animulam aliquam exhalent. Immites ſane cognati et vere ſaxei, qui hoſpitem tantâ in eorem amplexus ruentem aviditate non excipiant molliore culcitrâ. Ineptum, inquis, poſtremum hoc, et a Peripateticis non dicitur. Fateor; ſed ſi tu allegoriam inchoas, quis mihi jure ſuccenſeat ſi diducam? Si tu lapides ſecundum appetitum ſuum labi dixeris, cur ego appetitum iſtum libidinem non vocem, et lapides confratres, et horum quoſdam inurbanos, pari tecum ratione, pari tecum licentiâ? Tu allegoriam diducis, dum operoſe quaeris, an materia appetat formas deperditas, et nobiles plus quam ignobiles, aliaque id genus. Cur mihi item iſtam meam diductionem, et infinitas quas otioſus confingam ſimiles, non liceat philoſophicâ civitate donare? 2 iis.

ſint [1], nihil penſi habent lapis, aqua, terra [2]. Sed appetitum, inquis, affingo per Metaphoram, ſimilitudine ab animantibus deſumptâ. Belle; abi igitur in patriam Pantomimi; ad Parnaſſum, inquam, te confer, et

Caſtaliâ bene potus undâ

finge ſomnia quot volueris: quid ad indaginem veritatis iſtae lyrae [3]? Verum ab hoc parumper abeamus [4]; Communes quaſdam Notiones, ceu opima ſpolia Rationi detracta, Peripati tholis appendit Pantomimus [5]; velut *Ea quae moventur, naturaliter ad quietem tendere*, quod eo ſpiritu inſtincti canebamus, qui ſuis quaeque motibus, ut nos curſu et ambulatione, defatigari ſuggeſſerat [6]. Alterum [7], *Nihil agere in ſe ipſum*, quia [8] unumquodque (ſic nos comparati ſumus [9]) amiciſſimum ſibi videbatur. Cum tamen ſciamus, homines quoſdam mortem non opperiri, ſed manu facere; cur Pantomimus nonquid ſimile tranſtulit ad Res Naturales? ſtatuitque earum aliquas furere, et velut deſperabundas necem ſibi conſciſcere [10]? Et vero, ſi memini recte, id [11] ipſum quod ridemus de igne cenſet Peripateticorum recentium [12] non nemo. Denique [13] *Ceſſante fine, ceſſare media*, quo mari ſuadere ſolebamus [14], ne premeret in fundo ſuo margaritas quaerentem [15] urinatorem. Cum enim pondus et premendi vis eo fine data ſit aquae, ut locum naturalem, ſi quando de illo deturbaretur, repeteret; locum verò

---

1 ſint an intereant. 2 nihil p. h. lapides. 3 nugae. 4 Sane ſi Peripateticorum plurimos rhetores magis et poëtas et dialecticos quam philoſophos eſſe dixero, forte non abs re dixero; adeo ſunt in verbis, in metaphoris, in allegoriis toti, extra haec paene nihil. Sed ad ulteriora propero. 5 notiones in ſcholam noſtram invex*it* ille genius; 6 quod non ex alia ſtatuitnr apprehenſione, quam quâ perſuatum habemus, ſuis quaeque motibus, ut nos curſu et ambulatione, laſſari. 7 Secundo. 8 *add.* nempe. 9 quod inter nos fit. 10 Mirum interim, cum videant homines quoſdam violentas manus ſibi intuliſſe, in eam cogitationem non eſſe dilapſos, ut pari ratione res quaſdam furioſas et velut deſperabundas ſtatuerint, quae in interitum ſuum naturaliter ſe arment. 11 ſi memini, hoc. 12 cenſet Neotericorum. 13 Tertio, 14 perſuaſum eunt. 15 ne premat ſubjectum.

illum, quae ad mare pervenit, feliciter et ex animi ſui ſententiâ conſecuta ſit aqua; non eſt quod ibi premat adhuc [1] et fatiget ſe gratis. Sic Rationis moneta illa proba recuditur, et Pantomimi ſignis deformata, deinceps non facit ad quaeſtum Veritatis [2]. Tandem [3] vero, cum etiam *Intelligentiae* nobis ſuppetias venerunt [4], hae nos in Pantomimi caſtra totos abduxerunt [5]. Quid enim aliud ſunt [6] *Intelligentiae* ſideribus aut coelis affixae, infixae, quam id ipſum, quod nos ſumus, mentes cum corpore [7]? Sed lepidum hoc [8], et Pantomimum etiam ſpirat [9], quod *Intelligentiis* illis non niſi ampla et magni momenti officia demandamus [10], quae vero non tanti ponderis negotia videntur, ea [11] *Formis ſubſtantialibus* commiſimus. Quae quidem [12] ipſae, ut eas commenti ſumus [13], non niſi *Intelligentiae* quaedam ſunt, licet illas hac nondum compellatione dignemur. Ne ſol aliquando [14] exorbitet ab *Eclipticâ*, directricem ei et viae iſtius peritiſſimam *Intelligentiam* adjunximus; Lapidi vero de ſimili comite non proſpicimus, nihil veriti, ne forte dum labitur [15], a perpendiculo [16] deliret. Hujus tamen error, errore ſolis non minus perniciofus et exitioſus eſſet [17]; non vitra feneſtrarum [18], quid dico? non capita noſtra tuta ſunt [19], ſi lapides oblivifcuntur viae ſuae [20], ſi ſurſum ruere [21],

---

1 Nam cum ad petendum locum naturalem deorſum ei nitendum fuerit, cur eo jam adepto premat ultra. 2 Quarto, *cauſam effectu nobiliorem eſſe debere;* propter quod cauſae primae toties importuni [*ſic*], ut inter colliſum chalybem et ſilicem ſcintillas diſpergat, et alibi plerumque formas ſubſtantiales ſe ſolâ producat, ad quas materia fuerat aliunde diſpoſita. 3 At. 4 dum intelligentias admiſimus. 5 in Pantom. caſtra toti conceſſimus. Quid enim rei (ne cavilleris, ne ſubterfugium quaere futili diſtinctione). 6 quid, inquam, aliud rei ſunt. 7 ſidera, dum intelligentias illis affigis, imo infingis, niſi animalia quaedam mente praedita? 8 non illepidum est, 9 et ab eodem etiam genio manat, 10 quod Intelligentias illas non niſi gravioribus negotiis deputemus, veluti coelorum motibus et marinis aeſtibus moderandis, 11 leviora vero negotia, ut nobis quidem videntur, 12 tamen. 13 prout a nobis effictae ſunt. 14 interdum. 15 cadit. 16 extra diametrum. 17 tam perniciofus quam illius. 18 nunquam feneſtrarum vitris. 19 quid dico? nunquam capitibus noſtris tutum erit. 20 oblivifci viae ſuae contingat. 21 ruant.

aut huc illuc in tranfverfum palari ftatuunt [1]. *At enim ars major in motu fiderum, induftriae plus; ea re fideribus affiftentes Intelligentae dantur* [2]. Bonam in partem accipietis, quiqui de fideribus ita muginamini [3]. Videor mihi Phoebum (fic enim fol inter polyonymos illos vocari mavult) quotidiani operis et penfi fui difficultates Phaëtonti fuo inculcantem audire [4]:

Ardua prima via eft, et qua vix mane recentes
Enituntur equi. Medio eft altiffima coelo;
Unde mare et terras ipfi mihi faepe videre
Sit timor, et pavidâ trepidet formidine pectus.
Ultima prona via eft, et eget moderamine certo;
Tunc etiam, quae me fubjectis excipit undis,
Ne ferar in praeceps, Thetis folet ipfa vereri.

Ut ovum ovo, fic fabula [5] haec ifti fimillima Philofophiae. Obfequendo confutemus infaniam, et, quod dici folet, clavum clavo pellamus [6]. Ajo ego, in lapidis defcenfu tantum [7] artis elucere, quantum elucet [8] in folis circuitu. Notafti lapidem, e quocunque faftigio demiffum, ad terram rectâ contendere, idque etiam denfiffimis tenebris, quando lynces non melius vident quam talpae? Notafti lapidem, pro morâ lapfionis, impetum et vires augere, motum accelerare juftiffimâ proportione? Notafti lapides, majorem alterum, alterum minorem, fi interjecto baculo conjuncti e feneftrâ domûs fimul folverint, praecurrere majorem, et primo fubjectam aream contingere, fequi minorem; fi vero foluti fuerint, comitari inter fe, et eodem ambos momento ad terram illidi? Notafti item lapides,

---

1 palentur. 2 Sed in folis motu, inquiunt, major cernitur induftria, plus difficultatis eft, quae affiftentem ei Intelligentiam non obfcure arguat. 3 Ignofcant; 4 non poffum hîc non reminifci illius Ovidiani Metamorphofeon fecundo, ubi Sol five Phoebus, ut ibidem audire mavult, diuturni itineris fui difficultates coram Phaëtonte fuo exaggerat. 5 poëfis. 6 *omitt.* et.. pellamus. 7 non minus, forte plus. 8 artis ac difficultatis effe quam.

majorem alterum, alterum minorem, ſi quod ad terram e turris apice ſtadium eſt decurrant, mediam prope curriculi partem aequis paſſibus metari, inde ſubito majorem antevertere, et longo minorem intervallo poſt ſe relinquere? *) Notaſti lapidem aequali pondere cum plumbo libratum in aëre, ſi ſtateram ſub aquâ demergas aſcendere, plus tamen ponderis hunc lapidem quam iſtud plumbum (quod item ad trutinam examinare potes) in fundum aquae derivare? Cedo ſolaris circuitionis praerogativas; ſi vel unam dederis, dabo victas manus [1]. Satis eſt; Amor-ſapientiae, ferendae [2] ſententiae, ſilentium poſcit. *Pantomime*, *Scholas noſtras deſerito. Commenta*, *quae intuleras*, *efferto. In patriam*, *ad Parnaſſum*, *quantocius remigrato* [3]. Habet [4]. Abitum maturat [5], et excerpit, quibus abunde libros noſtros infarſerat, paginas [6]. Quanta ſtrues jam nunc! ut, cum loquimur, acceſſione perpetuâ creſcit, ut porro creſcet [7]! Itaque

---

*) Hoc ſic effectum dabur: Sume tibi ſtateram A, et in una ejus lance pone lapidem B; in altera lance plumbum C, eâ quantitate ut fiat aequilibrium inter B et C, et ſtateram A ſic inſtructam demerge ſub aquam; fac libere pendeat in aqua, ita ut nulla pars ejus fundum aut latera tangat. Videbis lapidem A attolli in aqua; plumbum B deprimi. Exime jam ſtateram A ex aqua; et parata ſit alia ſtatera major D, in cujus una lance ſit aquae ſitula E; in altera lance aquae ſitula F; atque hae ſitula E et F ſimul cum aquis, quas continent, aequiponderent. Cape praedictum lapidem B, eumque ex fune ligatum et ſuſpenſum demerge in ſitulam E: ita manu funem tene, ut quidem lapis B in aqua ſitulae E penitus demerſus ſit, ſed nec fundum nec latera ſitulae E contingat. Sit etiam alius tecum, qui plumbum C, eodem modo ex fune ſuſpenſum, eodem modo demergat in ſitulam F. Videbis illam lancem ſtaterae D, quae continet ſitulam E, cui immergitur lapis B, deprimi; oppoſitam vero lancem ejuſdem ſtaterae D, quae continet ſitulam F, cui immergitur plumbum C, attolli. Horum nobis in promptu quidem ratio; ſed hic non promenda.

1 circuitu. Notaſti libellam filo ſuo diametrum ſignare? notaſti lapidem culmine demiſſum unde a ſaeculo deciderat, eodem quo tunc recidere, idque etiam denſiſſimis in tenebris, ubi lynx non magis videat quam talpa? notaſti pondus aliquod pro mora lapſus impetum et vires augere, motum accelerare juſtiſſimâ proportione? notaſti majorem lapidem ſi cum minore funiculo colligatus ſit, anteire et primo ſubjectam aream contingere, ſi vero ſolutus, comitari et eodem ambos momento ad terram allidi? Confer huc, ſi potes, ſolaris circumvolutionis majores praerogativas, et obmuteſcam. 2 efferendae. 3 *In Patriam remigrato.* 4 Bene habet. 5 *add.* ille. 6 quos libris noſtris inſuerat hinc inde quaterniones. 7 Ecce propemodum ſuccumbit ſarcinae;

bajulos conducat ſibi, aut agitatorem cum plauſtro; ne ſi ipſe humeris ſubeat, ſarcinae ſuae ſuccumbat tenellus [1]. Interea, cum haec parantur [2],

Prodeat in judicium MANGO, ornatus et harmoniae Genius. Adeſt ecce. Minio ei et fuco infecta facies [3]; in graciles arcus [4] accuratiſſime detonſa [5] ſupercilia; in pariles utrinque cincinnos, cunctante calamiſtro, diviſa caeſaries. Collum et brachia inter byſſum et vittas circumludunt monilia. Ex utroque humero, in alterna femora pertinentes [6], pectus et tergum decuſſant bullatae torques. Acupicta veſtis, mille maeandris in ſe revoluta, mille fimbriis praetexta [7], mille ſtriis intorta, centumcoloribus laciniis [8] digitos pedum lambit [9], et longo ſecundum calcem [10] exundat in terram ſyrmate. Geſtus ei, nutus, inceſſus, elocutiones, accentus, tuſſis, ſputum, et his quaecumque aut paria aut etiam minora [11], omnia ſunt perpetuum artificium [12], omnia affectata, ſtudio compoſita; germanum nihil. Patria hujus Geuii, plumariorum et Phrygionum tabernae. Educatus eſt in mulierum gynaeceis, inter puparum mundos, inter nundinarum crepundia, inter conchyliata aulaea [13], inter belluata tapetia [14], inter caelaminum pampinos et thyrſos, inter Corinthiorum operum crobylos et corymbos [15]; et ſi quae his ſimilia, in quibus Artis libidine penitus deflorata Natura eſt. Cum te tuamque ſupellectilem contemplor, o Mango, non poſſum quin interpellem, ecquid tibi venerit in mentem, quamobrem ad inamoenos illos et tam tui diſſimiles ſophiſtas abieris [16]? Quibus a diurnâ incubatione, ſitus; a nocturnâ lucubratione, tabes;

---

1 decidunt ei aliquot circa ſcholae veſtibulum pagellae; has colligunt avide qui ſiſtunt in limine, qui Philoſophiam ſalutant per tranſennam. 2 *omitt.* Interea .... parantur. 3 Facies ei minio tincta. 4 tenue filum. 5 lunata. 6 deciduae. 7 laciniis implicata. 8 fimbriis. 9 lambit anteriora pedum. 10 poſt calcaneum. 11 aut minora. 12 artificium omnia. 13 conchiliatas aulaeas. 14 chymaerica peripetaſmata. 15 Corinthiacas operum ſtructuras. 16 capere ſatis non poſſum, quâ tandem perſuaſus ratione ad inamoenos illos et tam tui diſſimiles Sophiſtas te contuleris.

a rimandis minutiis et [1] argutiis, conniventes oculi, diſtorti et introrſum acti; ab obſtructis hypochondriis, ſqualor, caperata frons, impexum capillitium, neglecta barba; ab oleo foeda foetidaque [2], a vetuſtate detrita, ab egeſtate pannoſa lacerna [3]. In eorum Scholis nudi parietes, diffracta vitra, araneis obducta [4] tabulata, ignotum [5] ſub pulveribus pavimentum, iiſdem oppleta ſcamna, cathedrae, pulpita, niſi qua parte natibus et cubito verruntur. Ita ſane auſteros illos incultoſque viros, fuco, bullis, et phaleris iſtis [6] perſtrinxiſti, ſaſcinaſti, ut quidquid aedibus alibi, quidquid templis et coenaculis et veſtibus ineſt mangonii, totum hoc eorum cerebro tranſcripſiſſe videare. Toti ſunt in ſmegmate, imaginariis diſtorquent omnia perfectionibus; ſi pulchri concinnive quiddam otium ſuggeſſerit aut ſomnium, id [7] Naturae rerum obtrudunt liberaliter et plenâ manu [8]. Palam vociferantur: *Mundo nihil abeſſe poteſt; hic aptus undique, perfectus, expletus eſt omnibus numeris. Quod ad ornatum et harmoniam ejus facit* [9], *niſi Senſus ad ravim uſque reclamet, extemplo concedendum eſt* [10]. Hoc in Philoſophiae fundamento reponunt; hoc velut jusjurandum, quo Mangoni ſe obſtringunt [11], non Philoſophi jam ſed Philomangones. Aliquot fraudes [12] tuas, o Mango, proferemus in medium, quibus devotum iſtum gregem deludis; omnes proſequi [13] voluminis opus erat. Tu eos tot ambientium inter ſe, et aliarum alias implicantium [14] Sphaerarum capſis incluſiſti, ut ſpes nulla ſuppetat [15] expediendi, et in communem eos, qua caeteri mortalium fruuntur, libertatem vindicandi. Nam principio [16] quidem terram et aquam, in unum globum conflatas [17], Centro dediſti; huic aërem orbi-

---

1 *omitt.* minutiis et. 2 ab oleo pinguis. 3 detrita lacerna. 4 ſubtexta. 5 incognitum. 6 viros bullis iſtis et phaleris. 7 id protinus. 8 obtrudunt ambabus manibus. 9 Palam vocif. et principii apud eos loco eſt, *quod ad ornatum et harmoniam mundi facit.* 10 *eſſe.* 11 Hocce Sacramentum quod Mangoni dicunt, 12 impoſturas. 13 recenſere. 14 tot implicantium ſe mutuo. 15 ſuperſit. 16 expediendi. Nam primo. 17 unum in globum convexas.

culatim afflas [1]; aërem incruftas igne; ignem orbe Lunari complecteris; Lunarem Mercuriali, Mercurialem Venereo, Venereum Solari, Solarem Martio, Martium Joviali, denique Jovialem orbe Saturnio coërces. Hofce Planetarum coelos magnâ impenfâ, magno Excentricorum Epicyclorumque inftrumento tueris; hofce [2], quo diffidentes inter fe gyros et attritiones [3] conftantius ferant, poliifti jam pridem [4] et folidafti. Spiffum opus et operofum [5]! Planetarum coelos majoribus gremiis complectitur Firmamentum; hoc Sphaerâ cryftallinâ [6], haec Primo Mobili continetur [7]. Et aliquot adhuc forte coelis interjectis, tandem, tandem Empyrei periftromatis clauduntur omnia. Ultra haec nihil. Sed nihil illud non nihil eft, imo vero ingens circum Palatium illud area, quam Mundorum, qualem hunc Mango finxit, myriades quotquot nunquam expleverint, *Spatium*, inquam, *imaginarium*, quaquaverfus fine fine vaftum, defolatum, ab omni corpore, fed magis mente vacuum. Euge Mango! Euge! Belle! Καλῶς! tua funt haec omnia et inventa et commenta praclara. Verum inter hafce fauftas acclamationes aliquid eft, quod frontem feriat [8]. Exleges in tellure noftrâ tuberes et colles male te habent; reconcinnare velles, fi liceret, complanare terram, eamque in perfectum globum tornare, atque adeo [9] nos omnes fuperfufis aquis demergere; nam terfa fic et limpida et politula in Mundi meditullio ftaret res [10]. O igitur, fi id liceret! Non licet; per Senfum, inquam, non licet. Olympos hic nobis et Pindos exhibet, et

Immanes fcopulos Acroceraunia.

Ergo conclamatum eft, quando invito Senfu nihil potes, o

---

1 circumflas. 2 complecteris; hunc Veneris, Mercurii, et fuperiorum Planetarum coeli fimili fequuntur ambitu cum toto excentricorum epicyclorumque apparatu; hos etiam. 3 periodos et affrictus. 4 *omitt.* jam pridem. 5 *omitt. haec* 4 *verba.* 6 dein nona sphaera. 7 dein primum mobile. 8 primum mobile, et fi quibus aliis adhuc coelis partem aliquam demere placeat de defolato illo et horribili Imaginario. Omnia belle, Mango. Video tamen quod difpliceat etiamnum. 9 complanare velles, et. 10 nam terfius ita effet et limpidius.

Mango. Sed hem! Senſui intercedunt Theologi quidam, caperatâ fronte, male feriati; nam magnâ curâ magnas nugas tuentur. Hi terram olim (non ita multo poſt *Diem judicii*) abraſo montium rupiumque ſcabro, reformandam in globum concinniſſimum; poſt haec, aequali circumquaque profundo involvendam praeſcribunt. Proinde, Mango, exſpecta cum patientiâ, et hoc tantiſper utere ſolatio. Sed ab hoc parumper abeamus; *Entium* etiam Rempublicam quamdam commentus eſt Mango, quam dignitatum et officiorum inſigniis eleganter diſtinxit. Nam inter *Entia*, *Subſtantiae* praeſtant *Accidentibus*. Inter *Subſtantias*, *Spirituales* nobiliores ſunt *Corporeis*. Inter has, quae *eſſentialiter incompletae ſunt*, velut *Materia prima* et *Forma Subſtantialis*, ultimo cenſentur loco. Quarum illa vix in aliquem numerum venit; tota deſes, nihil agit, omnia patitur, parvo intervallo diſtat a muto illo et penitus penitusque mortuo *Non ente*. Inter *Subſtantias corporeas completas* patricii ſunt Coeli eorumque Stellae, tum etiam Ignis; Aër nobilium ultimus, citimus plebi; plebs ipſa, Aqua, Terra, et hi Terrae filii, ſilices, argillae, rudera, quiſquiliae. Non enim omnes gigantum fraterculi plebeji ſunt in hac Republicâ. Quidam, quando admodum opulenti ſunt, jus ſibi et inſignia Nobilitatis coëmerunt, ut Aurum, Argentum, Gemmae: quorum ideo, in ſanandis et exſpoliandis aegris, virtutes et poteſtates mirae notae ſunt Archiatris et Pharmacopoeis. Omnibus ſic inter ſe communiter conſtitutis et quadratis, Genius noſter mangonizatum vadit ſingula; et Coeli quidem *Phyſice ſimplices*, id eſt, *Materiae primae* et *Formae ſubſtantialis* expertes ponuntur. Spectat enim ad Mundi ornatum et complementum, ut corpus tale aliquod complexu ſuo teneat; mutila videri poſſet, ſi hoc *Gradu entis* deſtitueretur Rerum Univerſitas. Ex ſimili delirio corpora coeleſtia non generantur, non corrumpuntur, non creſcunt, non decreſcunt, non gravia ſunt, non levia. Poſt haec, poteſtatibus miris donantur ſidera, *influentiis* et *qualitatibus* a nomine *occultis*, a re tam notis quam

quae vulgo notiſſimae putantur, Gravitas Levitaſque [1]. Elementa ſic ornantur: duae dantur ſingulis *qualitates* ex quatuor primis; Ignis ſumme calidus et excellenter ſiccus; Aër ſumme humidus et excellenter calidus; Aqua ſumme frigida et excellenter humida; Terra ſumme ſicca et excellenter frigida [2]. Textus perquam amoenus eſt et verſicolor! Quo exemplo, in quatuor *Humoribus*, Bile, Sanguine, Pituitâ, Melancholiâ; in quatuor anni tempeſtatibus, Vere, Aeſtate, Autummo, Hieme; in quatuor vitae aetatibus, Pueritia, Juventute, Aetate conſiſtente, Senectute; ac in multis aliis eadem illa tela texitur. Hinc etiam Elementa quaedam *Symbola* dicuntur, quae nempe in eâdem *qualitate primâ* conveniunt: ut Ignis et Aër in Calore; Aër et Aqua in Humore; Aqua et Terra in Frigore; Terra et Ignis in Siccitate (haec inter ſe orbem ſaltatorium verſant). Quaedam *Aſymbola:* ut Ignis et Aqua; Aër et Terra (haec disjuncta tripudiant). His momentis examinant Elementorum aliorum in alia faciles ac difficiles commutationes; in his obſervantur praeterea multa ficta, frivola, ad quae longum eſt abire. Senſus interpellat ſubinde, et alia teſtatur? non credunt, ne jurato quidem [3]. Obſtrepit importunius? os ei batuunt, conſputant, improperant [4] omnes, quas aliquando machinatus eſt, impoſturas. Conticeſcat ocius: quia lubet, et decet, et debet [5] eſſe quidquid adeo [6] ſpecioſum eſt. Haec de Coelis et Elementis, quae Mangoni *Corpora ſimplicia* dicuntur; reliqua ei corpora ſunt

---

1 limpidius. Id quidem ſenſus negat tibi hodie, ſed exſpecta tantiſper cum patientia; nam poſt diem judicii concedit otioſa quorundam Theologia. Generali ordine ſtatuto genius noſter manganizatum vadit ſingula. Et coeli quidem phyſice ſimplices ponuntur; quia ſpectat ad ordinem univerſi; mutilum videretur ſi hic gradus entis deeſſet. Ex ſimili delirio nec creſcunt nec decreſcunt, neque graves neque leves ſunt. Poſt haec energiâ mirabili donantur ſidera, infinitis virtutibus horum inferiorum motricibus, et influentiis tam occultis, ut praeter generale hoc nomen vix quidquam habeant quo noſcantur. 2 *omitt. ubique* ſumme *et* excellenter. 3 frigida. Quam pulchra ludit per binarios iſtos voluta! Phidiae diceres inventum, non Ariſtotelis; aliud clamet ſenſus, non credimus. Si. 4 batimus, improperamus. 5 *add.* ita. 6 quod tam.

Mixta, quae hîc in Terreftris globi fuperficie aut prope ab illa generantur, Metalla, Lapides, Stirpes, et Animalia; quibus conveniunt quatuor *qualitatum primarum* variis modis inter fe temperatarum complexiones variae [1]. Igitur marmor calorem habet, etiam dum gelidâ plus urit glacie; et humor eft in pumice, cui ne guttam quidem unam exprimas fub arctiffimo torculari. Inter haec, et id genus alia [2], a quorum longius perfequendo [3] catalogo deterreor [4] naufeâ, nulla ratiocinantium fenfa [5], omnia fic volentium placita funt [6]. Ac miror *Placitorum* etiam nomine [7] cenferi ab iis, quibus oraculorum inftar funt. Nempe quaeftionem gravem in mendaces habet Veritas; et quae rebus nomina conveniunt, ea nihil ejufmodi cogitantibus, et alia prorfus agentibus extorquet [8]. Sic auritum illud animal, quod ad clavum fubinde fedet in Republicâ, et [9] fub leonis adorandum eft exuviis, etiam tunc, forte per oblivionem [10], audit vetus fuum verumque nomen, Afinus. Fateor [11] equidem in hac Rerum Univerfitate reperiri quamplurima, quae humanum animum, ordinis ac elegantiae cupidiffimum, fpecie fua delectent et mirum in modum rapiant [12]: In his etiam tam induftria funt quaedam, et ad meram quafi [13] pompam elaborata, ut Natura, quae Artis exemplar effe folet, reciproco lufu capta, videatur Artem imitari voluiffe. Quomodo minimas aliquas nivium quifquilias in elegantiffimas ftellulas crenat et circinat, mille gyris et fpiris marinas conchas exfculpit, mille modis Tuliparum flores, pavonum caudas, colla columbarum diftinguit [14]. At vero fi animum [15] attendimus, funt

---

1 fpeciofum eft. Reliqua corpora funt mixta, quibus dantur quatuor qualitates in temperiem redactae. 2 aliaque id genus. 3 prolixiore. 4 abfterreor. 5 ratiocinii conclufio. 6 funt fictionis placita. 7 *add.* fubinde. 8 Habet vim iftam veritas, ut convenientia rebus nomina ab infciis faepenumero ac aliud cogitantibus extorqueat. 9 quod quandoque. 10 per oblivionem forte. 11 Fatendum. 12 mire rapiant et delectent. 13 ut apparet. 14 voluiffe. Velut in marinis conchis exfculpendis, nivium ftellulis circinandis, maculandis tuliparum foliis, variegandis pavonum caudis. 15 *omitt.* animum.

alia non pauciora, quae tumultuariâ quadam confuſione et malignâ ſpecie terrent nos et turbant. Sunt cancri et araneae, ſunt foetores [1] tetri, ſunt horribiles ululatus, ſunt nocturni lemures, qui diro mentem noſtram percellunt phantaſmate. Cur igitur Naturam Rerum egregie comprehendiſſe nos exiſtimamus, ſi eam pulchritudine, quae nobis arrideat, et concinnitate definivimus [2]? ſi limatula, ſi politula cuncta confinximus? Ultra ſepem iſtam ludit, et (ſi genium ejus percipis) rudi interdum, incondito, ac robuſto delectatur magis. Hoc amplius [3]: multa ſunt, quae magis ad regulam exigere poſſet [4], ſi genio noſtro morem gerere Natura vellet. Quid ſi ſerenis noctibus penſiles illos ſub coeli camerâ lychnuchos, confuſos jam eos et nimis temere diſperſos, ita redigeret in quadrum, ut Deorum formas et ſigna, quae Poëtae pariter ac Aſtrologi notant, repraeſentarent ad vivum? Non defigendus eſſet obtutus, non vis adhibenda Phantaſiae; primo ſtatim in fornicem illum conjectu oculorum, perſpicue notaremus

Plejadas et Hyadas, claramqne Lycaonis Arcton,
Aemonioſque arcus, violentique ora Leonis,
Saevaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum [5].

Quod ſi Lunae noſtrae ſororem dediſſet Natura, tum vero rem et viſu pulchram, et humanis uſibus [6] oppido feciſſet commodam. Tunc inter ſe [7] pari ſorte nocturnas ſtationes partitae, altera ſemper pharum aegris mortalibus extuliſſet [8]. Nunquam ferales illas et tetras, et tam germanas morti in hibernis interluniis ire ſiviſſent [9] noctes; alterius in interlunio ſilen-

---

1 odores. 2 ſi eam adlubente nobis pulchritudine et concinnitate circumſcripſimus. 3 Ad haec. 4 in quibus concordantior harmonia ſtatui poſſet. 5 Quid ſi firmamentum ita cameraſſet, ut coeruleis iſtis ſapphiris in lacunaria cemeutatis parallelos fornicum arcus haberent ſtellae? numquid placidius hoc amoeniuſque futurum erat? 6 uſibus hominum. 7 *omitt.* inter ſe. 8 efferret. 9 paterentur.

tium et ferias, alterius in plenilunio compenſaſſet ſedulitas et [1] vigilia; ſimul dividuae, veſpertinas illa, haec matutinas tenebras diluiſſet [2]; deinceps illa [3] creſcendo plus, haec [4] decreſcendo minus excubuiſſet [5]; ſequens vices et onera mutaſſet menſis. Id ſi ita eſſet, poſt homines natos, nihil aptius, nihil pulchrius eſſet; cur autem ita eſſe confirmat [6] nemo? Quia ſenſus reclamat; potis ille eſt Philomangones exſolvere ſacramento. At vero adverſum clamores ejus aurem obturabant alibi; cur hîc non item? Quia hîc vocalis nimium eſt, et ingenti, quidquid aures opplet [7], pertundit boatu. Si ergo non altum increpet, ſi non ſtentoriis clamoribus objurget ille Cenſor, putant rem ſalvam eſſe, bene geri [8] omnia? Alias raucus eſt [9], diutinâ cum ſurdaſtris vociferatione, alias hebes, alias [10] coecutit et delirat ipſe. Quid ergo? Capio. Errare non recuſant; quin imo formoſos iſtos errores ſuaviari cupiunt [11], ita dulces videntur; ſi [12] liceat impune, ſi abſit reprehendentium ſtomachus et irridentium ciconia. Ita eſt: amabili quadam deludimur inſaniâ, dum poſthabitâ Ratione ac [13] Naturae phaenomenis, Marte noſtro Mundum [14] digerimus. Et ſicut fabulam qui legunt, initio quidem fabulam eſſe ſatis meminerunt [15], ideoque non tam ea quae narrantur expendunt [16], quam [17] narrandi modum narrantiſque indolem, affectus, ac ſtudia; longius autem [18] profecti et ineſcati, totâ mente atque omni animo pendent [19], ſperant modo, et modo metuunt, tum gemunt, et ſerio tragicis illis nugis illacrimantur [20]; — ita etiam Philoſophi, quod praeopi-

1 tunc unius in conjunctione ferias alterius in oppoſitione compenſaret. 2 in ſemiluniis veſpertinas una, matutinas altera dilueret tenebras. 3 una. 4 altera. 5 excubaret. 6 Pulchra ſunt haec et harmonica; cur aſſerit. 7 operimentum omne. 8 Si ergo non increpet ille cenſor et objurget altius, putant, bene habent. 9 Raucus eſt alicubi. 10 hebes alibi, alibi. 11 in formoſis iſtis erroſibus ſuaviant. 12 *omitt.* ita dulces vid. *add.* ſi modo. 13 dum neglectis. 14 univerſum hoc marte noſtro. 15 ludicra noverunt omnia et ab ingenio poëtae conficta. 16 ad ea q. n. attendunt. 17 *add.* potius. 18 ulterius vero. 19 provecti, quaſi jam in ſerium abierint commenta, ita ſunt impenſi et inhaerent penitus. 20 gemunt etiam ſubinde et non falſo lacrymantur.

nandi libidine dogma condiderant [1], id ufu, difputationibus [2], altercationibus, frequenti docentium inculcatione [3], flagitiofâ difcentium credulitate [4], fuperftitiofâ [5] vulgi de Philofophorum placitis [6] imaginatione, tandem vertunt in fatale et inconcuffum [7] Elementum. Sic vis adhibetur Veritati [8]. Hac deinde ligamur [9], et per errores trahimur [10] catenâ, cujus omnes hamos et annulos humana procudit ftoliditas [11] et vecordia. At tibi repente (de via decedite!) Amor-fapientiae depellit Mangonem ab anfâ iftius, quae nos tamdiu compedivit, catenae [12]. Ita enim invehitur: *Exi de ambulacris noftris; ocius, inquam, te proripe, fucate, adulterate Mango, cum intolerabili redundantiâ* [13], *cum typho, quo cives meos infatuas* [14], *et fumis et apparatis; loco cede genuinae, nudae, fimplicique Rationi.* Stupet ad hoc tonitru leno; et correptâ temere fub axillis cofmetice, difcedit tibubante paffu; quaque gradum incertum facit; diffipat, quae brachio non fatis aftrinxerat, crotala, mitras, redimicula, fibulas. Pone cum fcopis Amoris-fapientiae fatelles *), et everrit, ne quid nudam Rationem, mox praefto futuram, ad pedes offendat [15].

Video, judices, ejecto Pantomimo, exterminato [16] Mangone, evulfis fimul eorum de libris noftris dictatis, commentis [17], et placitis, Scholafticam pene totam cum illis abiiffe [18] Philofophiam, et de turgentibus illis in Bibliothecâ voluminibus non nifi exiguam fupereffe farraginem. Vix quidquam comperio

---

1 quod abfente fecerant experientiâ figmentum. 2 mutuis. 3 crebrâ doc. impofturâ. 4 difc. fuperftitiofâ cred. 5 exoticâ. 6 fententiis. 7 in irrefragabile vertunt. 8 *omitt.* Sic ... Veritati. 9 impofterum ftringimur. 10 raptamur. 11 annuli de humana cuduntur ftoliditate. 12 Sed propere huc animum advertite. Amor Sapientiae dejiciet Mangonem ab anfa hujus catenae. 13 fuperfluo. 14 quo noftrum cerebrum dementas.

*) Hos Satellites defcriptos vide infra pag. 40.

15 paffu. Cadunt hinc inde, quas brachio non fatis aftrinxerat, bullae; has humo et fufpiciunt otiofi, degeneres, pigri fententiam explorare et experimentum. 16 abacto jam poft Pantomimum. 17 *omitt.* commentis 18 fcholarem in immenfum decreviffe.

reliquum, praeter [1] Axiomata quaedam (ut prae ſe ferunt) [2], Communes Notiones, et Generales Regulas.

In his [3] tamen etiamnum aliquid, quod a Ratione non eſt. Genius iterum aliquis ſubolet mihi [4]; exſerat ſe de latebris ſuis, prodeat in medium. Hem! quam venerabilis ille eſt! a formoſo Pantomimo, a compto Mangone quam diverſus! Talis ſpecies in religionem veniat populo [5]. In veſtitu nihil praeter depexam togam corpori, et capiti, inſigne Magiſterii, cucullum [6]; erecta facies et plana, nutus nullus; reductae palpebrae, fortes [7] oculi, fixus obtutus; inflatae buccae, ſeſquipedalium verborum ampullae. Geſtus unicus, quo primoribus digitis in ſummum pollicem coëuntibus, paulatim cum ſententiâ attollitur manus [8], et in obliquum recidiva [9], cum emphaſi concludit effatum. Natus eſt hic Genius Delphis, ſub Apollinis tripode; educatus autem apud Sphingem, inter Gryphos et Aenigmata. Singula ejus verba, ſingula myſteria; ſinguli verborum ambitus, ſingula decreta, ſingula ſunt oracula, miro inſtinctu et afflatu edita, miris modis perplexa. Ipſummet [10] audiamus: *Conjugatorum ſunt conjugata conſequentia. Propter quod unumquodque eſt tale, ipſum eſt magis tale* [11]. *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur* [12]. *Nullum violentum eſt perpetuum; etc.* Si ſenſum exquiras horum gloſſematum [13], aut rationem qua nitantur [14], in promptu [15] reſponſio: *Abi ad Pedanos* (ſic Philoſophiae tirunculos contemptim appellat praecellentiſſimus Magiſter) [16] *et diſce.* Quid ni? Fundamenta ſunt [17], Principia ſunt. At ubi rudimenta ipſa tradit Dogmatistes [18], ſi quiſpiam prae condiſcipulis ſuis ardelio magnorum iſtorum crepi-

---

1 niſi. 2 *omitt.* parentheſin. 3 Inter haec. 4 genium iterum aliquem ſubodoratus ſum. 5 Specie ipſâ religionem incutit imperitis. 6 et capiti magiſtralem cucullum. 7 immobiles. 8 palmus. 9 reciduus. 10 aenigmata. Quot loquitur ex cathedra ſententias, tot decreta, tot oracula verborum involucris ut plurimum perplexa. 11 *omitt.* Conjugatorum... magis tale. 12 *add. Nihil eſt in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu.* 13 harum poſitionum. 14 ob quam ita tenendae ſunt. 15 brevis. 16 *omitt. parenth.* 17 *omitt.* Fund. ſunt. 18 Dogmatiſta.

tuum petat aliquam [1] ratiunculam, *Tu*, inquit, *tace puer. Tu* [2] *afinus ad lyram es; Ariftotelis fcitum eft* (etiamfi Ariftoteles id fcifcat nufquam) [3], *Difcentem debere credere.* O dolofum circulum! provectos ad rudimenta mittit; rudimentum ex profectu fufpendit. His [4] igitur Principiis proveniunt nobis [5] impofterum falfa multa, involuta [6] quam plurima, quia Principiis commentitiis contortifque proveniunt [7]. Sed ecce: aliud quiddam in commodum ftudiofae juventutis meditatus [8] eft Magifter Nofter; rem hercule compendio facilem! Tene haec pauca, tiruncule [9], et te deinceps, te, inquam, Naturae confultior erit nemo: *Intelligentias*, *Formas fubftantiales*, *Caufam primam*, *Influentias et Qualitates occultas*, *Vapores et exhalationes.* Percepiftin' haec puncta? Euge! his expedies omnia. *Intelligentias* quidem non applicabis [10] nifi ad res [11] magni momenti magnique moliminis, quae in vafto et patente [12] quafi ad pompam fiunt; velut ad trufatiles coelorum molas circumagendas [13], et aquas in marinâ mactrâ, quo ftatis horis intumescant, fubigendas [14]. Cave fis, ne arboribus, aut herbis, aut lapidibus *Intelligentiam* ullam adjunxeris, ne Magneti quidem; licet enim hujus operatio, mirabilis [15] valde, plena fit industriae, at in angulo exercetur, non ita palam, nec in theatro; unde is *Influentiâ*, quae de minorum gentium Diis eft, contentus fit. *Formis fubftantialibus* abutendum tibi erit ad mutandum corpora; five intrinfecus [16], quod ipfis eorum *formis* attribues [17], five extrinfecus [18], quod *formae* corporis vicini imputabis; fi nulla fit ad manum [19], cui negotium hoc committi poffe videatur [20], ad afylum commune, ad Influentias coeleftes confugies. *Caufâ*

---

1 ibidem fcifcitetur. 2 Tace puer, inquit. 3 *omitt. parenth.* 4 credere. Ex his. 5 deducuntur. 6 gratuita. 7 ex commentitiis gratuitifque principiis deducuntur. 8 muginatus. 9 *omitt.* tiruncule. 10 occupabis. 11 nifi rebus. 12 patenti. 13 velut coelis in gyrum proterendis. 14 et mari ftatis horis in tumorem fermentando. 15 admirabilis. 16 ab intrinfeco. 17 quod afcribes propriae formae. 18 ab extrinfeco. 19 nullum adfit tale. 20 cui id jure committi poffit.

primâ opus tibi eſt in formandis et producendis *Formis ſubſtantialibus* [1], exceptis tamen formis Elementorum [2], quibus ſpeciatim conceſſum eſt [3] ſobolefcere, et ſtirpem ſuam in viciniâ propagare [4]. Caeterae formae [5] coelibes ſunt et viduae; et introductis *in Materia Diſpoſitionibus*, ut plurimum a coelorum occultis virtutibus, Auctor Naturae ſupplet eas de ſuo penu. Tandem, ne longior ſim, *Vapores et exhalationes* habe tibi [6] ad omnem *Antiperiſtaſim*, omniaque *Meteora* et *Imperfecte mixta* [7] diſcutiendum. I jam, aſcende Cathedram, *reſolve magiſtraliter*,

— — *Sume ſuperbiam quaeſitam meritis.*

Quis ineptias iſtas ferat? quis cordatus homo eſt, qui ſe ſcire aliquid in Naturâ rerum exiſtimet, cum iſta ſciverit? Quid enim? ſi quis te miraculi alicujus cauſam interroget, tu vero [8] *Intelligentiam* adferas [9], aut *Influentiam*, aut occultas rerum *Sympathias* et *Antipathias*; quid iſta ſummatim continet reſponſio, niſi ſimplex illud, quod quilibet e plebe reſponderet, *Neſcio?* Hoc tantum inter te et illos intereſt [10], quod hi quidem humeros adducant, et ignorantiam ſuam fateantur ingenue; tu ſtreperis quibuſdam verbis fucum facias, et diſſimules. Et vero ſi quaeratur, cur aqua, quae inferbuit, ab igne ſemota refrigeſcat [11]; cur adductae et in arcus ſinuatae virgulae, ſi remittantur, in rectum ſe porrigant [12]; cur rugatum ab igne corium, ſi in cella recondatur [13], explicet ſe denuo; reſpondebis, *Formam ſubſtantialem* talium corporum, aut *Potentiam* aliquam in iis reſidentem [14] haec omnia machinari. Nugae!

---

1 in productionibus formarum ſubſtantialium. 2 exc. ſolum elementaribus. 3 id indultum eſt ſpecialiter. 4 ut ſe quandoque propagent in vicinia. 5 *omitt.* formae. 6 Vapores et exhalationes, ne longior ſim, ſufficiant tibi. 7 omnes antiperiſtaſes omniaque imperfecte mixta. 8 ſi mirac. alic. quaeſitus cauſam. 9 protuleris. 10 Haec dumtaxat te inter et illos differentia eſt. 11 cur aqua ſemotis calefacientibus, a quibus patiebatur, refrigeat. 12 cur fracto tendine in directum reſiliat arcus? 13 ſi ſepoſitum fuerit. 14 iis inſidentem.

Scopae diſſolutae [1]! Fili iſtius, quo res omnes pulcherrime cum Principiis et primis Notionibus Natura copulavit et vinxit [2], abruptio manifeſta [3]! Non inclementius dico, quam par eſt [4]; ponam exemplum [5], ut videas. Sit in Geometriâ rudis quiſpiam et idiota; ſtylo Dogmatiſtae docebo [6] eum [7] hac horâ (et equidem non [8] indigeo totâ), ut tam peritus ſit Geometriae, quam depontatus aliquis Philoſophus Phyſicae peritus eſt. Hoc igitur primum poſitum ſit [8], Triangulum eſſe aliquid ad inſtar [9] *Corporis naturalis*. *Materiae* vicem ſupplebit [10] *Magnitudo* (haec [11] enim indifferens eſt circa varias *Formas* [12], nempe [13] *Circuli*, *Parallelogrammi*, *etc.*). In *Formae* loco habebimus *trium rectarum linearum*, *extremis inter ſe punctis tangentium*, *cohaerentiam* [14]. His igitur ita poſitis, Geometricae inſtitutionis incipit mihi initium: *Tres anguli in Triangulo ſimul ſumpti*, *duobus rectis angulis ſimul ſumptis ſunt pares*. Sit enim triangulum quodcunque; tum altero pede circini in ejus apice defixo, altero pede portionem circuli, ſummo angulo, a latere ad latus, quibus utrinque ſtringitur, ſubtende; idem fac duobus reliquis, qui ad baſim ſunt, angulis, circini cruribus eodem ſemper intervallo divaricatis. Collige jam tres iſtos arcus, tribus iſtis angulis ſubtentos, et in unum arcum diſpone; ſemicirculum habebis, tantam ſcilicet circuli portionem, quanta duobus rectis angulis ſubtendendis ſufficiat. Eo igitur ventum eſt, ut tres angulos in triangulo duobus rectis angulis aequales eſſe, perinde compertum ſit et experientiâ notum, atque aquam ad frigus ſe reducere, vel ferrum ad Magnetem tendere. Reſtat (quod in Diſciplinis utramque paginam facit) ut Ratio promenda

---

1 commentum! 2 quod ex principiis natura per res omnes pulcherrime deducit. 3 manifeſtus abruptus. 4 Non cenſeo ſupra meritum. 5 ponam negotium in ſimili. 6 idiota; edocebo. 7 *omitt.* eum. 8 nec tamen. 8 Supponat itaque. 9 Triang. eſſe corpus naturale, aut ſi ſcrupuloſus nimium eſt, ſupponat eſſe aliquid inſtar. 10 Locum materiae habebit. 11 illa. 12 ad varias formas eſt indifferens. 13 *omitt.* nempe. 14 Locum formae habebit ipſa forma triangularis.

ſit [1], cur in triangulo omnes anguli ſint aequales duobus rectis? Hanc in promptu habet Dogmatiſtes, et accipe [2]: Quia *Forma* trianguli per naturalem reſultantiam tres angulos ſuos cum duobus rectis angulis adaequat [3]. Pergo: *In triangulo angulus externus interno oppoſito major eſt* [4]. Id etiam circino expende; ſi enim unum latus trianguli deinceps producatur, majorem arcum ei ſubtendes, quam angulo intra triangulum conſiſtenti ſubtendi poſſit. Illud igitur ſic eſſe, rurſum experimento certum habemus. Ratio petitur? Eadem illa, quae *Formam* trianguli cauſatur, afferri quidem poterat (nam in omnem pedem quadrat iſte cothurnus), ſed grata varietas. Aliud igitur Dogmatiſtae noſtro emungamus oraculum: *Excluſa concluſis ampliora ſinuntur*; angulus igitur excluſus, et extra triangulum poſitus, incluſo angulo major erit. Et quamvis hoc argumento, angulum externum non minus interno appoſito, quam interno oppoſito majorem eſſe efficiatur, Dogmatiſtes tamen decernit, ut tum modo valeat Regula, cum de angulo externo et interno oppoſito ſermo eſt. Nam, inquit, cum de angulis appoſitis loquimur, non ſemper locum habet iſta Regula; et quid mirum? *Omnis Regula patitur exceptionem.* Porro pergo: *Si duae rectae lineae inter ſi ſecuerint, angulos ad verticem aequales facient.* Hîc pro ratione Naturalis quaedam Sympathia iſtorum angulorum offerri poterit. *In triangulo rectangulo quadratum lateris, quod recto angulo opponitur, reliquorum laterum quadratis aequale eſt.* Hîc jam in conſilium adhibere poſſumus *Intelligentiam* unam et alteram; eſt enim hoc Theorema maximi momenti, et Pythagoras (ut nobis narrant) cum id inveniſſet, tantum accepit ſubito laetitiae, ut hecatombem faceret [5]. Dixi; pergat jam

---

1 *omitt.* His igitur ita poſitis...... promenda ſit. 2 duobus rectis? Reſpondeat. 3 aequat tres angulos duobus rectis. 4 Quaero, cur angulus externus ſit interno oppoſito major? 5 *omitt.* Id etiam circino expende... faceret. *add.* Reſpondeat, quia forma triangularis eſt talis naturae, ut ſi unum ejus latus deinceps producatur, majorem ei angulum tradat quam intra ſe ex oppoſito contineat.

quiſque iſto tenore, et ſuo Marte Mathemata omnia reſolvat et pandat [1]. Quid ais, Euclides bone [2], de extemporalibus hiſce meis Mathematicis [3]? num te poenitet jam operoſae Demonſtrationis, et longae ſollicitaeque tuorum Effatorum ad Principia deductionis [4]? Ridete Mathematici, et ſcitote hos meos Geometraſtros [5] et hodiernos Phyſicos iiſdem caepis veſci [6]. Satis eſt; Amor-ſapientiae ad pronunciandam ſententiam accingitur [7]. Quid agat? exilio multet Dogmatiſtam? Mitior quidem iſta ſententia ferri in Pantomimum et Mangonem potuit, quibus alibi res ſuae, nec tenues erant, ambitio (ut fit) compulerat in aliena. At monſtrum hoc nulli bono eſt, extra quam intra Scholam pernicioſius. Alibi inter veneficos characteres deformat [8] et immurmurat carmina; alibi cum perſpicillis ad naſum legit Sibyllam et interpretatur, et ponderat, et ſuperſtitionem injicit popello. Inter haruſpices alibi ſecat animalia, exta conſulit, obſervat avium volatus, et hominum ſternutamenta [9]. Alibi inter Phyſiognomos ex fatalibus [10] in fronte manibuſque lineis, praeſagia ſumit eventuum [11] et fortunae. Alibi cum judiciariis Aſtrologis notat Planetarum *Domos et Aſpectus*, *Rhumbos* facit [12] et *Horoſcopos*. Totum illud atrae bilis plaſma ſqualidum, tetrum [13], nullâ cauſâ, nullâ ratione fundatum, totum ex Phantaſiae ludibrio ſuſceptum [14], totum [15] ſe debet huic Genio infeſto, perverſo, praepoſtero. Praeſtat igitur ut hîc opportune deprehenſus [16] tradatur lictoribus exurendus. Pyram dabunt tot chartarum in bibliothecis noſtris paginae, impoſturis ejus deformatae. Annuit Amor-ſapientiae, et jubet, ut lictores ſui, Zelus-veri et Contemptus-falſi, ſententiam iſtam quantocius exſe-

---

1 Habet ſatis; pergat jam ſuo marte per omnia theoremata et problemata. 2 magiſter Euclides. 3 de extemporali hoc meo Mathematico. 4 et longi ſollicitique tuarum propoſitionum ad principia deductus. 5 quod hic Geometraſter meus. 6 et moderni Phyſici iiſdem veſcantur caepis. 7 accingit ſe ad pron. ſent. 8 efformat. 9 ſternutationes. 10 planetaribus. 11 ſucceſſuum. 12 format. 13 inſultum, gratuitum. 14 nullis, quae ratio probet, innixum principiis. 15 *add.* inquam. 16 prehenſus.

quantur [1]. Tantâ judicis feveritate deterriti, proripiunt fe e Scholâ quam plurimi pufiones Genii [2], quos nominare mihi in promptu non eft. Antefignanum tamen novi: Gerro eft; qui pridem ex trivialibus Scholis, ex Grammaticâ et imâ Dialecticâ huc appellens, gerras multas nobis contexuit, verborum tricis detinuit, fyllabis anxie difcutiendis [3] exercuit, propofuit quaestiunculas multas exiles, frivolas, rancidas, auctaria, corollaria, parerga [4]. Efto [5]. Fugâ fibi confulant; accuratâ in abjectam illam plebeculam accufatione [6] facrae judicis noftri aures non erant obtundendae.

Erafis jam, excifis et abolitis coecis iftis Geniorum noftrorum commentis, paucula fuperfunt, quae fola Ratio dictat Principia; expofita in propatulo, cunctis nota, puriffimo liquidae Veritatis radio confpicua. Dives inopia! immenfus in parvo fcrinio thefaurus! Eliciemus illum et expromemus [7]; fed fenfim et fine fenfu. Praecipites hîc, prurientes, inconfideratos [8] effe non decet. Gemmas iftas tener ordo devinxit [9]; fi avide, fi temere manum injicis, turbantur, excidunt, et cum fpuriis quae humi jacent, confufae, fufpectaeque, non fatis internofcuntur [10]. Et hinc ordine mutato, quem tradendis fcientiis [11] majores noftri praefcripferunt, expediret iis primum Difciplinis excolendam dare [12] juventutem, quae fine ullâ Hypothefi, mere ex Communibus Notionibus demonftrant fuas Propofitiones; quales funt Geometria et Arithmetica [13]. Ante tamen Scien-

---

1 ut fine dilatione fententia mandetur executioni. 2 quamplurimi adhuc genioli. 3 fyllabarum anxiis difcuffionibus. 4 rancidas, ad rem impertinentes 5 Bene eft. 6 vilis iftius plebeculae criminatione. 7 educemus. 8 prurientes hîc. 9 Gemmae iftae perpetuo filo nexae; 10 non nifi catenatim una poft aliam extrahendi; manifeftum alioqui inter manum et capfulam adulterationis periculum eft. 11 *omitt.* tradendis fcientiis. 12 fcientiis pafci. 13 quae meris farciuntur principiis, nulli praefumptionis aut conjecturae lardo tranffixis; nam ad legitimas in rebus naturalibus hypothefes maturior ftomachus requiritur; magnâ fcientiâ; magnâ hîc opus experientiâ et judicio, quae ut plurimum abfunt a juvenibus. Iftis ergo mathematicis fe dent, quae abftractae et fine hypothefi funt; iis ingenio folo fufficiunt.

tiam Confequentiarum, quae eft in [1] Logicâ, perceperint; fine qua Apodixes Mathematicae [2] non fatis feliciter [3] procedunt, et cujus ope compendium in illis non exiguum fieri poteft [4]. Quae quidem fcientia non ita ex tempore [5] et fparfim [6] (ut hodie fit) velut filva quaedam et rhapfodia [7] tradatur, fed ordine [8] ac tenore Geometrico [9]. Hanc autem, quam dico, Confequentiae fcientiam ita corrigi, et in apicem illum evidentiae fubvehi poffe, cum jam ante certum haberem ex ratione, ipfo etiam eventu, et fucceffu, quem nuper publici juris feci, edoctus fum *) [10]. Tribus his, Logicae, Geometriae, Arithmeticae, Metaphyficam fubnectant, fed probe repurgatam, Mentis et Corporis effentiam ac Proprietatis apodictice perhibentem [11]. Dein [12] ad rerum naturalium Hiftoriam applicentur. Hanc voco congeriem ex diverfis Naturae Phaenomenis experimentifque certis et [13] indubitatis, purâ narratione fine [14] conjecturâ rationis, ob quam ita fe habere videantur, propofitis [15]. Haec Hiftoria [16] a docentibus in communia quaedam capita digeretur; hanc tirones non legent in libris dumtaxat, aut ex pulpito audient, fed oculis ac manibus ufurpabunt [16*]; tantifper fufpecta fint, quae ab his vel illis Phyfiologis arcana jactantur [17]. Conftat enim res obviâ facillimâque experientiâ tentandas, totam retro Vetuftatem fefelliffe: velut, plumbum [18] celerius labi per aëra quam lignum [19], indubitatum Antiquis; explodit hodie ipfis etiam triviis non ignotum experimentum. Et hinc Acade-

---

1 *omitt.* in. 2 mathematicae demonftrationes. 3 *omitt.* fatis feliciter. 4 *omitt.* et cujus.... potest. 5 temere. 6 *add.* et cum parergis. 7 *omitt.* velut... rhapfodia. 8 fed fervato nitore. 9 Geometriae.

*) Vide libellum meum, quem infcripfi Methodum inveniendi Argumenta feu Solertiam. (*Ed. L. B.*)

10 ita caftigari poffe, tentantem docuit me nuper eventus. 11 *omitt.* Tribus... perhibentem. 12 Post mathematicas. 13 *omitt.* et. 14 exclufâ tamen. 15 cur ita fint. 16 *add.* memoriae gratiâ. 16* oc. fibi ufurpabunt et man. 17 tant. fufpendenda fides et fufpectum debet effe negotium. 18 *add.* ligno. 19 *omitt.* quam lignum.

miarum ſupellex non erunt vaſta illa volumina, inepti [1] centones, in quibus coeci diſputant de coloribus, et pecorum ritu, in Veterum ſententias abeunt Minores; ſed teleſcopia [2], quibus e coelo remotiſſima quaevis adducuntur, nova ſidera deteguntur, aliorum cornua, aliorum aſperitates, quas longo intervallo diſſimulant, veniunt in conſpectum; inſuper herbarum et fruticum horti, Anatomica Theatra [3], Alembici [4], fornaces, Magnetes, aliaque id genus, quae Natura voluit ſuorum miraculorum acervos, illices, et exploratores eſſe [5]. Intelligentiâ jam a ſcientiis cultâ, ab Experientiis firmâ ac maturâ [6], Hypotheſis Phyſica [7] proponatur, quae Senſum cum Ratione, Experimenta cum Scientiis ad amuſſim conciliet. Tandem agmen hoc claudat Ethica [8].

Eja Amor ſapientiae, in ſublime [9] te tolle; deſere nos hîc tantiſper cum plebe, aeternum equidem tibi jurejurando devinctos. Inceſſe ſummorum Magiſtratuum et Principum Virorum [10] pectora; opes eſt eorum robuſto brachio, ut Genus Humanum, in futilitatem et indignas nugas tam alte demerſum, eruatur [11]. Haec reſtat [12], et ſi modo capiant, ſola pene reſtat ad Divinitatem via. Bellis iſtis et cladibus, quibus ferarum ritu in mutuam necem ſaevimus hodie, non gloriam, ſed probrum rependet aequa poſteritas; et magna forte, quae nunc veneramur, nomina audient olim (quod ſunt) cruentae belluae et

---

1 inſulſi. 2 tubi. 3 horti, diſtillationum. 4 *add.* ignium. 5 *add.* Pudor ſane, ubi brevem hi arbitri ac dilucidam offerunt controverſiae deciſionem, malle nos eam a litigioſâ congruentiae ratiunculâ mendicare; imo non malumus; convenire aequiſſimos iſtos arbitros non poſſumus; peregre ſunt, vix ſcimus ubi locorum degant. 6 Formato jam per ſcientias et maturo per experientias ingenio. 7 aliqua. 8 proponatur; id eſt, conjectura elementorum naturae, brevis ſine ſuperfluo, clara ſine figmentis ignotarum rerum, quae experimentis omnibus continuâ diductione ſatiſfaciat, ſcientiae, cujus vicem gerere debet, quam ſimillima. In hanc ne juret diſcipulus; teneatur quoad phaenomenis omnibus reſpondeat; ubi in puncto deficit, rejiciatur, et aliâ tentetur verum. 9 humo. 10 principum et magnatum. 11 extrahatur. 12 *add.* iis.

Humani Generis lanii. I, Amor Sapientiae; ſupple quae ſubticeo; et, ſi viſum fuerit, adde etiam acriora [1]. Audes enim; a me quidem dicta, et fruſtra forent, et non tuta.

DIXI.

---

1 majora junge.

PARAPHRASES

ET

COMMENTARII,

QUIBUS ORATIO I

IN EDITIONE LUGDUNOBATAVA ILLUSTRATUR.

I.

[Ad Pag. 11: *Continet actionem ..... rei aguntur.*]

COMMENTARIUS. Genii iſti ſunt perſuaſiones quaedam, quae increbuerunt, vel potius inſtinctus et proclivitates perſuadendi ſibi aliquid praeter dictamen Rationis.

Pantomimus eſt inſtinctus quidam atque proclivitas, Metaphoram cum Proprietate confundendi, ſeu ita capiendi, quod metaphorice dicitur, ac ſi id etiam in proprietate ſermonis obtineret. Unde Pantomimi praecipua pars eſt proclivitas cogitandi, res omnes ſenſu nobis ac vitâ ſimiles eſſe, et in actionibus motuque ſuo, ſuâ ſe cognitione dirigere; plurima enim a nobis ad res inanimas per metaphoram et ſimilitudinem tranſlata ſunt. Hinc Pantomimus ab iſta tantum parte agitatur in Oratione noſtrâ.

Mango eſt inſtinctus ornandi, ordinandi, concinne diſponendi. Cum illum ornatum ac ordinem rebus aſcribimus, quem Ratione ducti deprehendimus, bene habet; res enim omnes procul dubio

concinne eleganterque diſpoſitae ſunt ab Auctore ſuo. Cum ex libidine tantum et inſtinctu ornandi ornatum illum rebus attribuimus, qui imaginationem noſtram capit ac demulcet, hoc vero Mangoni debemus.

Dogmatiſtes denique eſt inſtinctus et proclivitas generatim ſtatuendi, Regularum et Axiomatum formulas tradendi, artium et ſcientiarum Syſtemata condendi. Et in Dogmatiſta conſidera quomodo in Mangone. Licet profecto generatim concludere, licet Axiomata, Regulas et Syſtemata ponere, ſed ductu et auſpiciis unicae Rationis. Ex impetu tantum, inſtinctu, ſpirituque ponendi ea ponere, hoc vero et Rationi inimicum eſt, et foedi in eo haerent ac pernicioſi errores.

Sic igitur affecti ſunt iſti Genii; eodem aliquando ducunt, quo Ratio; nunquam eâdem. Atqui non modo qui non ivit quo eundum erat, ſed et qui ivit qua eundum non erat, aberravit. Mango ducit ad ornatum, ad Regulas Dogmatiſta; eodem ſaepe Ratio tendit, ſed aliâ viâ: haec per lucem, per caliginem illi.

II.

[Ad Pag. 11: *Quam tetris ..... pererrat ſcintilla.*]

Paraphrasis. Ratio! Ratio! illa ſupremi Ducis indubitata teſſera, tot adulteratur erroribus, tot in Veritatis inveſtigatione difficultatibus infringitur, vix ut ipſa ſibi conſtare, et Ratio jam ratio non amplius eſſe videatur.

Commentarius. Ratio (quod Textus innuit) lucerna noſtra; qua cum deſtituimur, obſcura ſunt omnia; caligo coeca, ſpiſſae tenebrae, nox horribilis. Quilibet etiam e vulgo, conſcientiae ſuae teſtimonio convictus, id agnoſcit et verbis palam praefert. Vide ſis Logicam meam part. alt. ſect. ult. cap. 9. Ratio etiam (quod Paraphraſis innuit) teſſera divinitatis, qua nutum ſummi ducis (Dei) et imperium perſentiſcimus. Sed, proh dolor!

Ratio in nobis magnam partem corrupta eſt, tum per Errores (qui Rationis, ſi lucerna eſt, fumi atri, et involvunt eam; ſi teſſera, adulteria, deflorant et inducunt eam), tum per Difficultates (quae Rationes, ſi ea igniculus eſt, dura cruda robora, et obruunt illam; ſi teſſera, obviae ſpinae, diſcerpunt et infringunt illam). Errores illi, Difficultates illae ſic affligunt Rationem, ut illa velut interclufo ſpiritu exſtincta dici poſſit, et jam non niſi creperam aliquam ſcintillam, ellychnio lucernae depaſtam oſtentare.

III.

[Ad Pag. 11: *Ludibrium ..... caligamus ſine duce.*]

Paraphrasis. Non mirum igitur, ſi inductâ et obliteratâ teſſerâ, ſocios et exploratores non internoſcimus, ſi confundimur, ſi ludibrium debemus hoſti.

Commentarius. Sic affectâ Ratione, ſi lucerna ea, neceſſum eſt, nos in viâ, qua gradimur ad Veritatem, miſerum in modum offendere, impingere, ac labi; ſi vero teſſera ſit Ratio, in expeditione, qua contendimus ad Palladium ex arce Naturae diripiendum, turbari nos oportet, et inter ſumma pericula verſari, ſigna hoſtium, ac Imperatoris noſtri, non recte diſpicientes; adeoque ſalutares ſaepe cogitationes ut infeſtas refutare, peſtiferas ut auxiliares copias amplecti.

IV.

[Ad Pag. 11: *hoc deteriore conditione ..... ſeductores.*]

Paraphrasis. Sed et hiſce malis (o pudor!) nos ipſi cauſam damus, tum impotentiâ, tum credulitate noſtrâ. Impotentiâ quidem, quia reductâ et ſe in ſuam caliginem abdente Ratione, quod receptui ſignum nobis eſſe debebat, excurrimus tamen avidi, neſcio quam fortuitam Veritatis praedam animo agitantes. Credulitate vero, quia cuilibet ductum directionemque polli-

centi acquiefcimus. Unde fit, ut loco unius Ducis, cui in verba juravimus, multis et variis nos temere committamus feductoribus.

Commentarius. Aviditas et credulitas duo mala importunifſima et exitialia iis, qui quando fatis a confilio firmi non funt, inter infidiantes etiam verfantur. Nafcuntur hi morbi ex confidentiâ, quam homines in fortunâ collocatam habent; vident enim hanc aliquando praeter fpem afpirare rebus afflictis, et quibus nec confilium nec res fuppetebat, iis tamen ex fententia nonnunquam eventum procedere. Sed efto; id in fortunae bonis (quae hinc etiam *fortunae* vocantur) obtineat; haec enim, feu cafu feu ratione parta fint, idem valent; imo nefcio quo pacto plus valent, magisque quod funt effe videntur, cum ea temere et aliud agenti cafus injecit. At in animi bonis, inter quae primas tenet Veritas, nihil juris habet fortuna; non enim reperit Veritatem, qui imprudens eam reperit, qui fortis uncum in illam impegit. Ambas, ambas fe manus praeftat fola Ratio: haec fola Veritatem attingere, capere, tenere poteft; quia Veritas nifi fui agnitione non tangitur; et vero agnofcit illam fola Ratio. Planius rem ob oculas ponam. Sit idiota quifpiam, et hic forte incidat in Librum Elementorum Euclidis. Amplam fane Veritatem nactus eft (fingula enim Effata fingulae Veritates funt), fed non capit illas (id ipfus ingenue fatetur); tunc demum capiet, cum ratio ex demonftrationibus acceſſerit. Idem ille idiota videat ferrum ad Magnetem accedere; videat aurum cum aere libratum in aëre, praeponderare in aqua; videat, quae magis obvia funt, noctium et dierum, hiemis et aeftatis viciſſitudines, incrementa ac decrementa luminis in Luna, aquarum in mari fluxus ac refluxus. Haec omnia cum videat, nihil horum capit, quia rationem, ob quam ita fint, ignorat, id eft, manu, qua capiat ifta, deftituitur. Quo agitur ifti mihi in fcientiis avidi, creduli, prurientes? Avem illam, Veritatem,

aucupantur; et manibus, quibus eam praehendant, truncati, ſomniis illam captant, et poſſident in aëre. Nota nobis paroemia, o Belgae. Avem in coelo habere, nihil habere eſt.

V.

[Ad Pag. 11—12: *Senſus noſtros... fides abrogata.*]

Paraphrasis. Cum ſeductores dico, Senſûs noſtros, Auditum, Aſpectum, Tactum, Guſtatum, Odoratum, et ſi qui alii ſint, non moror. Sunt vero etiam illi ſeductores; at non ita callidi, non ex aſtutiorum illorum et verſipellium genere, quos inſectari mox et agitare decrevi. Quilibet enim Senſus, cum alii ſuppetias non veniunt, ſtolidior eſt quam ut capiat eos, qui teretem mentem habent intelligenſque judicium. Ecce enim Aſpectus hominem procerum, ſi modo is turrim conſcendat, in pumilionem ſubito decreſcere teſtatur; quaſi jam gentilis ſit eorum, qui cum gruibus pugnant,

Ubi tota cohors pede non eſt altior uno.

Quis credat Aſpectui tam impudenter mentienti. Auditus nuper balatrones in ſpecubus et puteis deliteſcere dejerabat, qui loquentibus obſtreperent, et extrema dictionum importuni regererent. Credant hoc Philoſophi illi, quos Manducus veſperi ad cunas abigit invitos. Et denique Tactus (mirum, quantum hic ſibi ſumpſerit prae fratribus ſuis) nunquid urinatoribus ſaepius jam ſuaſit, et perſuaſit forte, nullum maris, etiam claſſibus conſtrati, pondus eſſe? Haec et id genus alia mendacia innumera, aperta, ſplendida ſatis arguunt, quemlibet de quinque illis fratribus, ſi ſuas tantum tendiculas objecerit, fruſtra fore, nec decepturum eorum quemquam, qui mediocriter ſapiunt. Quod ſi tamen conſpirare poſſent Senſûs, et factâ manu nos adoriri, nullus dubito quin facile circumvenire quemvis noſtrûm et illaqueare poſſent. Sed ipſi odiis inveteratis inter ſe diſſident; unde fit, ut ſaepenumero, quas hic nobis inſidias ſtruxerat,

has ille vel evertat vel prodat. Videndi ſenſus remum, qui pars in aëre conſiſtit, pars ſub aquâ conditur, fractum eſſe clamat; Tactus id ipſum conſtanter negat. Tactus e contrario, ſitulam ex fune demiſſam in ciſternam, ubi aquam ſubiit, a fune ſolvi teſtatur; id autem Oculorum acies explodit. Aſpectus item et Auditus, eminus forte hominem ligna findentem nacti, quemadmodum non ambigunt inter ſe! quemadmodum non altercantur! Auditus jam ferire cenſet, jam ſecurim illidi; Aſpectus inficiatur, et ſecurim jam in aërem attolli, ac alterum ictum minari confirmat. Et ita paſſim iſti

Terrigenae (facinus miſerabile!) fratres
In ſe conſtrictas conſeruere manus.

Hoc amplius, quod Senſus in Philoſophorum ubique pulpitis, ceu tribunalibus quibuſdam, ſceleris jam pridem accerſiti perfidiaeque condemnati, caſſâ ſint apud Sapientes omnes exiſtimatione. Jam Carteſius, Rationis ille vindex et Senſuum acris inſectator, peſſumdedit et abolevit, quidquid illis ex unanimi, quod ſubinde depromunt, conſtantique teſtimonio reliquum erat apud incautos quoſdam Philoſophos auctoritatis; nec minus ſuſpectum et ſubleſtum eſſe decrevit, quod ſtabiles concordeſque, quam quod vagi diſſonique profiterentur.

Commentarius. Tres igitur occurrunt cauſae, quae Senſuum fallaciam enervant, et vim ſeducendi, quâ pollerent alioqui, vehementer obtundunt. Et eaedem tres cauſae adferuntur in Oratione, cur hîc, ubi ſtelliones tantum et coryphaei ſeductorum accuſantur, Senſûs in numerum aliquem venire non mereantur. Prima cauſa eſt, quod Senſus ſinguli in valde multis negotiis fatui ſint, ſtupidi, ſtolidi. Altera cauſa, quod et ſi juncti aliquid poſſent, aegre tamen jungantur et conſpirent, quin potius mutuas fraudes ſaepe prodere ac detegere ſoleant. Tertia cauſa, quod Senſus ſint infames, et jam per omnium Philoſophorum Scholas tamquam ſeductores traducantur.

VI.

[Ad Pag. 12: *Sunt ſeductores alii..... diuturna familiaritas.*]

Paraphrasis. Sunt igitur praeter Senſûs ſeductores alii, iique ſpiritûs, inſtinctûs, Genii, majoris longe quam Senſûs noſtri fallaciae. Cumque Senſûs ut hoſtes abarceri, atque ad ambitum corporis propelli videamus, tum hos aditu dignatur Animus. Dicas eum conſuetudine ſibi hos Genios et familiaritate velle devincire. Sed qui familiares fuerant, paulo poſt neceſſarii, et ex neceſſariis non duces, quos ſe ferebant, ſed agaſones facti, flagris Animum, ceu inertem pecudem, huc illuc agunt impelluntque pro ſuâ libidine.

Commentarius. Genii iſti, Pantomimus, Mango, Dogmatiſtes, plane videntur eſſe de illorum genere, quos *Affectûs*, et vulgo *Paſſiones* vocamus; quibus unicum pabulum, quo et nutriuntur et creſcunt, obſequium eſt. Cupiditatibus ſuis morem gerere, earum impulſu facere quidpiam aut omittere, non eſt eas ſedare, ſed irritare; flammae ſunt, et oleo iſto affuſo creſcunt quidem, ſed non ſatiantur. Et certe plus ad decipiendum Cupiditas quam Senſus valet; imo nihil hic ad praeſtigias valet ſine cantu iſtius Sirenis. Quidvis enim Senſus exhibeat, non decipiemur, niſi ſtimulet nos et inducat proclivitas quaedam et velut libido credendi; atqui haec non alio referri quam ad Cupiditatem poteſt. Proclivitas haec impotentia quaedam eſt, luxuries, et animi profuſio, qua quod noſtrum eſt jactamus, et in alios temere prodigimus. Inquam, Senſuum noſtrorum perceptiones, quae nobis propriae ſunt, in cauſas a quibus excitantur tranſferimus. Et, cum v. g. paries iſte ſic affectus talem in nobis ſenſum cauſet, quo cum fruimur, album colorem nos videre dicimus; ipſum illi parieti ſenſum aſcribentes, id eum in ſe habere judicamus, quod in nobis, ut haberemus, effecit. Sic etiam in ſole lumen, in igne calorem, in corporibus colliſis, aut prope ab illis, ſonum eſſe judicamus; cum extra nos

illorum modo caufae, intra nos illa ipfa fint. Similiter ergo facimus, ac fi loca maritima, quod famem acuant, fame infecta, et gladium, quod fauciet, imbutum dolore, et poftem, in quem oculo forte per tenebras errabundi incurrimus, fcintillare putaremus. Senfûs, hac fafcinatione fublatâ, integri funt, incorrupti, nunquam fallunt aut falluntur. Cavendum igitur, ne quas nobis fenfus exhibet imagines, earum rerum effe putemus, quae iis formandis occafionem praebuerunt, neu quid extra nos illis imaginibus fimile comminifcamur. Hoc enim nulla fuadet ratio; fi vero hoc fine ratione fumpferimus, etiamfi forte verum effet, erravimus tamen; quid quod contrarium non fuadeat modo, fed et convincat Ratio? Sed non omnia huc promenda funt.

VII.

[Ad Pag. 12-13: *Tandem tamen ..... dicteriis profcindunt.*]

Paraphrasis. Verum enim vero appetente jam crepufculo Rationis, pudere coepit Animnm ignominiofae fervitutis fuae. Atque adeo hos Genios, hos fub ducum exuviis tenebriones, judicum, id eft Philofophorum fententiis exauctorare conftituit. Sed illi habent fui ftudiofiffimos patronos, qui rebus eorum (fic prae fe ferunt) aderunt ut difficillimis. Horum alii vano, fuperftitiofo alii, alii denique canino ingenio funt. Vani quidem illi, quos periculum, quos anceps eventus juvat, etiamnum poft tot errores et lapfiones experiri volentes, quorfum evadant (fi tamen evadant), coeci coecos duces infecuti. Superftitiofi vero, quibus a majorum veftigiis vel latum unguem declinare religio eft; quibus haec una bene firma videtur ad ftatuendum ratio, ftatutum effe jam dudum, etiam fine ratione. Hi velut heri funt; hos catelli comitantur, qui, quod dici folet, non mingunt nifi ad illum, quem alii ante perminxerint, parietem. His affentiunt, quibus affuevere, his velut caudâ blandiuntur; infolitum omne vago difcurfu latratuque perturbant, rictibus tandem etiam et morfibus infeftant.

Commentarius. Certe tribus his hominum generibus praecipui continentur errorum tutores et patroni. Et primum quidem qui recenſiti, auctores ſunt; hi concipiunt et gignunt Errores. Qui deinde notati, alumni ſunt; nutriunt Errores, et tempeſtive, quidquid eis nociturum videtur, abarcent. Nam qui aliqua forte de Naturâ rerum cogitatione, velut navi, qua per mare Philoſophicum feratur, oblatâ, curſum dirigit non ad Cynoſuram Rationis, ſed ad Erraticam Eventûs; longiusque provehitur, et gratulatur ſibi, quamdiu obvia conſentiunt, et inſtitutum errorem nec remorantur nec produnt; donec quaſi tempeſtate aliqua, ad inopinatam et votis non reſpondentem *Experientiam* tamquam ad ſaxum adhaereſcat; — is profecto in hac Errorum claſſe familiam ducit, et praetoriam quaſi navim gubernat. Caeteri lintribus ac phaſelis paſſim inſecuti, dum numero inter ſe ac turbâ confidunt, conſueſcunt cum erroribus, ſolitos eos ac familiares reddunt, et (ſi opiniones praejudicatae praeſtare periculum poſſent) etiam tutos; cum aut non errare penitus, aut non imperite videantur errare qui tam frequentes errant. Breve dicam: Sors parit errores, Mos nutrit. Rationem enim ceu lucernam aliquam mentibus noſtris accendit Deus; Sortem nobis coecam eſſe voluit et meram noctem. Cum igitur non ratiocinari jam (quod nati ſumus), ſed, quod Sortis eſt, conjicere, divinare, ſuſpicari lubet; etiam cum ſic in Veritatem incidimus, tamen aberravimus. Errores, quos ſic alii peperêre, fovent alii; cum eorum primo, qui praeeunt, ac dein mutuâ contemplatione, eaſdem conjecturas et opiniones amplectuntur. Hoc jam moris eſt, illud ſortis erat.

VIII.

[Ad Pag. 13: *His freti patronis ..... corruptor Mos.*]

Paraphrasis. Horum in Cimmeriâ Republicâ tam potentium patronorum clientes cum ſe ſentiant Genii noſtri, Ducatu, quem malis artibus ſibi ſumpſerant, abire nondum decreverunt.

Quin potius in Academiis, ubi magno paſſim apparatu, magnâ pompâ, iter inſtruitur ad Veritatem, Doctores ſe ambitioſe Ductoreſque profitentur; sed ampla quaedam polliciti, deludunt credulos; et, cum ſponte ſuâ cupidam juventutem, tum ſpecioſis promiſſis vehementer illectam, abducunt in laqueos et in avia. De Senſu quidem accepimus, olim eum, Epicuro patrono, ridiculos in caſſes impuliſſe quem paſcebat gregem. Dicebant Epicurei, nunquam Senſum fallere, ſaepe Rationem delirare; proinde, ſi quid certi vellemus amplecti, abeundum a Ratione, et ſtandum eſſe cum Senſu. Interrogati, num igitur Sol in ortu major eſſet, minor in meridie (id enim videndi Senſus perhibebat), non dubitabant affirmare. Inſtabant qui rogaverant. Atqui, inquiebant, Sol, cum aliis oritur, tum aliis meridiem facit; ſimul igitur, et tanto major, et tanto minor Sol eſt. Hîc irretitos ſe ſenſerunt Epicurei; cumque non eſſet quod apte reſponderi poſſe videretur, irridebantur. Sic Senſus ſuum gregem; sed Genii noſtri turpius longe, longe ſceleſtius fallunt credulos et incautos ſuos ſectatores, eoſque velut abrupto repente filo, in Philoſophico Labyrintho deſtituunt, a confuſionum Minotauro devorandos. Et haec eorum non obſcura praevaricatio, explorata ſatis cum helluone colluſio; niſi Mores nos, quibus ceu foedere quodam obſtricti nefando monſtro tenemur, faſcinarent. Moribus effectum, ut errare non pudeat, ut irriti laboris non poeniteat; ut jam debere videamur, quod ſaepius per injuriam extortum eſt. Sicut enim Athenienſes Anthropophago Tyranno ex foedere ſuos liberos commeſſandos objiciebant, ſic ex more plerique nugis et ineptiis bonas horas.

Commentarius. Conſtat eum qui, utique (ſi fieri poſſet) Ratione repudiatâ, totus cum Senſu facere decreviſſet, concinnius erraturum nec perinde multa turbaturum, ut hos, qui Geniis illis Pantomimo, Mangoni, Dogmatiſtae dirigendos ſe dederunt. Cum enim Epicurei, aut quicunque illi (non moror

enim ſi in numero Fabularum reponatur iſta narratio) de induſtriâ Senſum audirent, obſtreperent Rationi; poterant, in eâ quam induxi diſputatione, adverſariis ſuis ſcite reſpondere: Rationi quidem ineptum ac abſurdum accidere, ſi dicas idem ſimul et majus et minus eſſe, non vero Senſui; qui memorare poterat, idem cominus ac eminus viſum objectum, majorem etiam ac minorem ſui ſpeciem in animo ſignare. Se vero de Ratione, cui res ſuas habere juſſerant, non laborare; aequi bonique conſulendum, ſi Senſui probarentur quae cenſerent. Sic illi cum ratione aliqua univerſe contra Rationem (ſi conſtare ſibi hoc diſſidium poſſet) ire ſatis lepide viderentur. Sed qui Geniis ſe manciparunt, et imperitius errant, et errorum nulla gratia; turpis ſqualor et inficeta barbaries. Quod cum exemplis, tum rationibus, Oratio, in quam commentamur, comprobatum dabit.

IX.

[Ad. Pag. 13: *Seductores hos ..... ſoli vindicabo Rationi.*]

Paraphrasis. Auſus, o Amor Sapientiae, ad te tuoſque candidos collegas, Veritatis intaminatos ſacerdotes, in jus adire; auſus ego perfidos illos, et ſe patronis ſuis necquidquam efferentes veteratores, capitis anquirere; Te ipſo adductus pulcherrimo judice, fretus optimâ cauſâ, eorumque, quos in conſilium adhibes, ſummâ ſanctimoniâ.

Commentarius. (1.) Pedum (id eſt baculus paſtoralis) inſigne paſtoris eſt, qui dux quidam ſuarum ovium. (2.) Indicem (id eſt digitum pollici proximum) ad viam intendere, et inſigne ducis eſt, et etiam munus. (3.) Dexteram manum axillae inſerere, et ita ſuſtentare greſſum ejus quem dirigas, ducis item officium eſt. Cum igitur et munia haec (3. et 2.) et inſignia illa (2. et 1.) Genii noſtri involaverint ſubdole, uſurpent injuſte, cum ſummis eorum quos ducunt opprobriis,

periculis, damnis, deturbandi ſunt competentium et legitimorum judicum ſententiis et auctoritate ab injuſtâ iſtorum inſignium et officiorum poſſeſſione. Quam in rem, ego quidem mihi partes Accuſatoris depoſco; Amor-Sapientiae (ſic enim decet) judicis officio fungetur; Aſſeſſores erunt quotquot vere doctos et vere candidos, nulliſque velut opinionum muneribus corruptos, totos, totos, purus ille purae Veritatis Amor inceſſit. Et hos quidem Aſſeſſores Textus innuit; Paraphraſis autem (forte quod tales aliquos in humano coetu repertum iri diffideret) Coelum adiit, et inde divo judici (Amori-Sapientiae) divos collegas adſcivit: Nitorem, Ordinem, Candorem, denique Fas et Aequum, Veritatis (quam ſolam ſpectant, cui ſe jugiter conſecrant, et ſua omnia ſemper immolant) devotiſſimos antiſtites. Ego igitur hac meâ in Seductores Actione (quid enim talibus judicibus et tali cauſâ non ſperem?) illis ipſis Geniis Pantomimo, Mangoni, et Dogmatiſtae (1.) baculum paſtoralem extorquebo de manibus; (2.) digitum vero ſecundum a pollice, quem ad viam jugiter intendunt ac porrigunt, caeteris digitis, qui in volam inclinantur (hoc enim geſtu viam demonſtrare ſolemus) aequabo, id eſt, etiam inclinabo, ut tota manus jam ſit in pugnum contorta, adeoque ad dirigendum inepta; nam clauſâ manu commonſtrare non ſolemus. (3.) Tandem dexteram manum, qua tanquam fortiori, eorum quos ducunt axillas ſuffulciunt, inde retractam, revinciam Geniis noſtris poſt tergum. Tum vero et inſignia illa et munia, Geniis erepta, tranſcribam Rationi, cui debentur ſoli. Pedum illa gerat, et nos ſola paſcat, quae ſatiare nos ſola poteſt (inanem tantum ſpeciem propinant Genii, quae deludit oculos, mentem non explet); ſola monſtret viam, quae ſola videt (Genii omnes coeci ſunt); ſola greſſum nobis firmet, quae ſola ſana, ſola viget et conſtat ſibi (vix artubus haerent Genii, languidi, flaccidi, laceri).

X.

[Ad Pag. 13: *Sic adverſariis ..... ferale Theta.*]

Paraphrasis. Sint in foro Vanitatis nugatoribus illis quales merentur patroni; ubi Sors coeca cognoſcit cauſas, vitilitigant et altercantur inter ſe diſcordes *Experientiarum* rabulae; avida ſibi litem addicit exſpectatio, anceps eventus comperendinat, et tandem caſu vel tempore detectus error pronunciat ſententiam. Habeant in Superſtitionis tribunali, qui ſuâ cauſâ plurimum velint; ubi ex tripode jus dicit Auctoritas; ubi quod majoribus placuit (imo non placuit ſubinde, ſed aliud agentibus excidit) decretum, lex et oraculum eſt; ubi laborant ſub verborum involucris perplexa myſteria; ubi de mente unius aliquando Scriptoris diffuſae rixantur Notae, cavillantur Interpretationes et Commentaria. Gratiâ etiam valeant in Conſuetudinis regno praepoſtero; ubi non fit quod faciendum eſt, ſed, faciendum eſſe quod paſſim fit, ſumma lex eſt; ubi Mos canino rictu diſceptat controverſias, tumultuantur Opiniones communiter receptae; in novum quodcumque latrant et calumniantur Adagia popelli, Poëtarum verſiculi, Senſa vulgi; et contra Rationem, longi temporis praeſcriptionem objicit, gregatim ipſa ſe pecudum ritu ſecuta, Multitudo. Aſt in hac Curiâ, in hoc templo ſanctitatis, amplitudinis, mentis; ubi tu praeſides et leges exerces, o ſalutaris Amor-Sapientiae; ubi latus tuum cingunt religioſiſſimi pontifices; in hoc judicio collegae et ſocii tui, Nitor, Ordo, Candor, Recti tenor, et Aequitatis ſplendor; ubi Rationi advocatum veniunt cana Fides, genuina Simplicitas, et pacata Modeſtia; circumſtant alacres Attentiones, Studia in Veritatem et alta Silentia; Foris excubant vigiles Induſtriae, Conſtantia, Sedulitas, et late vulgi curas ac celebritatem abarcens Solitudo, et improbus cum nocturnis Lucubrationibus Labor. Sed ecce tibi! Hoc tam auſtero ſatellitio perterritos, procul aufugiſſe ſentio delicatos et imbelles Geniorum

noftrorum patronos, et ne quidem ad veftibulum hujus arcis clientes fuos comitari fuftinuiffe. Quid fi in haec adyta bubones, in hanc tantam lucem et decus involaffent? Prorfus nihil abfuiffet, quin adverfo fulgore perftricti, confternati, attoniti corruiffent, egiffent animam. Igitur praefidio deftituti Seductores, vano quidem illo et fatuo, tum apud hofce judices invidiofo, deteftabili, caduco, viderint ipfi, qua fe ratione contra Rationem defendent. Hoc tantum fupereft. Arma petant a Ratione, quibus ipfam jugulent contra rationem; quae fi impetrare fe poffe diffidant (quid enim Rationem in furias agat? quid ipfam Mentem dementet?), praefentiant jam nunc, quae Fabulam hanc maneat cataftrophe.

Commentarius. Perverfi et ftolidi homines illi, qui Rationem rejicere, aut ei anteferre aliquid (velut Experientiam, Auctoritatem, Enthufiafmum; aut in ufu vitae, commoda, voluptates, honores) quoquo modo videri volunt. Interrogati enim, cur ita cenfeant, conantur illico fuae fententiae rationem aliquam comminifci; atque adeo, quod palam profiteri, quod verbis aftruere videbantur, re ipfâ, ipfo fuo facto demoliuntur et evertunt. Quomodo enim Ratione potior et antiquior Auctoritas, Experientia, aut aliud hujus generis quodcunque, fi cur ita fit, dicenda eft ratio? Certe quod ratione aliqua fuaderi probarique debet, totum id fub Ratione eft. Primum igitur, o homo, Ratio eft; aut fi quid ea prius eft, fine ratione prius eft; nam fi rationem dederis, ob quam prius fit, jam neceffum eft, non illud, fed rationem illam priorem effe fateare. In eo autem, quod fine ratione eft, jubet Ratio, rationem non quaerere; igitur ne hîc quidem manu mittit te Ratio; etiam cum extra fines ejus ditionemque conceffferis, tu tamen in imperio ejus et poteftate permanes. Tibi igitur, o homo, primum eft Ratio.

XI.

[Ad Pag. 13—14: *Prodi huc primum....... Philofophiae noſtrae dumeta.*]

COMMENTARIUS. Pantomimus ejuſdem ferme naturae eſt cum Cupidine, carnis impudico illo Genio. Pueri quidem ambo; caeterum ſimplicitatis et innocentiae nihil; perſonati ambo, et ſub puerili habitu circumferunt aſtutiſſimos veteratores. Molles ſunt, ſed vigorem omnem roburque conſopiunt; humiles iidem et puſilli, ſed quidquid in animo ſurgit et elatum eſt dejiciunt, inter nugas et crepundia ſua contorquent. Pueri tamen merito cenſentur, quia blanditias tantum et voluptatem curant, qua trahi, paſci, demulceri, puerile eſt; quomodo videmus pueros ſaccharis ac bellariis (quae viris nauſeam movent) ſupra modum ineſcari. Hinc etiam Philoſophi Intemperantiam, cum deliniri animus et voluptatum illecebris pellici ſe ſinit, puerile vitium eſſe cenſuerunt. Pantomimus igitur cum voluptate facit, Heliconis Genius, et Poëtarum deliciae. Omnis enim Poëtarum a Metaphoris et Allegoriis lepos; hae (quod in Logicâ notabam) ubi latius quam par eſt excurrunt, et animi gratiâ diffuſius luxuriant, in Fabulas faceſſunt. Et certe, quae paſſim Fabulae a Poëtis deſcriptae circumferuntur, non aliud ſunt quam Allegoriae ſic amplificatae. Quo etiam nomine a Poëtis eorumque fautoribus aut excuſantur aut commendantur: quod nempe ſub cupediis et aurato cortice ſalutarem aliquam medicinam contineant, quam adoleſcentium animis, non niſi laſcivire et catillare volentium, furtim inſtillent; adeoque non ſentientes ſanent, et, quod vere divinum eſt, per impoſturam conferant beneficium. Ego Pantomimum ita ſobrium, ita frugi, non arguo; ſed ambitioſum eum petulantemque compeſco, interponentem ſe rebus non ſuis, turbantem, ficta cum ſeriis et vera cum ſeriis et vera cum falſis promiſcua ducentem, excutio, inſector, exagito.

XII.

[Ad Pag. 14: *Genius hic ..... cupiditatibus inducit.*]

Commentarius. Vis mira nobis, homines, indoles mira. Ita complexu et conjunctione gaudemus, tam fumus fociales, ut ea etiam in focietatem noftram vocare videamur, quae fera, quae bruta, quae fenfûs omnis expertia, nullâ teneri focietate poffunt. Potentiorum viribus oppreffi muta, furda teftantur, coelos, mare, fidera. Abfentium defiderio languentes, annulum, veftes, arrham, in lacrymas foluti ofculantur. Irâ perciti, injurias fuas perfequuntur in calices, in fedes, in vitra feneftrarum. Quo fpectant etiam phrafes quas frequentamus et loquendi formulae: nam veteres aedes ruinam minari, prata verna ridere, laetas fegetes, faevum mare, bibulam arenam, pedem montis, et fexcenta quotidie fimilia, inter confabulandum effundimus; quae clare arguunt, nos perfonam noftram rebus inanimis, in fcenâ vehementiorum fermonum faepe admodum imponere. Hoc amplius: fimias, bubones, ranas, deformes et turpes animantes effe, paffim affeveramus; quid ita? cur potius hac infamiae notâ inuruntur quam equi, oves, galli? Nimirum propter majorem nobifcum in figurâ fimilitudinem; tum etiam (quod praefertim in fimiis valet) propter fimiles quafdam gefticulationes, facilius quam animantes aliae in humanum genus adoptantur, intra quod imaginationis ope confiftentes deficiunt, et confpicuo formae ab hominibus, cum quibus componebantur, receffu, fiunt monftrofae; quo utique probro non laborarent, fi in familiâ fuâ permanere, et id modo quod funt apparere potuiffent. Jam totum illud Metamorphofeon opus, illud Phoebi corculum, non alio fpiritu falit; crebrae illae hominum in feras et aves, in arbores, fontes, et faxa commutationes, undique fpirant Pantomimum, et Ovidius, qui ipfiffimus ille Genius fub humanis exuviis videri poteft, tam hîc feftive lufit, tam non cecinit fed pinxit ad vivum,

ut in ipſo converſionis puncto, quo veſtigium veteris et rudimentum novae formae commiſcentur, in lupis, equis, bobus, arboribus, ipſos homines, quos in ea transformari narrat, non animo tantum, ſed oculis videre videare.

XIII.

[Ad Pag. 14—16: *Dum animi gratia .... Sinas adhuc et Turcas agitant.*]

Commentarius. Quamvis cum omni vehementiori affectu, ſeu *paſſione*, facile conſueſcat Pantomimus, praecipue tamen irâ gaudet; et conſtat eos, qui vindictae cupidine diſtenduntur, iſto etiam ſpiritu plerumque turgere. Id etiam hiſtòriae probant, quae in Textu afferuntur. Tres enim priores Pantomimum in irâ ac furore nidulantem inducunt; ſola poſtrema eſt, quae illum benevolentiae vel ſollicitudine alicui adhaerentem exhibeat. Irae igitur et ſtomachi familiaris convictor Pantomimus; ſed in trivio. Nam in Scholâ factiones alias ſequitur, Deſidiam et mollitiem, Rationis auſteram ſemitam formidantes, Pruritum et Veritatis fortuito conſequendae praepoſteram aviditatem, Superſtitionem, Mores. Interdum etiam, nullâ ſingulariter cauſâ ſtimulatus, mere pro libidine ſuâ, Scholam infeſtat.

XIV.

[Ad Pag. 16 -17: *Dies me deficiat ..... recalcitrantem feram.*]

Commentarius. Equidem Actor ipſe, quae domi gerit Pantomimus, in bonam partem accipiebat (p. 14), confabulantem cum Poëtis ſuis, ludentem cum ludionibus, dummodo ſana, ſeria non defloraret, non vitiaret, aequo animo ferebat. Alteram excuſationem Pantomimus pro ſe moliebatur (p. 15); apparebat enim ex geſtu, aliquid dicturum; sed ibidem, quantum conjicere poſſumus, falſo, nec opinato ſarcaſmo ab Actore repreſſus, obmutuit. Hîc tandem prorumpit in illas voces, quae Exceptionem, Adulationem, et Purgationem aliquam continere

videantur. Exceptio id agit, ne coram hoc judice (Amore-Sapientiae, ſeu Philoſophiâ) de illis criminibus accuſandus videatur Pantomimus, quae in Philoſophos non commiſerit. Adulatio tecta, aſtuta; palpat Philoſophos (praeſertim politicos illos et regnandi avidos, quibus hoc jugiter in ore: *Beata Reſpublica, in qua Philoſophi regunt, aut reges philoſophantur*); primum quidem, quod omnes, qui hactenus in Textu decepti leguntur, cenſeat cum plebe, cum tamen inter eos ſint potentiſſimi reges, Cyrus et Xerxes; in eo Philoſophos ipſos ſecutus, qui promiſcue omnes, cujuſcunque in Republicâ dignitatis aut meriti, ſi modo Philoſophorum Albo aſcripti non ſint, in ordinem redigere ſolent, iiſque *vulgi* vel *Plebis* notam inurere. Iterum adulatur, cum hoc ipſo Philoſophos occulte rectores rerum moderatoreſque profitetur (velut memor ejus quod de ſe canunt Philoſophi: *Sapiens naturâ rex eſt*). Quibus etiam in domando populo induſtriam et artes ſuas offert. Purgatio tandem in eo verſatur, quod uſu jam ſatis edocti ſimus: Rationem imbelle populo continendo vinculum eſſe; felicius longe regimen ſtare, ſi, qui in imperio et poteſtate ſunt, cum decipi omnino velint, inſtinctibus et cupidini ſuae relinquantur; ipſos illos tacitos inſtinctus, qui a Pantomimo et reliquis Geniis proficiſcuntur, fraenum ſubminiſtrare, quo ſuſtineri, et flagellum quo agi poſſit mala illa beſtia, Populus.

XV.

[Ad Pag. 17: *Nihil de iſta Politica ..... verrucae tantum.*]

Commentarius. Tres partes in oratione Pantomimi obſervatae nobis fuerant; Actor duabus tantum reſpondet, Adulationi et Purgationi; Exceptioni nihil. Non quod hanc remittat concedatve (nam judex hic non in Scholâ tantum, quae regni ejus metropolis eſt, ſed univerſe in humanâ gente cauſas cognoſcit, cui dies nocteſque conſulit); verum quod Actor ipſe ſponte ſuâ properet ad eam partem, in qua ſumma hujus judicii totaque

caufa confiftit; ubi cum Pantomimo fraudis et injuriarum agendum eft, quas in Philofophos, qui judicis noftri curiales et aulici funt, quotidie machinatur. Omiffâ igitur Exceptione, Adulationi, quae perverfiffimam aliquam Politicam celat, perfunctorie, fed generofe refpondet Actor. Quantum hodie a fimplici et generofo difceffum! Nobis illi libri teruntur (ut recentes peftes omittam), qui Tiberios exhibent, Caligulas, Nerones, et reliqua illa non Principum fed fcelerum nomina. Ex his acroamata leguntur, quae quo magis vafra, torta, ficta, hoc arcana magis et politica videntur. Itaque altum inculcantur juventuti, quae in fpem adminiftrandae Reipublicae fuccrefcit; his generofum omne ftrangulare, futilia tutari fciet. His fcilicet artibus et Tyranni illi pulcherrimum imperium a majoribus acceptum, res florentiffimas perdidere, et Chriftiani Principes jam a tot faeculis Oriente toto cedunt; et quo tandem cedent? Seditiofi, difcordiofi affuefcunt Barbari Latronis nutum obfervare, minas expavefcere. Vah degeneres! Tandem quod Actor ad ipfam Purgationem refpondet, breve eft, fed continet fummam totius accufationis: nempe Pantomimum decepiffe Philofophos, et magis hos turpiufque decepiffe quam plebem. Quod fequentibus in Textu argumentis probandum eft.

XVI.

[Ad Pag. 17: *Vin' tibi Stoicos .... Staticam exercere deprehendit.*]

Commentarius. Mirum eft, homines intelligentes et doctos ad hanc Philofophandi rationem injectos fuiffe, ut illis quae paffim inanima vocantur, lapidibus, lignis, igni, aquae, fenfum aliquem intelligentiamque tribuerent. Cum enim ipfi, qui credi illa volunt, nunquam fuerint aut lapides, aut metalla, aut aliud hujus generis quodcunque, utique, num haec cognitione fenfuque cenfeantur, coguntur ignorare; adeoque, cum hîc fcientiae locus non fit, reliquum eft, ut *Hypothefim* aliquam

afferre ſe fateantur. At *Hypotheſis* in Diſciplinis huc tota refertur, ut declaret et facem praeferat rebus obſcuris; quam vero lucem ſperes ab *Hypotheſi*, quae tota caligo, tota nox eſt? Conſtat equidem, nos multos membrorum noſtrorum motûs noſtrâ cognitione et intelligentiâ moderari; sed totum id mutuae, quae inter corpus et mentem intercedit, actioni referimus acceptum. Quippe corpus in mentem, et viciſſim hanc in illud agere, conſcientiâ notum eſt; cum enim corpus in oculi pupillâ certo modo vibratur, lumen et colores conſequuntur in mente; cum corpus in aure, in linguâ vel palato, in cute, ac alibi concutitur, reſultant in mente ſoni, ſapores, odores, calor, frigus, dolor, et id genus affectiones innumerae. Rurſum, cum mens noſtra vult, pedes in corpore moventur, et imus; lingua movetur, et loquimur; manus moventur, et apprehendimus. Igitur animum in corpus agere, et viciſſim ab hoc accipere et quaſi pati, eſt in confeſſo; modus vero, quo agit et patitur, abſtruſiſſimus et penitus ineffabilis eſt humanae menti. Quid enim opus eſt, vibratis certo modo nervis, obverſari animo lucem, colores, ſonos, ſapores? Quid item opus eſt, cum animus aliud atque aliud voluerit, alium atque alium motum manare in corpus? quis conſequentiam illam capit? quis tam lynceus eſt, qui hîc aliquid videat? Cum igitur modus rei tam ſit obſcurus nobis, qui rei ipſius intimam habemus clariſſimamque conſcientiam, quantae nebulae, quanta nos opacabit nox, ubi res et rei modus (quod in his, quae pridem commemoravimus, uſu venit) pariter et ex aequo fuerint obſcura? Plerique vero, qui dictis rebus intelligentiam aſcribunt, hanc ſuam aſſertionem non quidem per ſe notam eſſe volunt, nec etiam ut *Hypotheſim* afferunt, ſed ut *Concluſionem*, multis eam indiciis et argumentis comprobantes. Videntur, inquiunt, ſtellae ſuas orbitas, gravia terram, chalybs Magnetem noviſſe; nam gravia ſublime poſita, ſimul ac integrum datur, breviſſimâ viâ terram repetunt; ſtellae ab orbitis, quas inſtitere, nunquam deflectunt;

et chalybs in amplexum Magnetis, renitente corporis fui pondere, quantocius afcendit. Sed reputent illi fecum, haec talia, quamvis mente praedita forent, atque perfpicerent, unde recedendum fibi et quo tendendum effet, tamen hanc fuam fcientiam exferere nunquam poffe, nullum cognitionis iftis exercitium aut ufum fore; non eft enim iis corpus aptum, quo quod mente conceperint exfequantur. Nos quidem manum, pedes, linguam movemus; fed funt nobis idonea motûs inftrumenta, mufculi, nervi, denique fpiritûs, qui mufculis illapfi, motum mufculis pro mentis arbitrio difpenfent, quibus nihil fimile refpondet in filice (ut unum illum de inanimis capiam inanimum valde), quo defcenfum moliatur. Sed etfi forte filex generatim e fublimi difcedendum fibi decreviffet; tamen cum in fublime datus fuerit, unde refciet hanc fortem fuam? oculis et alio quocunque fenfûs inftrumento, quo id perfentifcat, deftituitur. Tandem ponamus nobis ob oculos cribrum, atque id, fi lubet, fenfu praeditum dicamus, ut furfures ac pollinem internofcat. Dic, age, quoniam id jam poni placuit, quid ad fecernendos a farinâ furfures conferet illa cognitio, fi non corpus cribro multis minutifque foraminibus pertufum detur? Hoc vero corpore in cribrum collato, quid jam ei opus eft mente vel fenfu? Manibus noftris, ut folet, varie quaffum et agitatum, tenebit recrementa, trajiciet farinam, five interim compos, five (quod eft profecto) mentis fit impos. Atqui item, inquam, quid gravibus, quo deorfum vergant, quid ftellis, quo in orbem ferantur, quid ferro, quo Magnetem adeat, mens fenfufque proderit, nifi corpus iis aptum (quod ex poris et figurâ definiendum eft) obtingat, ut vicinorum corporum impulfu vel deorfum agi, vel in gyrum ferri, vel alio denique protrudi queant; quod fimul ac nacta funt, jam fatis habent: labi, circuire, fequi poffunt, etiamfi non cognofcant.

XVII.

[Ad Pag. 17—18: *Sed miſſos faciamus ..... antequam ſcivimus.*]

Commentarius. Quibus Philoſophis (ſi modo Philoſophi illi, et non verius Poëtae) nativo vultu Pantomimus placuit, imbelles illi debent ſibi, quod levi fraude (blanditiis) capti, multis deinceps errorum laqueis implicentur. Pantomimus enim ſuam a ſe naturam expellere non poteſt; lepidus eſt, blandus eſt, ludit. Eorum erat, animum obfirmare et crepundia haec ex alto deſpicere. Si quibus vero ſic affectis, ut Pantomimum ſerio traducant, palam exſecrentur, cum his etiam, qui ſigna ejus ſequuntur, internecinum bellum gerendum ſibi putent; Pantomimus tamen ita temperet negotium et refingat, ut iidem illi clam et re ipſâ ſtent a partibus ejus, et toti faciant cum ipſo. Hae profecto non artes jam, non fraudes, ſed praeſtigiae ſunt iſtius Genii. Peripateticos dico, quos volentes nolentes praevaricatores ſibi appoſuit praeſtigiator ille. Negant illi palam et conceptis verbis, elementa, ſidera, metalla, lapides cognoſcere; re vero et tacitâ quadam ac interiore, quam ipſi met non ſatis capiunt, animi ſui ſententiâ, non aliud clamant, id unum profitentur: cuncta cognoſcere, et in ſuis actionibus ſuâ ſe cognitione dirigere. Haec fere ſola Philoſophiae iſtius elementa, haec prima lineamenta, quae ut variis poſtea coloribus inducantur, peritis tamen pictoribus non latent. Quod deinceps in Textu vide, quem huc uſque Commentario proſecuti ſumus. Cui, quando jam domum venit, et res ſuas agere ingreditur, bene agere et valere.

QUAESTIONES QUODLIBETICAE

IN UTRAMQUE PARTEM DISPUTATAE.

SERMONI ANNO 1665 LUGDUNI BATAVORUM EDITO SUBJUNCTAE SUNT VARIAE LECTIONES EX EDITIONE ANTVERPIENSI ANNI 1653.

QUAESTIONES QUODLIBETICAE.

Quaestio I.

An mutuae per plateas [1] et templa Salutationes approbandae?

Nosci omnes appetunt. Non notum fuisse, ferme est non natum fuisse. Ii ipsi, qui Cynico [2] quasi stupore perculsi, in dolium se abdidere [3], familiares salutationes et celebriora commercia dedignantes, id unum agunt, ut facti raritas oculos in se defigat intuentium, dum caeteri, consueta tractantes, levi oculorum conjectu [4] transmittuntur. Quid ni igitur Salutationes illae inter amicos passim obvios [5] sint approbandae? quibus solis et nosci se a multis et amari videt et coli, cui illae frequentiores obtingunt. Adde, hoc pacto futurae amicitiae fundamenta commodissime jaci [6], dum qui primus salutat, aut parem aut majorem illius erga se animum explorat et tentat, qui in resalutantis nutu vel gestu manifesto plerumque se prodit indicio. Dum interea qui saepe jam salutavit ac resalutatus est, ad colloquium et familiares sermones et prorumpit fidenter [7] et admittitur facile [8]; in his et animi sui sensa

1 Vicos. 2 Stoico. 3 perculsi delitescere affectant. 4 Levi obtutu. 5 Plateales illae inter am. pass. obv. salutationes. 6 quod ... jaciantur. 7 sermones confidentius prorumpit. 8 et facilius adm.

ſtudiaque ſignificat [1], et obſequia defert, et, quod amare perſpiciatur [2], redamatur; fitque jam ſubito [3] neceſſarius et intimus, qui paulo ante totus erat praeter rem et [4] extraneus. Quin etiam veteri et radicatae amicitae fomentum ſuppeditant et ſuccum blandi illi amicorum ſibi occurrentium applauſûs [5], ſuaves arriſiones [6]; quibus nihil aliud quam mutuos mores et genium noviſſe ſe fatentur et approbare. Eſtque uſu et experientiâ [7] quam notiſſimum, nubilam curis et moerore mentem vel uno benevolo arridentis oculi radio ſaepe detergi ac defaecari. Quin etiam leviter interdum ſuſcepti ſimultatum igniculi, — irarum tamen et inimicitiae incendia, ni ocius proviſum fuerit, meditantes, — hac arte commode praefocantur [8], et animi ad lenitatem dantur, ut, ſi [9] quid jurgii et offenſiuncularum [10] inter amicos obortum ſit [11] (ſic enim vivitur), ſalutet prior qui anſam dedit indignandi, aut viſus eſt dediſſe. Denique his ultro citroque [12] ſalutantium officiis [13] conſtat [14] publico vigor et vita [15]: dum in platearum compitis obviam facti, catervatim inter ſe inclinant [16], feſtivo ritu capita nudantes, et in templorum atriis, ſtridente [17] plantarum ad pavimentum affrictu [18], neſcio quid ſolenne exhibentes.

His argumentis [19] tamen multum derogat perverſa et indigna quorundam ambitio, hoc officii genus, quod amicorum candor progenuit, in faſtum et faſtidium praepoſtere detorquentium, dum grandi elatoque ſupercilio obambulantes, et neſcio quid luridum ac torvum tuentes [20], obſequiorum et ſalutationum

---

1 patefacit. 2 quia am. perſpicitur. 3 fitque ſtatim. 4 *omitt.* praeter rem et. 5 annutus. 6 arriſus. 7 *omitt.* usu et. 8 mariter sopiuntur. 9 *add.* quandoque. 10. *omitt.* et offenſiuncularum. 11 interciderit. 12 *omitt.* ultro citroque. 13 mutuis obſequiis. 14 *add.* in. 15 vivacitas vigorque. 16 ſibi applaudunt. 17 adytis, ſtrepente. 18 attritu. 19 *omitt.* argumentis. 20 affectantes.

vectigalia [1] jure ſuo exigere videntur. Quae ſi quandoque praetereuntium vel ſimplicitas vel candor pendat, idem tameu illis, qui [2] ante, ſtat ſilens ac feralis aſpectus [3] ac non niſi poſt juſtam moram manus gravate ad pileum aſcendit, eumque tranſverſum vix unguem a capite tollit [4], et faſtidium ilico reponit, erubeſcente interea officioſo ſalutatore, et anxio, quibus caeremoniis [5] infeſto illi et male ominato numini deinceps ſupplicandum ſit [6]. Sed quod hi affectant (et non ferendum eſt) [7], hoc Philomuſi illi et mortuorum ſocii praeter animi ſui ſententiam patiuntur (et ignoſcendum eſt) [8]; ut nimirum diſtractâ ſaepe atque in muſeio pluſquam ſemirelictâ mente, in [9] publicum prodeuntes, amicorum occurſûs non percipiant, eoſque velut [10] ignotos praetereant, aut impenſe officioſis [11] tantum frigide [12] reſpondeant. Itaque in ſermonem incidunt et vapulant: nam habet [13] iſta ſuſpicio neglecti officii [14] acre quid et mordax, quod acerbam ex intervallo [15] vellicat, nec ſopiri patitur memoriam; ſcilicet [16] turpis repulſae ſpeciem habet, ſi, quem ambibat ſalutans, is reſalutando non deferatur honos. Atqui a tam futili [17] cauſâ ſaepe compertum eſt provenire, ut boni doctique viri, ubi pro meritis amari ſe putant, maledicorum quidem linguis (quod ſolet) exagitentur, ſed nec amicorum (quod par erat) favore ſubleventur [18]. Denique compoſitis his ſalutationum geſtibus, quibus in dies adoleſcentum vanitas addit demitque, ineſt virilis animi quaedam effaeminatio et fucata [19] laſcivia: quae per ſimulationem humanitatis [20] libidinis cauſam [21] agit. Venuſtarum mulierum ac juvenum

---

1 tributa. 2 ut. 3 obtutus. 4 ad digiti latitudinem capiti demit. 5 quo ritu. 6 infeſtum illud numen impoſterum ſit applacandum. 7 quod in his affectatum eſt et non ferendum. 8 hoc eſt in viris ſtudioſis aliquouſque naturale, ideoque ignoſcendum. 9 per. 10 ut. 11 aut officiis. 12 ex parte. 13 Iis tamen ſaepe non parcitur quia idem neglecti officii judicium pariter cum caeteris ſubeant. Habet autem. 14 iſta negl. off. contemptusque ſuſpicio. 15 per intervalla. 16 quia nempe. 17 ex tam levi. 18 leventur. 19 palliata. 20 ſub humanitatis praetextu. 21 negotium.

occurſus fallaci blanditiâ fora plateaſque infamat; et in [1] Eccleſiis ſacra Divis muſica profanatur, dum ad ejus modos puellaris greſſus et pellex corporis demiſſio ſe confingunt, cum illecebris et lubrico ſpiritu oculorum, cernuas [2] procorum turmas laceſſente.

Commentarius [3]. Salutationis ſeu reverentiae, quam adverſus alios adhibemus, ritûs varii, variae veluti caeremoniae. Omnes in eo conveniunt, quod proſternant et ſupplicem faciant eum qui ſalutat; nam cernui plerique ſalutantium corpus antrorſum inclinant. Mulieres rigido quidem pectore, flectunt poplites; Viri inter Chriſtianos galerum, quem ex lanis coactis cum aliquanto apice geſtare ſolent, a capite tollunt; quo ritu minores jam et ſubſidiſſe quodammodo videntur. Omnes hoſce geſtus idem aliquis Genius animat; omnes enim, ut vidimus, dejiciunt ſalutantem, et hoc ipſo quaſi efferunt ſalutatum, ſublimem eum ac coelo propiorem faciunt. Quia enim importunum erat, ſi, quem ſalutatum venires, manibus levare et ſurſum agere deberes, hinc aliâ id viâ tentandum erat; nam quaſi idem aſſequeris, cum te ipſe proſternis aut quoquo pacto diminuis; ſic enim ſalutatus attollitur, et te humili ſublimis eſt. Coelum hîc nobis in corpore verſantibus pulcherrima res viſa eſt; quae magni facimus, omnia haec in coelum aut ad coelum ferimus, ſi non re, ſaltem animo, verbis, laudibus. Sed ecce! cum Genium iſtum ſtudioſe inſpicio, corripior ipſo Genio; nam *Magni facere*, quod dixi, ab ejus oeſtro fuit; magna ſiquidem appropinquant coelo. Huc faciunt reliquae phraſes, quibus, quae laudare volumus, *Alta* dicimus, *Ingentia*, *Sublimia*, et *Eminere*; quae contemnimus, *Demiſſa*, *Abjecta*, *Humilia*, et *Jacere*. Huc et mores faciunt; nam principes in ſolio, judices in tribunali, profeſſores in cathedra, ut magni facimus, ita in eminenti locamus.

---

1. *add.* ſanctis. 2. pronas ſibi. 3. *Commentarii loco legitur* Appendix: Alibi de prioritate; cur inter ſalutantes de poſterioritate certatur?

Quaestio II.

An tradentem audientemque [1] Scientias, recentibus [2] quam antiquis Auctoribus operam dare ſit ſatius [3]?

Rude Scientiarum Artiumque principium; eas longaevus uſus perpolivit et in [4] faſtigium eduxit; et minores majorum ſuorum erroribus ſapiunt, ſupraque molem illam, quae Veterum vires exhauſit, parvo negotio evecti, eique de ſuo rurſum inaedificantes [5], aliquanto longius proſpiciunt [6]. His itaque ſpeculatoribus tutius te committas, quibus ex tam edito datum eſt deſpicere ſententiarum ſuarum adverſarias rationes, iiſque procul adventantibus viam obſepire. Huic [7] accedit Veterum plerorumque magna credulitas; qui receptis ſuo tempore, et neſcio unde depromptis fabellis ſine maturiori examine [8] fidem adhibentes, ingenia ſua miſerum in modum torſerunt, dum falſa cum veris, feliciter [9] ſaepe deprehenſis, anxie conciliant, collectoque ex his abſurdo dogmate [10], in plura (quod neceſſe eſt) dilabuntur abſurda [11]. At Recentium Scriptorum integra, regia, non [12] aſtricta ingenia; quibus ardor eſt ad vivum [13] reſecare, quae manifeſta Ratio Experientiaque non pangunt [14], quantumvis ea Veterum ſuperſtitio coluerit [15]. Et certe (quod a magnis noſtrorum temporum Ingeniis admonemur) ſolum hoc filum eſt, quod Opinionum humanarum Labyrinthum ingredientibus, inter tortas errorum ambages, totum promittat exitum: omnia non penitus explorata certaque ſuſpectare, quantumcunque plauſibili veritatis ſpecie ſe jactent. Accedit porro Veteribus affectata paſſim obſcuritas, quae quaeſitis ſaepe verborum involucris, plus loci ſibi vindicat in eorum ſcriptis, quam ſenſus aut rationum momenta. Enimvero non niſi tenebrionum eſt, ſatis

---

1 tradenti audientique. 2 modernis. 3 inhaerere conſultius. 4 ad. 5 *omitt.* eique d. 3. 2. in ead. 6 *add.* quam ipsi. 7 His. 8 ulteriori indagine. 9 argute. 10 inepto principio. 11 plures.... ineptias. 12 Modernorum e contrario regia nec. 13 ardor est penitus explodere et. 14 evincunt. 15 ſuſpexerit.

de ſe abſtruſae, et mille modis intricatae perplexaeque Veritati inſuper noctem et latebras conciliare, et de ſuo ingenio caliginem offundere. Suſpectumque id, cum aditum ad Naturae Arcana ducentem diuturnâ indagatione deprehendiſſe vis videri, eum poſteris obſerare, prementemque tua veſtigia neſcio quo ſinuoſo diſcurſu deludere. Hinc non immerito Recentium Scrlptorum in hoc praecipue [1] deſudat induſtria, ut diſtincta ſint, dilucida, ordinataque quae tradunt, dum operis ſui Argumentum et artificium in libri [2] veſtibulo [3] Lectori exhibent; dum illud ſcite partiuntur et digerunt in Tractatûs, in Sectiones, in Capita, Quaeſtiones [4], Articulos, Dubia, Paragraphos, Numeros, Puncta; nomina, quae bonam partem [5] Antiquorum incondita confuſio non novit [6]! Dum ultimae etiam ſubtilitatis argutias [7], quae vulgi captum penitus effugiunt, pingui aliquâ ſimilitudine familiariter induunt, ut jam ſub iſto quaſi amictu a quantumvis craſſo ingenio hebetique palpentur.

His tamen rationibus in occurſum it Soliditas Antiquorum Scriptorum, nihil levi ac volante manu (ut effuſus agiliſque noſtri faeculi genius eſt), ſed plumbeo calamo omnia caute ac mature ſtatuentium, nec quaſlibet ſuas cogitationes [8], quae inter calices forte bene habitam jam et molliculam mentem demulcebant, in Publicum eructantium, ſed duntaxat quas momentis ſuis examinaverant [9], quas ad Rationis auſteram trutinam diſcuſſerant, longâ lucubratione, improbâ pertinaciâ. Certe major quondam erat Publici reverentia; et quidquam huc adferre niſi longâ ruminatione digeſtum, nefas eſſe credebatur; ubi hoc quo vivimus aevum [10] (quod cultum, quod expolitum, cum

---

1 principaliter. 2 Statim in. 3 *add.* ad primum fere intuitum. 4 in tractatus, in capita, in quaeſtiones, in ſectiones, in. 5 pro magna parte. 6 inconditam confuſionem non novere. 7 argutiae ſubtilitates. 8 quoſlibet ſuos coneeptus. 9 *omitt.* quas... examin. 10 ſaeculum.

ludibrio Antiqui Rudimenti, Noſtrates invidioſe jactant) quorumvis libidini fraenum dedit, ut ſcribant, ut cenſeant, ut quidquid in buccam venerit [1] effutiant, — hoc ſolo [2] fructu, quod ingenuam et in alta concitatam juventutem [3], nugis et gerris ſuis implicitam, remorentur et vilem faciant. Atqne [4] has etiam nugas in limine [5] ſpecioſe inſcribunt: *Quaeſtio Curioſa*, *Quomodo Jupiter Junonem duxerit* [6]; *Opus Aureum*; *Diu deſideratum*;

Fortunam Priami cantabo et nobile bellum [7].
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturiunt montes; naſcetur ridiculus mus.

Patet etiam, ſi Veterum ſcripta dilligenter pervolveris, nihil novi, quod tam anxie deperiunt, hos Novos adferre; ſed detractis ſaepe quibuſdam verborum faſciis, ipſiſſimum eſſe Antiquitatis foetum, quem ut ſuum circumferunt. Quin etiam evulgati hodie proſtant libri, juſſi alienum Auctorem perfrictâ fronte mentiri, in quibus nihil aliud legas, quam Antiqui alicujus Scriptoris conſtipatam et contractam energiam, miſere diſtentam, et neſcio quibus naeniis ad faſtidium intertextam; futili laudis ambitu, ut nempe magnorum voluminum Auctores appareant, qui meri plagiarii [8], qui fures libellorum ſunt:

Quid mihi Celſus agit, monitus multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo;
Ne ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus [9].

At ubi in diverſas partes a Veteribus, non bene lectis aut non bene intellectis, abivêre, popularia quaedam ſuis placitis

---

1 ut quae viſum fuerit in medium. 2 nullo plerumque. 3 *add.* niſi. 4 Atqui. 5 has etiam in liminari pagina. 6 commendant ſpecioſis titulis. 7 regnum. 8 *omitt.* qui meri plagiarii. 9 *omitt. poëtae verba.*

appendunt argumentorum pondera, quae jam pridem [1] Veterum indefeſſo malleo ad exilem uſque tenuitatem contuſa ſunt; ita ut vel ſolo ſpiritu ab Antiquitatis defenſore difflentur, quibus totam Antiquitatem [2] ſuppreſſum et ſuffocatum ire minabantur. Denique periculo non vacat, et religioni ac publicae quieti palam noxium eſt, [3] quod Recentiores non pauci frequentant [4]: ut nimirum in rebus ſeriis, quinimo et ſacra concernentibus, ambigere [5], diversas ac pugnantes inter ſe ſententias committere, ac utrimque rationibus inſtruere malint, quam ſolide confutare alteram [6], alteram ſolide ſtabilire [7]; ut hoc pacto Lectorem teneant, ſpectaculo et creperi certaminis eventu prurientem; doceantque, poſſe ſe [8] firma concutere [9] et ſeria omnia ludibrio habere [10].

Quaestio III.

An expediat virum doctum, Principum curis et curiis ſe interponere [11], *an vero in muſeio et inter Muſas conſeneſcere?*

Magnetica quaedam in imperante [12] virtus, eorum qui imperantur [13] oculos pariter ac mentem in ſe convertendi defigendique. Hinc quo ille vel enititur prior [14] vel delabitur, eo etiam hi [15] trahuntur; ad unius exemplum ac pene nutum ſive praecipitium ſocordiae proni, ſive in arduum Virtutis erecti.

---

1 diu. 2 eam. 3 add. *id.* 4 recentioribus non paucis affectatur. 5 *omitt.* ambigere. 6 alteram partem ſolide convellere. 7 et alteri palmam dare. 8 *omitt.* se. 9 concuti. 10 in ludibrium verti. *Add.* Appendix: Qui minus ſcit quam ſciendum eſt, inquit quidam, brutum eſt inter homines; et qui plus ſcit quam ſciendum eſt, homo eſt inter bruta; uter miſerior? — Exiſtimant plerumque viri docti operam ſe perdere, dum aliquibus intendunt aut ſtudent quae ad nullam materiam philoſophicam alteriuſque ſcientiae, prout jam traduntur, reduci facile poſſunt; contra vero dum nugis quibuſdam ac ultimae ſterilitatis quaeſtiunculis exaggerantes incumbunt, quae facile ad certum caput reducuntur, putant egregiam a ſe operam navari. Numquid hoc inter praejudicia non minimum, quibus tranſverſi agimur a vero? 11 immiſceri. 12 eſt in principe. 13 subditorum. 14 ipſe prior vel enititur. 15 subditi.

Proinde non de cive aliquo, ſed de Republica, non de homine, ſed de Genere Humano bene merentur Sapientes illi, quibus id unum agitur, ut praeſto ſint imperanti, ſalutarium conſiliorum face viam praelucentes ad Templum illud Virtutis et Honoris. Abjectum autem perinde atque inhumanum eſt [1], ignava ſecuritatis ſimulatione [2], in arido illo Scholae pulvere ſordeſcere, parumper [3] a deſidia et oblivionis ſepulcro diſtantem, ubi induſtriam tuam Patria poſtulat, ubi virtuti ac docrinae tuae ſolium dignitatis Fortuna promittit. Quid quod hoc pacto Sapientiae et Bonarum Attium candidatis accreſcet animus et aviditas perrumpendi illa taediorum ac laborum ſepta, quibus Natura Veritatem incluſit, ſi Sapientiam viderint non jam ſub vili pallio latere, non intra humiles caſas conſtringi (ut hodie res dant ſeſe) [4], ſed amplis regum atriis, ſubmiſſis faſcibus ſuſpici, ſceptris aſſidentem. Quod enim alii blandientis Fortunae favor impertiit, facile id ſibi pollicetur humana credulitas, avidâ futurae felicitatis imaginatione deluſa, et ex paribus initiis pares ſucceſſus in praejudicium ambigui caſus componens. Ad haec ſi vir doctus Aulam frequentet, ubi apud Principem pro meritis auctoritate valuerit, facile [5] poterit peſtes illas ab Aula profligare, quae eam bonis omnibus infamem pariter atque exoſam fecerunt: Fraudibus larvam et fucum, ingenii dexteritate detrahere; adulationibus ambages, per quas ſe volvunt, obſepire; proterviam et laſciviam comprimere auſterâ fronte et Sapientiae conveniente ſupercilio. Adeo ut (quod decebat) Principes Palatium omnibus jam appareat delubrum quoddam beneficae Majeſtatis, et afflictae Innocentiae tutiſſimum aſylum.

---

1 Vile autem eſt perinde atque inhumanum. 2 ignavo ſecur. praetextu. 3 parum. 4 *omitt. parenth.* 5 facili negotio.

His tamen obftat, quod ad Principem non pateat nifi per Miniftros ejus aditus. Major his quam Principi arrogantia et impotentius faftidium; qui tunc demum egregie fe tutari Domini fui dignitatem atbitrantur, fi, quod ingenuum erat et non fictum, id omne tamquam laefae majeftatis fufpectum repreflerint; fi, quod fine majorum imaginibus probum ac induftrium, id omne tamquam plebejum et profanum a Principis facrario repulerint. Hos fibi devinciat qui Deo vel notus effe voluerit; fcis quo pacto? Affentationibus, fervilibus blanditiis, donis, promiffis, fordibus. Quod fi haec conditio minus aequa videatur et Philofophiae legibus adverfari, aevum teras necquicquam, atria quotidianis difcurfibus fatiges, et inter leviculam illam Aulae juventutem explofus oberres, ficut afinus inter fimias. At finge primam illam fepem te perrupiffe, nofci te a Principe, ad fermones ejus admitti, rebus feriis aures hîc effe teneras, afperum et inconditum fonare, fi quid parumper ab adulationis concentu ad tenorem veritatis deflexit; admonitionem edictum cenferi, confilia ex eventibus aeftimari, favores Domini ventorum in morem fubinde reflare in diverfum, et veteri adagio, *Aulicos effe fimiles abaculorum calculis.* Hi enim fecundum computantis arbitrium modo aurei funt, modo aenei; et Aulici ad nutum Regis nunc beati, nunc miferi. His adde factiones et diffidia potentum. Alteri parti te jungis? Periculum communicas. Ab utraque diffides? Utrimque premeris. Adde et ingentem invidiae fumum, quem nafcens ille fplendor excitat, eorum oculos intolerabiliter exagitantem, quibus perfuafum eft, ftemmati et majorum ceris deberi cuncta, Virtuti nihil. Proinde fi vir doctus intra privatos parietes fe contineat, fi chartis mandet, quae Principem inftruant, confulet et fibi et Principi; utilius Principi, et fibi tutius; expedit illud calamo quam linguâ ducere. Umbra eft vivorum dictis invidia; mortuorum fcriptis reverentia.

Quaestio IV.

An virtuti expediat aperto Marte cum invidiâ luctari, an vero tectis artibus eam declinare?

Peſtilens Invidiae venenum in latus circumquaque diffunditur et per aequales ſerpit; immunis est et qui infra illam deprimitur ad contemptum, et qui ſupra illam erigitur ad dignitatem. Proinde ſi expandas Virtutis alas, et uno niſu in altum evoles, jam ultra Invidiae fines penetraveris, antequam ad carpendum dentes et morſum figere potuerit. Si vero diſſimules, et in altum repas, et ſubinde a regia via declines, ne quo caute tendis ire videaris, aetatem teres et ingenium miſeris conſiliis; fruſtra inter dejectam plebem Virtutem et Gloriam ex longinquo ſuſpiciens. Quid quod ſenſim ſuffocetur Animus, in his tegnarum latibulis compreſſus et intortus? cui Natura inſeverat igneum quiddam et amplum et anguſtiarum dedignans. Quid quod ſenſim in vitium degeneret? ubi vix diſtant ab ignaviâ lenta conſilia, a timiditate nimia cautela, a ſervitute circumſpectio, a fraude diſſimulatio. Virtutibus enim propinqua vitia; facile ipſarum virtutum compellatione dignatur humanae mentis effaeminata indulgentia, deinceps ſpecioſo nomine tam libenter ſe fallens, ac ſi Naturam ipſam et Supremam Regulam una pervertat. Adde quod ſit alto infractoque animo generoſum et par exercitium, aperto campo in Invidiam ire, liventem ejus aciem irretortis oculis ferre, et impavidum ſubſiſtere, et pedem conſerere, et regio huic oneri aequos humeros ſupponere, quod eſt *audire male cum facias bene.* Nec praeteriri debet, quod effraenis et implacabilis eſt Invidia, ubi locum te cedere [1], ubi declinari ſe ſentit; ex tuo [2] timore ſuas vires dimetiens, ex tuâ [3] imbecillitate ſibi feritatem et audaciam ſumens, proinde ad omnem egregium conatum ſeſe exſeret, et ex improviſo inſiliet, auſa jam non tectim arrodere, ſed aperte laniare. Vile

1 ſibi cedi. 2 alieno. 3 alienâ.

eſt hoc vitium, ſi noveris, et debile, et tuo tantum timore potens; ſi palam deſpicis, ringitur et crepat.

Contra tamen facit, quod haec ad gloriam emergendi ratio, anceps et periculoſa penitus, temeritate vix vacet: omnium oculos irrîtas, omnes ad invidiam et acerbitatem provocas, quiſquis maſculo illo et robuſto paſſu vadis ad Virtutem et Honorem. Nec dumtaxat aequalium, quos praeteris, allatratus et morſus, ſed et praecedentium, quos premis, calces metuendi. Quin etiam qui longius evaſere, ſuffocari tamen cupiunt, quem accedere et promicare vident, anticipantes aemulationem ante paritatem; quin etiam ungues et roſtrum ad diſcerpendum acuunt, quos, ceu infauſtas atrae noctis Striges, omnis ſeriae ac manifeſtae Virtutis exagitat ſplendor; non equidem invidiâ, ſed naturali odio et ſaevitiâ imbelle pectus armati. Enimvero ubi odia frendent, ubi minae machinantur, ubi in caput tuum pericula conjurant, hîc tamen obniti, et contra fremere, et in manifeſtum interitum irruere, immane quiddam eſt et rabidum, a placido tranquilloque Virtutis in immenſum aberrans. His adde quod naturalior [1] Virtuti triumphus, qui arte, quam qui vi paratur. Ars mitis illa et ſuavis miniſtra Virtutis, pariter cum Dominâ ſuâ, pacis et quietis amica; Vis barbarus quidam ſatelles, contra incurſum et ad extrema datus. Gratum etiam et ingenuum incidit imaginanti, Virtutem non ilico totum impetum diffundere, et ſummo rigore diſcertare; ſed cedere tantiſper, et connivere, et impari adverſario dare aliquid; et ad inſtar Solis in ortu ſuo, Invidiae nebulâ nunc tegi, nunc liveſcere, nunc pallere, quouſque meridiem ſcandat, et jam maturis radiis tumultuantes illas infra ſe nubeculas diſcutiat et conſumat [2].

---

1 conaturalior. 2 *add.* Appendix. Invidia in aequales, non tamen in omnes; non enim in eos, quos temporum aut locorum intervalla ſejungunt longius.

Quaestio V.

An hodiernus mos, aliorum auctoritates in dictis ſcriptiſque citandi, ſit approbandus?

Obſtringimur a Naturâ religione quadam et reverentiâ vetuſtatis, anxii majorum dictis et ſenſis contraire, his obſequi et conſentire ſecuri. Et jam

— — *tot labentibus annis*

tandem piaculum eſt concutere, quod cana Saeculorum ſanxit auctoritas, longâ ſerie poſt patres ſuos decurrentibus natis

Et natis natorum, et qui naſcuntur ab illis.

Quid ni igitur pietatis et obſervantiae laudem habeant, qui frequenti alienorum ſenſuum citatione profitentur, majorum ſe adorare veſtigia, ab eâque quam ipſi ſignavere ſemitâ, ne [1] latum quidem unguem velle declinare. Porro hac arte dictis tuis, ſi pulcra ſunt, invidiam detrahis, dum ea non tibi ſed mortuis aſcribis, quos ab invidiâ Fatum ſemovit; ſi minus concinna ſunt, neſcio tamen quam gratiam concilias, dum in iis, quod antiqua putentur, ſemper quid amplius quam ſonet intelligitur, ita Vetuſtatis Myſtico [2] Genio volente. Dum interea magnam dicenti ſcribentique commendationem parit, Antiquitatis monumenta perluſtraſſe, evolviſſe libros, intellexiſſe ſententias. Cana quaedam et ſenilis ſapientia eſt, quae de iſto fonte promanat, quae non unius aevi limitibus conſtricta, praecedentia omnia complectitur, et ex his late ſe diffundit impoſterum. Gratum etiam et peramoenum Lectori ſpectaculum exhibetur, dum uno libello, quinimo unâ paginâ, ingens

---

Numquid igitur hinc invidia nomen habet, quod per oculos magis quam per aures ſe inſinuat. — Pulchre Sanctus Augustinus; Tolle invidiam, et tuum eſt quod habes; tollam invidiam, et meum eſt quod habes. Numquid ergo Monaſterium et Religioſorum conventus eſt, ubicunque ſine invidiâ degitur, cum ibidem omnia ſint communia. 1 *add.* ad. 2 myſterioſo.

Sapientum chorus in Proſcenium accitur, quaſi ſuper Quaeſtione quae decidenda proponitur deliberaturus; dumque ſuo ſtylo declamantes inducuntur, ſuam ſinguli ſententiam produnt, ora ipſa mehercule et lineamenta, non tam corporis quam animi eorum quos nunquam vidimus, videmur tamen quaſi praeſentes intueri. Denique dum hoc pacto majorum placitis ſuus honos vindicatur, compeſcitur effraenis [1] illa novitatum cupiditas [2], cui *Veritatis ſtudium* hodie praetexunt; quae [3] licet innoxia [4] videri poſſit, quamdiu Phyſicarum ſpeculationum cancellis circumſcribitur, ubi tamen ulterius exemplo ſerpit, et ad Mores ac Religionem ſe tranſfert, turbulenta palam [5] et exitialis eſt.

Contra tamen facit, quod haec, in errores pronior, incautos a Veritate ſeducat ſemita; dum Auctoritatibus illis et teſtimoniis undique corraſis [6] hoc agitur, ut quid Auctores [7] dixerint, non quid dicendum ſit, quaeratur, et qui indagandi rerum cauſas avidus acceſſerat auditor, ſpecioſis Scientiarum nominibus inductus, is rancidularum illarum [8] Quaeſtionum, quid hic aut ille ſenſerit, demittatur ad vomitum ſatur. Certe his, ubi modum exceſſere, ineſt manifeſta vanitas [9] et abjectio [10], et quaedam quaſi ſervitus. Jam olim dictum volunt, et uberius dictum, quidquid omnino dici poteſt; gratis fatigari [11] nova molientem. Hinc et Libri, quibus nomen ſuum inſcribunt [12], non niſi ſtruem quandam continent [13] hinc inde compilatam, et confuſas diverſorum Auctorum farragines. Hoc Plato dixit, illud [14] Ariſtoteles, et iſtud Leucippus, aliique alia; et quod nemo dixit, ad minus *Quidam* dixit. In ſuis vero declamationibus [15] ubi ad Veterum ſcita, quibus paſſum intertextae

1 protervus. 2 pruritus. 3 qui. 4 innoxius. 5 palam turbulentus. 6 dum frequenti illâ veterum citatione. 7 ipſi. 8 is impertinentium. 9 vilitas. 10 dejectio. 11 divexari. 12 Hinc in libris quorum auctores ferri ſe volunt. 13 obtrudunt. 14 et hoc. 15 In declamandis vero ſuis ſcriptis.

ſunt [1], deventum eſt, hîc vero ſtylum abrumpunt [2], deinceps graviore tono verba ſingula inflantes et pauſis morisque diſtrahentes. Horum aliquem ſi audias, Rhadamanthum audire te putes jus dicentem apud manes [3]. Et tamen quae hoc apparatu dicuntur, ſaepe nihil ſacri ſunt,

Sunt apinae tricaeque, et ſi quid vilius iſtis [4].

Quinimo, quae ſua faciunt, antiquis ſimiliora credunt, ſi iis inſipidum quid ac inolidum aſpergant, quod intelligi facile non poteſt, quod longâ vetuſtate jam uſque ad oſſa macruit. [5] Et tandem in cultum admirationemque rapiuntur [6], ſuſpicientes Antiquitatis vegetum illud et felix aevum, cui puriore radio Veritas affulſerit, et uberior ſcaturiverit ingenii vena, arido hoc et fatiſcentis Naturae ſeculo procul ad tenebras et barbariem relegato. Apage cum atrâ bile inſomnia tua, quiſquis haec nobis moroſo cerebro deliras. Ad plebem uſque cultum eſt aevum hoc, et novis inventis inſigne, et habet, ſi recte ponderas, quod cum praecedentibus omnibus de nitore et feſtivitate contendat [7]. Manum exſere,

— — *aude aliquid et te quoque dignum*
Finge Deo.

Videbis, minimum adhuc eſſe quod majoribus noſtris actum eſt; immenſam eſſe ſegetem, in quam illi falcem non miſerunt. Occupata non eſt, etiamnum maximâ parte latet Veritas. Communem illam viam aberrantium pedes triverunt; aliâ tendendum eſt [8].

---

1 ſcita his intertexta. 2 ſuccidunt. 3 diſtrahentes; putes Sibyllae folium recitare aut quod olim de tripode dimanavit oraculum. 4 efferuntur, vulgaria ſaepe tricaque sunt, et, quod ajunt, lippis paſſim ac tonſoribus nota. 5 jam emarcuit. 6 ſolvuntur. 7 *add.* ac vincat. 8 *add.* Appendix. Citant Franciſcani revelationem Brigittae pro immaculatâ conceptione. Citant Dominicami revelationem Catharinae Senenſis contra immaculatam conceptionem. Quid reſtat niſi tertia veraque revelatio, quae utramque illam revelationem nullam eſſe perhibeat et inutiles ac turbulentas hominum ſubtilitates meritâ cenſurâ reprimat?

Quaestio VI.

An mordaces [1], *an vero edentulas expediat inter amicos eſſe facetias?*

Voluptatis exceſſum refugiunt Senſûs, et ingrati alicujus geſtiunt conſortio. Acria, amara, ſalſa, quae pungunt ac vellicant, inter epulas amat Guſtatus [2]; ſaccharo [3] ac bellariis ſemper veſci etiam feminae puerique abnuunt. Et habet perpetuum illud ac exundans inter amicos obſequium, quo pertaeſum ſaepe faciat, quem nimium delinit. Huic ſi de jocis acre quid et ſalſum [4] aſperſeris, amicum [5] nauſeâ prohibuiſtl; officia tua ſic condîta palatum ſemper irrîtant, ſalivam ſemper movent [6]. Ingenium etiam, quod ſine exercitio torpet et ſopitum eſt, ſtimulis iſtis admotis [7], expergiſcitur, agitque ſe et verſat et omnes nervos intendit [8], ut, quibus perſtringebatur, argutias [9] ſimilibus refellat argutiis [10]; nam paribus armis diſcertandum eſt: quod momordit, non niſi jocus erat, et non niſi joco remordendum eſt. Experimur equidem quotidie Muſarum Curiales [11], adoleſcentulos eos [12], qui a patriis laribus obtuſi et rudes [13], ad Academiam ſtudiorum cauſâ conceſſerunt [14], ibidem aequalium ſuorum vexationibus, jocis, et dicteriis [15] dolari penitus et quaſi ad cotem acui; mirantibus amicis ac notis, eos in patriam reduces undique [16] lepôrem jam et gratiam [17] ſpirare, qui non ita pridem [18] cubito emungebant. Potes etiam arte iſtâ amicorum, quibus uteris, vitiis commode mederi, dum prudenter aculeum tegis ſub facetiâ, ut ulcus incîdas incauto. Serio reprehendere, hoſtem, ſerio monere, magiſtrum ſapit; illud amicitiae, hoc aequalitatis jura non

---

1 mordaculas. 2 guſtus. 3 ſaccharis. 4 ſalſum quid ac mordaculum. 5 *omitt.* amicum. 6 habet impoſterum, quo palatum irritet, quo ſalivam ſemper moveat. 7 iſtis pulſum. 8 verſat et omni viâ nititur. 9 quâ perſtring. argutiam. 10 ſimili ref. argutiâ. 11 Certe experientia quotidie nos docet. 12 eos juvenes. 13 a materno foco rudes atque obtuſi abiere. 14 ſe conferentes. 15 ſuorum dicteriis ac irriſu divexatos. 16 notis, neſcio quid. 17 leporis ac gratiae jam. 18 paulo ante.

ferunt; jocus, ſi recte uti noveris, quod in his tetricum eſt, praecîdit [1], quod fructuoſum, ſervat. Denique popularem etiam et urbanum te reddes hac arte. Nam major [2] pars hominum hac eſt indole, quâ catellus noſter, qui eos colit impenſius, a quibus irritatur [3] magis; pedem ei trahunt, aurem [4] vellunt, in tergum verſant, divaricatos digitos intentant oculis [5], ipſo interim blaeſo rictu infeſtam manum impetente, et fruſtratos dentes in dentes fatigante. Et his impoſterum magis comis [6] eſt, his in occurſum promptior; his caudâ blanditur feſtivius; ad invidiam omnino et opprobrium eorum, qui ſaepe et ſaepius [7] pinguem ei offulam objecerunt [8].

Contra tamen facit, quod dentatae [9] illae facetiae cuniculos agant [10] ad arcem Amicitiae demoliendam. Ex illis in convicia et jurgia [11] facilis et trita ſemita [12]; et ab his porro [13] ad rixas, ad ſimultates, ad indictas et apertas inimicitias itur [14]; et, ut ſit aliquid quod praecipitem hunc curſum remoretur [15], utut [16] ſiſtant antequam crebrius utrimque puncti exulcerentur animi; tamen

— — *manet altâ mente repoſtum* [17],

et ſupra crudam injuriam digeſtu malignum eſt, quod cum mordaci joco [18] permiſcetur ludibrium. Apertam contumeliam extenuat inferentis ira concitatioque, et turbatae mentis impotentia; joco tectam deliberati animi aggravat ſimulatio et perverſitas. Quae ſerio irrogatur, reconciliatione tollitur; haeret illa, quae a joco lepôrem ſumpſit, et narratur, et in vulgi

---

1 praeſcindit. 2 ſervat. Denique major pars. 3 divexatur. 4 auriculam. 5 bifurcatis digitis in faciem eunt. 6 comior. 7 ſaepe-ſaepius. 8 pinguem offam ei fecere. 9 mordaciores. 10 tectis cuniculis ſuffodiant. 11 in improperia et aperta ſcommata. 12 tritus faciliſque delapſus. 13 *add.* ad jurgia. 14 ad ſimult. itur. 15 *omitt.* et... remoretur. 16 et, ut. 17 manet tamen altâ mente compactum. 18 in joco.

fabulam abit. At apageſis [1] intempeſtiva illa [2]. Pone riſûs, non rictûs [3]; pone jocos non ad lanienam, ſed ad mortiunculas duntaxat et pruriginem dentatos. Sed [4] et hi ſenſim erodunt totum hoc, quod inter amicos candidum eſt et familiare, dum incurioſo [5] eſſe non licet, dum cum amico aliter quam tecum ipſe loqueris, metuens ſub facetiâ Cenſorem. Degenerat [5] etiam animus, dum ad carpendum hinc inde coactis fallaciis ſe intorquet, aſſueſcitque tandem ad nugas ſe demittere, et plebeculae in morem exquiſite cavillari. Certe ſerium quoddam et magnificum eſt, quod ei ſapere Natura voluit; frivolis abjectiſque [6] rebus ineſcari, affecti [7] palati indicium eſt. His accedit, ita comparatum eſſe, ut acutuli [8] illi, quibus fertilior ſemper excreſcit ad vellicandum unguis, aliorum in ſe jocos plerumque non ferant; ut neſcio quam in amicos et ſocios dominationem ac tyrannidem [9] ſibi ſumere [10] videantur. Nam eorum non facetiis modo, verum etiam ineptiis applaudendum eſt; ni feceris, trahêris in fabulam, ludibrio multandus [11].

Quaestio VII.

An deceat ingenuum adolescentem, veſtem ad Novos Mores aptare?

Quod in veſtium ritu Novi Mores ordinarunt, id protinus concinnum eſſe jubent et elegans; quod abrogarunt, plebejum primo ac ruſticum eſto, deinde ineptum etiam ac rediculum. Sed exoletis quoque his, cum videtur [12], priſtinam gratiam

---

1 apage. 2 cum intempeſtivis illis. 3 *omitt.* pone ... rictus. 4 *omitt.* ſed. 5 incurio. 5 Vileſcit. 6 minutiſque. 7 morbidi. 8 arguti. 9 neſcio quem dominatum, in quo alii ſerviant. 10 ſtruere. 11 *add.* Appendix. Cato quondam, cum invitaret amicum ad ambulandum his verbis: Placetne deambulare? respondit ille: Quid opus eſt de? Imo, inquit Cato, quid opus eſt te? et relicto homine ambulabat ſolus. Numquid optimus hic modus cavillationes vocum et fallacias ſolvendi, regeſto breviter dicto abire et ante vilitatis labem ſubducere ſe a futilibus. 12 quando viſum fuerit.

conciliant; et haec quae nuper aſſumpſerant, in contemptûs barathrum abjiciunt [1]; arcano quodam faſcino [2] humanis ſenſibus illudentes. Qui igitur, o Adoleſcentes [3], refractarium hiſce legibus indumentum habuerit [4], excidit jam nunc [5] venuſtatis omnis ac elegantiae commercio, ſuo ipſe ſe calculo in ordinem [6] redegit. Contra vero dici facile non poteſt, quantum honoris adoleſcenti [7] conferat veſtis illa, quam Novi Mores aptavere. Nonne vulgi in ſe vertit ora? nonne aequalium prolicit officia? nonne, ſi majores ſuos ſalutaverit, reſalutatur liberalius? Vult [8] ea veſtis in Academicis aliiſque publicis Actibus ad conſeſſum invitari, et peractâ fabulâ ſibi grates perſolvi depoſcit; ambitur ejus in foro congreſſus, gaudet frequenti [9], eâque amplâ ac magnificâ, etiam ignotorum ſalutatione. Auget etiam veſtitus ille formam, perficitque, et conſpicuam ac illuſtrem reddit; haec vero ubi hiſce adminiculis fulcita eſt, neſcio qua majeſtate intuentium animis dominatur, pellicitque, et in ſui obſequium favoremque devincit. Habet inſuper hoc Novitas, ut qui ejuſce caeremoniis ac ſuperſtitione reguntur, eoſdem inter ſe facile congreget et in mutuam conſuetudinem familiaritatemque inſinuet. Horum referti coetus vicis vitam, foro pompam, templis ſolennitatem faciunt; inter hos apte loqui diſces, lepide confabulari, feſtive ſalutare, deferre humaniter; hîc inceſſus, hîc obtutus, hîc etiam vocis ſtylus ſonuſque leges habent; hîc excutitur torpor et barbaries, accerſiuntur ſales et gratiae. Erigit denique juvenilem animum illuſtrium perſonarum ritu concinnatus habitus, ingeritque paria veſti ſtudia, concitatque in Virtutis arduum, — ſplendorem et dignitatem, ad quam aſpirat, anticipante fiduciâ.

---

1 ad vilipendium abigunt. 2 praeſtigio. 3 juvenes. 4 refractario h. l. veſtitu eſſe praeſumpſerit. 5 ipſo facto. 6 intra plebem. 7 juveni. 8 Exigit. 9 crebra.

Contra tamen facit, quod haec in luxum et laſciviam protervam juventutem diſſolvat licentia; dum animus aetate lubricus in vitium facile diffluit, et, quantumvis caſtigate coërceatur intra ſeveritatis ac diſciplinae repagulum, ferocit tamen ſaepius, et fremebundus obluctatur. Quid? nonne veſtis illa ſternit aditum, et incautum pugilem manu ducit ad proſtitutae Veneris palaeſtram? Salutat officioſius, applaudit feſtivius, Nymphis illis per vicos obviis, omni mundo muliebri venuſtis; nam favorem ſpondet habitus, et turpis repulſae ac faſtidii metum, quo inhiberetur, elidit. At quia ſtudioſe reſalutatur, placere ſe concludit, tremulo intus lenocinio ſollicitante praecordia: pergitque porro ad veſpertinum alloquium; et jam effari audet, quid petulantem animum excruciet, extenuatque vocem et blanditias miſcet effeminatus, concinnâ ſimul veſte patrocinante libidini. His adde deplorandum temporis, quod ad ſeria ſuppetebat, diſpendium. Quanta pars ejus tergendo, torquendo, pectendo, ligando, concinnando, reconcinnandoque conſumitur [1]! Reliquum pene ſibi vendicant crebri per templa plateaſque diſcurſûs, etiam intempeſtivi. Aegre enim veſtis illa Muſeiis [2] Scholiſque continetur; videri geſtit, et ad evolandum prurit. Adde porro, ſupervacaneo ſumptu bona patria lacerari, et ſaepe alienum aes grande conflari [3], dum in veſtium formis quotidie novi quid effingitur, quod aſſumendum eſt, et vix aſſumptum antiquatur. Nec per ſe ſola culpam habet veſtis. Sunt hujus individui comites, qui plerumque lautius haberi volunt quam ipſa. Quantum abliguriunt convivia! quantum expellunt Sphaeriſteria! quantum dilapidat phalerata per urbem obequitatio! quantum peſſumdant veſpertina tripudia! quantum ad Dominae fores explodit nocturna cum fulgetris muſica [4]!

---

1 tergendo, cincinnando, comendo, ligando, ponendo, reponendoque prodigitur! 2 cubiculis. 3 parentum crumenas emungi, et patrimonia prodigi. 4 *add.* Appendix. Apud Turcos, Arabes, ac generatim omnes Mahumetanos moris eſt, ut quo quis ad ſenium magis vergit, eo ſumptuoſius ac cum diverſis

Quaestio VIII.

An expediat virtuti claris, an obſcuris natalibus edi?

Ineſt ut plurimum plebejis hominibus vile quid et ſordidum, quod nec arte celari, nec dignitatum inſigniis obrui facile poteſt; quod quandoque per medios etiam ſplendores irrêpit, putetque, et faecem ſuam titulis allinit, Honorum, quos gerunt, contaminatâ Majeſtate. Proinde non immerito Virtuti, quae humili tenuique de ſtirpe ad amplitudinem ſublimitatemque nititur, crebris repulſis obſepitur aditus, donec faeculentum illud, quod de plebe trahit, concoctum eſt. E contrario vero Virtus quae illuſtri exſurgit proſapiâ, inter ipſos enutrita ſplendores, praecox ſibi vindicat ex majorum meritis ad honores aditum. Fovet eam avitum familiae decus, conſtipatque clientum turba, erigitque et affinis et conſanguineus favor; non laſſatur ambitu, non infringitur repulſà; involant in [1] eam congenitae Mitrae, Dignitates, et Sceptra. Ad haec ſubdunt facem generoſae menti monumenta exemplaque majorum. Urunt nepotem tot olim proavis exantlati labores, et quae de tholis pendent ſpolia, et de altis montium jugis cladem hoſtibus exprobrantia tropaea. Nam tacite alloquitur cana parentum ac veneranda memoria, et inculcare videtur hoc ſaepius:

Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem;

arguitque, et increpat, et pudoris ac verecundiae fraeno retrahit, ſi vel tantillum ab eorum veſtigiis degenerem pedem ſeducat licentia. Quid quod etiam ipſa Virtus, quae clarâ ſtirpe prodiit,

---

magis ac vividis coloribus ſe veſtiat. Numquid probandus ille mos, utpote qui aequalitatem quandam in republicâ ſervet, cum alios quidem aetatis vigor et forma commendet, in aliis vero comptior id ipſum habitus compenſet. — Numquid pulchra ac pretioſa veſtis bene poteſt comparari cum o in ſiphera; ſi enim perſona ſit nihili, nil etiam veſtis ei conferet dignitatis, juxta illud: Simia manet ſimia, licet aurea geſtet inſignia; ſi vero quis ſpeciem a naturâ et dignitatem habet, decuplo plus augebitur per elegantem habitum. 1 *omitt.* in.

magis conſpicua eſt, magiſque ad exemplum expoſita? Nam facile diſcutit invidiae nebulas, quibus emergentium Virtus palleſcit, a ſtemmate mutuatus fulgor; et tum ipſa evibrat ſerenum illud jubar, quod aliunde non trahit quod ſibi proprium eſt, pacatque, et delinit intuentium animos ad humani generis dignitatem et delicias.

Contra tamen facit, quod magnam clari natales ſecum adducant exſpectationem, cui non reſpondiſſe, degeneraſſe eſt; exſpectantur autem majorum geſtis geſta conformia; et ut praeclara quaedam praeſtiteris, poſſunt tamen illis comparata vileſcere. Nam quae Fama benignior ad Applauſûs aram conſecravit Immortalitati, eadem deinceps in tantum tumorem inflat adulante tubâ, ut ſuſpicienti Poſteritati ſpes nulla relinquatur exaequandi; contra vero novorum recte facta aequâ lance et ſuis ponderibus, non alienis examinantur. Quin etiam gratior eſt nova Virtus, quae jam primum obſcurâ de plebe ſurgit; dum ad inſtar exorientis ſideris ſenſim emergit, et ſcandit horizontem illum, qui oblivionis ac ſilentii caliginem a luce famae et dignitatum fulgore diſcriminat. Intuemur eam defixis oculis, et ſubinde miramur de coeca nocte talem faculam prodire, et rapimur tacito quodam gaudio, et proſequimur votis, et favemus. Accedit, robuſtum et par Virtuti exercitium eſſe, ab imo luctari; eniti et exſerere ſeſe per compreſſa anguſtae fortunae latibula; devorare malevolorum odia, aequalium invidas, potentum faſtidia; perrumpere per obluctantes factiones, per inſidiantes dolos, per inſultantes repulſas; et placido ſibi ſemper conſtante vultu, nec frangi nec efferari. Atqui ex his creſcit deinceps hiſtoriis ac theatris digna ſeges. Nam eorum praecipue in annalibus geſta lectorem paſcunt, quos in altum ſuus labor et ſudor evexere. Suſpendit legentis animum conatus anceps, abripitque, et obtutum defigit exſpectatio; at heroicus vigor, et obſtinatus

per dedignans arduum afcenfus [1], favorem prolicit; et tandem optatus exitus demulcet et plaufum ciet. Erigiturque in fpem, atque ad audendum follicitatur animus, dum viâ illâ, quae a plebe ad decus eft, confragofâ licet et et difficultatuu fentibus horridâ, fignantur nihilominus antecedentium veftigia, quibus paffum exaequare affuefcas [2].

Quaestio IX.

An deceat fervidas et clamofas in Academiis effe difputationes?

Ingentem ac robuftum plane fpiritum fufficit Veritas iis omnibus, qui fub candido illius vexillo facramentum dixere; ejuratis, ceu infidiantibus hoftibus, quibuscumque Praejudiciis, quantumcunque ftabilitis hominum ufu, autoritate, confenfu. Qui vero adverfa figna fequuntur, his anguftus animus; et quamvis fubinde in pervicaciam obftinatus, confoditur tandem liquidae Veritatis fpiculo, et fuccumbit. Quidni igitur detur nobis, entheum illum ardorem, quo congefta mens anhelat, ubi pro Veritate ftamus, defpumare et effutire? et fublatis clamoribus fomnum illum abrumpere, quo maxima pars hominum, quae doctum nomen habet, tam altum indormifcit: quos vetuftatis fcrupulofa myfteria confopiunt, quos abforbent captiofae vocum minutiae, quibus unius Scriptoris fenfum omnem fepelivit auctoritas, quos fuperftitio fafcinat, quos ut pueros a Veritatis tramite deterrent Manducus et Lemures [3]. Accedit, maximam partem auditorum, qui difputationes noftras avide circumftant, vulgarem effe es obtufam, nec, quo per

---

1 enifus. 2 *add.* Appendix. Numquid vere dixit quidam, multorum extraneorum nobilitatem nihil aliud effe quam fexaginta circiter leucas abeffe a patriâ? — Divinum eft illud Ciceronis pro Rofcio Amer.: Is mihi proprie et folus honos videtur, quem fis neque majorum commendatione, neque per alterius calamitatem affecutus. Quam paucos ergo numerabis, qui vero honore gaudeant, cum novi homines aliorum plerumque calamitatibus emergant, nobiles vero majorum virtutibus nitantur. 3 Maniae.

argutias fubtiliter tendimus, comitari valentem. Hi proinde certamina noftra ex ingenio fuo [1] metiuntur; apud hos detectam Veritatem, quae paribus utrimque ftudiis inquirebatur, agnoviffe probrum eft, nitendum contra et obftrependum eft, aut cadis, et mox agêris in triumphum

— — *Manibus poft terga revinctus.*

Denique altercantibus iftis clamoribus vigent et vivunt Scholae: dum fervet opus, dum Doctorum diffidiis pulpiti perfonant, et argumentorum fub pondere crepant cathedrae, fcinditurque in diverfa ftudia, infremitque pedum pulfu circumfufa juventus. Explorat omnem exitum coarctata Induftria, et fubinde elabitur per ignotas fibi ante femitas, infperato quodam per invium manu ducente genio. At in veftibulo ftat attonitum ore patulo vulgus, reprimiturque profanum pedem horrore facro, et multa putat effingitque fibi in caligante cerebro de noftris contentionibus fimulacra mira.

Contra tamen facit, quod difputantium fervor ille non leve fit vanitatis et jactantiae futilis argumentum. A rudibus gloriolam emendicat ille clamor, et in deficientis ratiocinii locum fufficitur egregius vicarius. Quin etiam evocatam fubinde rationibus Veritatem rurfum in latibula fua compellit profanus; et ne fruftretur eo [2], quem effufae mentis vanitate praefumpferat [3], triumpho, perturbat, et chaos ac caliginem rebus inducit. Praeclarum enim vero Philofopho negotium, de palmâ certare, et oblatam Veritatem, quia reperit eam alius, quia tu aberrabas inficiari. Procumbendum ilico et adorandum, ubi Titii Sejive operâ (nec intereft) fanctum illud numen humano generi detegitur. Cur commune bonum invidetur uni? Accedit,

---

1 noftra fuo ingenio. 2 *omitt.* eo. 3 quem praefumptione anticipaverat.

noftras illas diffenfiones [1] indigne remorari avidum Scientiae difcipulum; ut qui Scholis docilem et attentum animum intulerat, nihilo excultior, domum reducat aures a vociferationibus tinnientes. Affuefcitque tandem malo exemplo, non aequitate niti, non ratione ftare et cadere, fed affumptam femel tenere mordicus, et pugnis ac calcibus propugnare fententiam. Quid quod faepe clamores illi, intumefcente jam fpiritu, abeant in fibilos ac dicteria? Dum praecipitat, nec verba notat lubrica linguae volubilitas et garrulitas, concurritur elifis cornibus, et infultatur utrimque, et non jam argumenta probant, fed fcommata cavillantur; contaminantur plebejo jurgio facra Veritati certamina, et mendacem Philofophi frontem deridet inter irrumpendum muliebris impotentia. Denique ipfum Veritatis Numen, cujus nos Sacerdotes fumus, mite pacatumque eft et a turbis femotum. Non reperitur inter efferatos belli tumultûs; procul eft a forenfi fumo et ftrepitu; comes ei et amica folitudo, nocturno gaudet et matutino filentio. Quid ad ejus facra rixofi ifti Pertinaciae Corybantes [2]?

Quaestio X.

An mulieres ad Philofophicas Scholas admittendae?

Habet a naturâ muliebris fexus ingenium mite, inditafque, quae deliniant et fuavi filo in obfequium pertrahant, blanditias. Huic fi ad difcendum Scholae, et ad docendum pateant Cathedrae, quantum accedet bonis artibus incrementum! Et ut periculum facias, age, finge animo, in Philofophico aliquo Gymnafio e Magiftri pulpito puellam differentem, et tenerâ

---

1 noftris illis diffenfionibus. 2 *add.* Appendix. Antigenides tibicen difcipulo fuo magni profectûs, fed parum feliciter populo fe probanti, acclamabat: Mihi cane et Mufis. Numquid pulchra liberalitas, et nobis totidem verbis invitanda, dum ingenuum fubinde difcipulum deftituit in publico fiducia? — Numquid appofite Zeno adolefcenti cuidam multa garrienti nec refponfis intendenti, improperat: Aures tibi in linguam defluxere.

voce moventem magnas rationum moles, et venuſto ac facili ore implicitam humano ſenſui Naturam enodantem:

— — quae norma boni, quis limes honeſti;
Quid Deus; unde nubes, ventuſque, et fulminis ignis;
Quid quatiat terras, qua ſidera lege ferantur.

Vidiſtin' quanta confluat ad audiendum turba? ut ſub numeroſo Diſcipulo ſubſellia laborent? ut compreſſae circumſtantium multitudini indignentur parietes? Quam avide dicta docentis excipiunt aures! hauriunt animi, et cuſtodienda chartis tradunt calami. At parte aliâ incomptum Sophiſtam deſtituit auditor; et vacuâ Scholâ boanti occlamat Echo, in aſperitatis ac tetricae frontis deriſum; abducente cunctos, et lenitati ac gratiae ipſâ rerum favente Naturâ. Quid quod femineo in corpuſculo ſaepe habitet animus ingens et erectus? qui indigne ſtaminum et coli penſis exercetur, et humili [1] ac impari [2] negotio ringitur et contabeſcit. Et ſane neſcio qua fronte tyrannidem uſurpamus viri, et ſexum illum, quia contra violentiam debilior eſt, ſuppreſſimus. Ab aris eum removimus, militiâ abarcuimus, a tribunali et magiſtratu rejecimus, a Scholâ denique, ne qua pateat ad ſplendorem rima, repulimus. Quid? unam aliquam gentem ad ignorantiam damnaſſe, eripuiſſe libros, vetuiſſe literarum ſtudia, nefarium ſit et inauditae ſaevitiae. Et eandem illam in mediam generis humani partem, qua quaeſo aequitatis ſpecie tegimus injuriam? Nec intra limites iſtos ſtatur. Sunt qui abſentem adverſarium in Scholis traducant, ſunt qui mite ſubditumque ingenium modo ut atrox, modo ut ambitioſum depingant. Nec falſâ perſuaſione, quod ignoſci poterat, aguntur, ſed ambitu gloriolae; et mulierum hoſtes libenter audiunt. Pol de ſexu ſuo bene meriti mares! Denique ingenium feminis noſtro nitidius eſt, et momentorum etiam, quae rudes craſ-

1 futili. 2 *add.* ſibi.

ſique negligimus, curioſum. Atqui a minimis illis tota pendet Philoſophiae meſſis; conſtat enim merentibus in hoc agro colonis, quod ſemen hîc jaciendum, ſi forte vel levi tantum falſitatis rubigine vitiatum fuerit, praepoſterâ fertilitate mox in infinita ſuccreſcat et luxeriet abſurda.

Contra tamen facit, quod mulierum ad Scholas noſtras admiſſio (ſi res caute et provide trutinetur) periculo noſtro non vacet. Nam primo quidem ſic ſtatuo, acre et excultum artibus ingenium a publicis muniis repelli non debere. Si maligne obſiſtas, faciet ſibi mille dolis et turbis aditum. Igitur ſi ad Scholas et ad publica munia admittendae ſunt feminae; quid ſi nos collegas non ferant? quid ſi vices, ut meremur, rependant? abigant nos ad culinam, ad ollas, ad ſcopas, ad colum, ad infantium pannos et faſcias? ſolae interim ipſae de ſummâ Reip. conſulant, ſolae arma tractent, ſolae in templis antiſtites, in foris judices, in Scholarum ſuggeſtibus magiſtrae. Nec juvat hic toros ſuos excutere et viriles lacertos minari. Numero incredibile eſt quantum vincimur, longâ jam inter nos bellorum clade propemodum abſumpti. Ad haec, Natura nobis edendis avarior. Sed meticuloſi hominis, ſi ita videatur, ſint argumenta iſta. Age, quantus cum novis iſtis ingeniis novarum opinionum influet in Scholam gurges! qui deinceps, ut fit, ad mores et religionem derivatus, turbulentis tundet Remp. fluctibus. Quam pertinaces exſurgent diſputantium rixae! Cum nec inter nos conveniat, et videbitur indecorum feminis cedere, et illis e contrario non ineptum ad contentiones ingenium; ſatis id probant domeſtica quotidie cum pueris ancilliſque jurgia. Et ſubinde non parum angor, ne reſeratis Philoſophiae ſcriniis, et perſpectâ facultatum quas conquiſivimus tenuitate, expoſtulent ocius, et non e communi re geſtum negotium nobis improperent; qui jam a tot ſeculis ad mercandam publico bono Veritatem diſcur-

rimus, magno apparatu, exiguo huc ufque quaeftu et emolumento. Nec deerunt forte, quae garrulâ, ut eft iliis, linguâ fucum noftrum plebi detegant, et meras nugas, quibus Schola tam faepe fumat, exagitent. Denique muliebris fexus fufficiendis in demigrantium loca inquilinis nimis occupatur et infumitur. Videtur illis humani generis propaginem, nobis dignitatem Natura demandaffe; illis ne intereat humanum genus, nobis ne degeneret, profpiciendum. Quantum melioris aetatis geftandâ prole, pariendâ, fovendâ, lactandâ ablactandâque difcedit! Si foecundus in foetum uterus, ad Sapientiae ftudia vix fupererit fracta fenectus [1].

Quaestio XI.

An laudabile diverfarum gentium idiomata perdifcendi ftudium?

Magna generis humani calamitas, linguarum, quibus fcinditur in varias gentes, diverfitas. Nam quos in unum fimilis ratio conciliat, eofdem inter fe diffimilis oratio feparat; indeque fit, ut ad diffitas forte regiones proficifcentes, videamur nobis inter mille taedia, non a domo et Patriâ, fed ab humanâ focietate difceffiffe. Adeo ad crebra quaefita, quae fertilis in interpellationes follicitudo progenerat, alibi taciturnitas redditur, alibi rifus, alibi difparata nec intellecta refponfio. Videtur proinde communem illam calamitatem, in qua cuncti

---

1 *add.* Appendix. Itali et Hifpani honoratiores feminas vocant Senioras, nomine a fenibus deducto; Belgae autem ac Germani vocant eas Jonckvrouw aut Joffrouw, quod idem eft ac juvenis femina. Utra nomenclatura convenientior? — In paradifo Mahumeti (fi Alcorano credimus) reperitur arbor, ex cujus pomis puellae prodeunt tam fuaves, ut fi una earum vel femel in mare fpuere dignaretur, totum ilico perderet amaritudinem et delicato muco dulcefceret inftar mellis. Numquid facer hic Alcorani locus Francis noftris novum terminum opportune fuggerit quo amafiae fuae adulentur? Inter caeteras enim enormes hyperbolas quibus hîc infaniunt, hanc etiam adjicere poterunt: fille du paradis de Mahomet.

nascimur, feliciter a se depulisse, qui in capaci memoriâ plurimarum gentium reposuit idiomata. Ubique inter suos est, omne solum ei patria; nusquam familiaribus inter coenam sermonibus [1] accumbit caperatâ fronte mutus auditor; nusquam viam sciscitaturus, mutilis mixtisque vocabulis cachinnum movet accolae [2]; nusquam inter ridentium sales suspiciosus, quid sibi velint, in aurem insusurrat interpreti [3]. Ad haec, magnum omnino confert bene regendae Reipublicae momentum, confinium populorum, sociorum, hostium novisse mores et genium; atqui ista ex solo etiam idiomate non vane conjiciet peritus rerum aestimator; ita produnt gentis indolem ac studia linguae stylus et sermonis rigor aut lenitas. Hoc amplius [4], dispersa per Nationum libros arcana in unum thesaurnm facile corradit linguarum peritia, et bene meritâ manu conquisitas ab exteris Scientiarum divitias profundit in patriam. Denique venustus est [5], et circumstantes mire detinet familiaris sermo, diversorum populorum interpolatus adagiis; dum illa praesertim suis linguis, non alienâ, quam saepe non bene callent, effantur. Et quasi Proscenium panditur, quo diversae Nationes in spectaculum prodeant suâ linguâ declamantes. Suâ garrit Gallus, suâ lascivit Hispanus, suâ sibilat aspiratque et gargarizat Germanus, et subinde etiam barbarum quiddam ac exoticum adjiciunt Turcus et Arabs. Suspendit interim audientium animos interpres, et amoenâ deludit ambage.

Contra tamen facit, quod melior vitae portio in linguis addiscendis prodigenda sit, si satis multas ad ostentationem memoriâ tenere, easque tibi familiares et ad nutum promptas esse volueris. Tetricus qui hic desudat aridusque labor est, sine succo qui pascat animum, tricarum plenus, ingenii vacuus

---

1 mensalibus colloquiis. 2 in cachinnos dissolvit accolam. 3 suspiciosa man divertit interpretem. 4 ad haec. 5 magnam gratiam habet.

quantum ei temporis adjicis, tantum Sapientiae ftudio detrahis. Et forte ubi multa didiceris, vicina confundes, illaqueatus in ridiculum chaos, aegre admodum expediendus, et jam etiam in materno idiomate balbus. Sed etfi rete iftud operofe devites, aut obftinate perrumpas, poft laborem tamen nulla quies. Faftigium hîc non nifi iifdem, quibus ad id fcanditur, nifibus aerumnifque tenetur; fi vel tantillum remittas, mox in antiquum rudimentum devolutus, fenties te cum Sifypho lapidem rotare. Accedit, tot idiomatum congeriem, qua quidam obruunt memoriam, nulli plerumque bono ufui parari, fed Vanitati dumtaxat in theatrum, quo fe jactet, fubdi. Sufficit nobis, cum vernaculâ, Latina lingua; hanc difcipulis, illam popello damus; cur ad fupervacua fudatur? Non mendicanda nobis a peregrinis linguis artium praecepta; totus in Latium conceffit Scientiarum chorus; totus illi linguae creditur hodie doctrinae thefaurus; fola haec e Magiftri cathedrâ tonat, fola Difcipulorum calamos exercet, fola replet voluminibus Mufeia. Hujus commercio in unam Remp. coëunt, quotquot per Europam et ultra difperguntur docti; cum hac, ubi tantum extra viliffimam plebem fumus, ubique in patriâ fumus. Denique in ipfis exterorum linguis, nefcio quo contagio, eorundem vitia funt; alia loquax, alia falax, alia in fupervacaneas [1] caeremonias pompofa, alia in ferviles Principum adulationes projecta. Candidus his, o Belgae, quia colorem facile bibit, inquinatur animus [2].

Quaestio XII.

An inter amicos conveniat Nova, quae Remp. concernunt, narrare?

Hodiernis moribus opportune decretum eft, ut a bonis malifve Novis in familiaribus colloquiis ducatur exordium.

---

1 fuperfluas. 2 *add.* Appendix. Quaenam linguae maxime differunt genio? numquid Hifpanica et Germanica, cum haec unamquamque vocalem plurimis

Nam et ea ſtatim in plurimos diverſiſſimoſque diſcurſûs uberi ſe venâ diffundunt, et ſcite abigunt rancidos illos miſeroſque prologos, qui praemiſſâ ſalutatione non niſi de praeſentis aurae temperie vel inclementiâ praefari didicere. Adde quod exercitio iſto intellectus plurimum in Politicâ Scientiâ proficiat; dum bellicos Ducum aſtûs cum eventibus componit, ſuae Republicae ſtatum cum hoſtium opibus trutinat, ſociorum ex indiciis fidem probat aut ſuſpectat. Et alibi inter calices etiam de Summâ rei deliberat cum amicorum lepido Senatu: quo pacto novis pecuniis exhauſtum aerarium infarciri queat; unde auxilia conquirenda; quo mittendus ad hiberna miles; ubi debeant [1] nova munimenta exſtrui, ubi collapſa reſtitui. Et ſunt quae hîc promuntur, inefficaces quidem tamen ſine partium ſtudio, ſine Principum adulatione ſententiae. Adde porro, quod jucunde paſcatur animus ambiguis rerum eventibus, inter haſtam et caduceum, inter ſpem metumque ſuſpenſus [2]. Nam ſubinde profugam jam nimium pacem intercipit alicubi ancipiti fiduciâ, et futuram ſecuritatem delibat inter praeſentes tumultûs. Et modo inſidias, excurſiones [3], ac ſtragem praeſagit, et inter amicos praeſcire vult videri, et ſubdit tamen hoc ſuſpirium:

— — *Utinam Patriae ſim vanus haruſpex!* [4]

Et modo ſegnes increpat Ducum cunctationes, et indignatur elapſam incautis inter dentes et ungues victoriam. Nec mora, ipſe belli ducem induitur, caſtra metatur, urbes obſidet, militem in moenia ſubigit, et inſtat operi, et a tergo premit, et perrumpit, et vincit; in amabilem inſaniam ſemper ultra et ultra effraeni ſe concitante mente. Dantque iſthaec luculentum indicium, licet bene merendi occaſionem iniqua Fortuna ſemoverit,

---

conſonantibus oneret, illa ſingulas conſonantes accommodet? — Omnes fere linguae, Graeca, Latina, Germanica, Hiſpanica, etc., tria habent genera grammaticalia, maſculinum, femininum, et neutrum; cur Galligenae neutrum ex ſua lingua ſuſtulerunt? 1 oporteat. 2 dum ambiguis... ſuſpenditur. 3 *omitt.* excurſiones. 4 optatque tamen, ut ſit vanus haruſpex.

cordati tamen et unice Patriam amantis animi. Denique debita militibus impenditur Imperatoribufque merces, quorum devota Patriae pectora exponunt fe graffantibus hoftium furiis gloriofum obicem; dum hefternam victoriam, et abactam nuper ab hoftibus praedam, mille modis Fama fedula propalat. In epiftolis fcribit, ad prelum imprimit, per Tabellarios defert [1]; in foris legit, in templis murmurat, in vicis cantat, in tabernis divulgat; alibi exaggerat, alibi dubitat, alibi certat; et tandem bene meritum facinus in hiftoriarum monumentis tradit immortalitati.

Contra tamen facit, quod fua quemque curare [2] aequum eft, aliena vero iniquum:

Navita de ventis, de tauris narret arator.

Quo aufu ftolidum illud vulgus ingerit fe in arcanas Principum curas, et circumfpecta ac defudata confilia temerariae fubjicit cenfurae? Solo nimirum ifta fucceffu plebejum ingenium metitur; a quibus hunc Fortuna refcidit, iniqua funt illis [3], vefana funt illis [3] et perfida confilia, et hinc dilacerant maledicâ linguâ, concitantque fe infulfo tumultu in optimum faepenumero ac Patriae benevolentiffimum Principem. At inter Philofophos (licet a profanis iftis plebeculae moribus fapientiâ fecretos) exilis ille nimium, qui de Novis inftituitur, fermo eft. Indignum quippe eos inter formicarum foffas conftringere, et civitatum, quas in hoc terreftri puncto diftingui rident, obfidionibus detinere, quibus a vaftâ corporum coeleftium mole non minus turget cognatus aftris et familiaris animus. Adde, quod Nova renarrantes confictis plerumque nefcio pro cujus libidine nugis occupemur; tot ifta fcatent mendaciis, ut ipfamet fidem, quam creduli adhibemus, irridere videantur [4]. Sunt qui

---

1 apud Tab. deftinat. 2 fuis quemque rebus immifceri. 3 *omitt.* illis. 4 irrideant.

inter nocturna infomnia lucubratam fabulam mane decantent facilibus illis et ad novum quemque tinnitum arrectis auribus; quae ab his porro ad alios it ac alios, agglutinatque fibi a fingulorum ingeniis partem aliquam,

— — et vires acquirit eundo.

Et fubinde vefperi domum devolvitur, per omnium ora volutatum phantafma, tot additis circumftantiis oblitum, tot accerfitis in munimen figmentorum figmentis, ut jam etiam Auctori fuo non difficulter imponat. Atqui ifta funt, quibus viciffim [1] dolemus ac laetamur, angimur, fperamus, defperamufque ridiculi. Et elufi hactenus, credulam etiamnum praebebimus aurem; ad primum rumorem exciti, forum petemus ocius, et in circulum [2] preffi, aufcultabimus impoftorem; mox audita domum conferemus avidi, et fubinde interpellabimur in viis, et renarrabimus fcite, et fubinde fponte fpargemus in obvios. Ita urimur [3] mortales, ita juvat decipi [4].

Quaestio XIII.

An fuam Patriam fuofque cives aqud exteros laudare conveniat?

Geftat pietatis indubitatam tefferam, quem fuorum tangit honos, quem Patriae fuae decus irrequietis adurget ftimulis, ut impatiens morae involet in [5] munia Famae non fatis officiofae, et meritam fuis pompam apud exteros ducat zelofus apparitor. Atque interim arctas ipfe fibi leges dictat, paria iis quae laudat praeftandi; turpe enim erit, fi degener, fi indignus laudatâ patriâ judicetur ipfe laudator. Adde, praeconium iftud, quod

---

1 in vicem. 2 globum. 3 prurimus. 4 *add.* Appendix. Si verum eft iftud: Ruftica gens eft optima flens et peffima gaudens; numquid neceffe eft ut optimi hodie fint ruftici, utpote qui largam ubique flendi materiam habent, nullam ridendi. — Numquid Pax hodie bene poffet vocari Meffias, et nos omnes Judaei; expectamus tamdiu, et non mittitur. 5 *omitt.* in.

plenis buccis in Patriam difflamus, in nos ipſos provolvi latente ductu. Et cum alibi ſuarum laudum invidioſus ſit encomiaſta, hîc jactantiam celat artificium, et praetenſa pietas geminat honorem. Enimvero glorioſum eſt, in ea urbe infantem vagiiſſe, hîc hauſiſſe ſpiritum, hîc indolem ſuxiſſe, ubi rerum nitor, ubi morum candor, et ad juſtum pondus temperata cum gravitate comitas; ubi inter ſumptuoſas aedium ſtructuras ingenioſa ludit artificum induſtria, et inter opulentum apparatum auguſta conſternat intuentes amplitudo; credibile quippe ſit, illapſam aliquam iſtius aurae particulam, et cum rudi adhuc animulo permixtam, conformaſſe eum ad decus et ſublimitatem. Quid quod praedicatio illa ad referendam gratias alliciat, et totam Patriam benevolo devinciat alumno? Alibi ſcite laudaſſe, unius alicujus popularis amicitiam parit; hîc feliciori proventu, omnium. Et hinc diſtribuendis Magiſtratuum officiis intento populo, magnâ jure merito valet praerogativâ, quem conſtat oblatis occaſionibus e dignitate Civium ſolitum cenſere. Sicut e contrario non niſi repulſam apud ſuos ambit exſecrabilis candidatus, cui quondam inter pocula ſoluto, temere excidit, quae Reipublicae Majeſtatem violabat, calumnia.

Contra tamen facit, quod illa Patriae et civium aſſentatrix laudatio [1] difficulter occulat perorantis jactantiam, alienas laudes ſibi arrogantem. Nam quantumvis illa ſpecioſum praetendat, haec tamen a peritis rerum deprehenditur ſub fuco, et inter clandeſtinas ambages intercipitur; hîc vero dum patet, tum ipſa praeter eam, quae ſibi propria eſt, quam de ſe progignit amarulentam invidiam, neſcio quid malignum de fraude trahit, quod non niſi obtortis oculis aſpici poteſt. Quin huc etiam opprobrii [2] contemptûſque ſpeciem ad acerbitatis ſummam

1 depraedicatio. 2 improperii.

accerſit; dum namque ſuorum decora clangit ſublatâ tubâ, aut his imparia exteris improperat [1], aut paribus inſolenter obſtrepit, donec aſſidentium turba, diuturno jam laceſſita faſtidio, mordaces hinc inde regerit facetias, et tandem inter irridentium ſibilos demittit confuſum praeconem. Et vero ſi pretio iſto aliquantus Patriae veniret honos, non eſſent detrectanda ludibria; Scomma eſt, qúod illi eminus tanto, et eodem nobiſcum, Patriam involvimus convitio. Gravitatem faſtui, ſplendorem luxui vertunt interpretes perverſiſſimi; ajunt, comem illum, qui nobis proprius eſt, officioſumque ſermonem nil eſſe praeter marſupium palpantis blanditias, et ſub compoſitâ larvâ inhiantem lucro cupidinem. Quin fuerunt [2], qui improbo ſpiritu fanatici, lividum calamum diſtrinxere in Dithyrambum, et laudibus, quibus nos gentilis [3] alicujus pietas irradiaverat, diras oppoſuerunt; adeo tenebriones iſtos exagitat, quod ſe non celat decus. Expedit ergo quam ſuos laudare, cum ſuis laudanda facere, et exteros, tacito illo ac ſuavi filo obſequentes, in venerationem Patriae pertrahere, quam intempeſtivo laudum crepitaculo, quaſi vis inferretur, obluctantes experiri [4].

Quaestio XIV.

An in Theatralibus ſpectaculis exercenda Juventus?

Orbis terrae Theatrum eſt; in hoc perſonam agimus omnes, et adoratas regum majeſtates, pariter cum ludicro Tyranno, ſaepe circumſcripſit hora una. Quid ni igitur, o juvenes, optabile ſit in Scenam quandoque prodire? id eſt gratâ viciſſitudine

1 exprobrat, 2 fuere. 3 concivis. 4 *add.* Appendix. Cum legato Regis Hiſpaniarum oſtentarent Veneti immenſam in aerario ſuo pecuniae vim plurimaſque divitias, is bacillo quem forte manu tenebat, terram ſubter diſcutiebat, quaſi effoſſurus quidpiam. Interrogatus quid ſibi vellet iſta geſticulatio, Tento, inquit, an aurum veſtrum etiam radices agat, ſicut aurum mei Regis. Numquid argute retudit jactantiam, admonuitque, ſteriles divitias cum perennibus non bene comparari.

a magno illo Theatro in parvum quoddam ſecedere, ac ibidem exutâ plebis, quam inviti geritis, perſonâ, pari fere cum Mundi Monarchis momento debacchari. Adde, Proceres et Satrapas et circumfuſum incurvo poplite Satellitium, quae in vaſto illo Proſcenio perduellis eſt, hîc eſſe tutam turbam. Conſpirent quamvis, innoxia eſt eorum in caput tuum conjuratio, ſine caede rebellio. Nec mage laedit, quae fabulam claudet, funeſta cataſtrophe. Sed etſi triumphales tibi pompas, et ſupplices ad nutum accurſûs, ex aequo ludat ſimuletque Scena, ne cede tamen, ne cede parte iſta Caeſaribus. Feres etiam hîc, judice me, palmam. Horum honores aſſentator, tuos hiſtrio mentitur; dic quid intereſt? Tibi inter feſtivas acclamationes ſecuro eſſe licet; his ſub blandiente palpo inſidiatur jugulaturus mucro; quantum intereſt! At nos qui Orcheſtram premimus Spectatores, ſuſpicimus in plebejo juvene dignam diademate frontem, et obtutum Solio ac Faſcibus parem. Et ſubinde colligimus, tantillum eſſe quod humilitatem [1] inter et majeſtatem eſt; et deturbamus tandem ex animo peſtiferum illud Idolum, quod Principatui tam magnificum effinxerat Superſtitio, et cui tot anhela ſuſpiria necquicquam immolaverat Ambitio; nec deſunt de circumfuſâ plebe, qui nobiſcum ſentiant, extemporales Philoſophi. Videtur etiam exercitio hoc violentos illos ſpiritus ſedari poſſe, qui, quandoque intra depreſſae et anguſtae ſortis cavernas indignantes, moliuntur irruptionem cum ſtrage, et ad invertendum Reipublicae ſtatum turbulento feruntur impetu. His ſi detur in Cothurnum erigere ſe [2], et in heroica quaedam crepitacula effutire, videntur ſibi inani iſtâ ſpecie naturalem amplitudinem confecuti; et tantiſper laxati, impoſterum concutiunt et quaſſant mitius.

---

1 vilitatem. 2 erigi.

Contra. Compendiofus ad infaniam juventuti trames exercitatio ifta. Animus aetate fervet, et agili implexus fpiritu falit et extuberat fuâpte naturâ. Ad quid adventitio ifto inftigatur impulfu, nifi ut exorbitet toto coelo? et jam res ipfas hyperbolico pede tranfgreffus, imaginariis implicetur deliriis, fabuloforum Heroum ridiculus aemulator. Ita nempe perftringitur ludicris illis Paludamentorum Sceptrorumque fulgoribus, ut ad feria caliget; ita clamofis obtunditur Tragoediae metris, ut verum moderatumque non capiat, mox ad id omne, quod iambico tonitru non immugit, furdafter. Quin haec in fcelus, fi caute penfites, via lubricat. Et quandoque revera faevus eft qui decernit fimulata fupplicia, qui innocentum fanguine et favillâ geftit Mimus; et ferme facrilegus, dum Superos feque execratur, dum frendet et furit, et fas nefafque mifcet. Non totum illud haeret [1] in alienis exuviis; fine fenfu liquefcit [2] aliquid, et diftillat in animum. Diftat Serium a Ficto non ita magno, ut rudes putant, intervallo; aut fane ab hoc in illud pronus eft et lubricus defcenfus. Utut eft, candidum animum non bene ftringunt atrae illae et infauftae larvae; nec decet ingenuum adolefcentem, Sceleris alicujus, quod deteftamur quodque humano generi tam diram inuffit notam, tam apte repraefentare perfonam. Eum ego hominem fufpicio, qui nefanda ifta (ut funt) non effatur, qui nefcit ifta defcribere, cui difplicent non fcelera modo, fed et fcelerum umbrae; qui vellet foedum illud pus, quod virulento contactu refugientem exulcerat memoriam, Nerones inquam et Heliogabalos, quod unum poffumus, in aeterno filentio defodi. Cur cloacam moves? cur portentis illis cortinam aperis? Impius in genus tuum quifquis es nugator.

---

1 Non manent ifta penitus. 2 eliquat.

Quaestio XV.

An expediat viros doctos divites, an, ut fit, pauperes effe?

Naturalis [1] amplitudinis Doctrinae vindices Divitiae. Alioqui ad poftem Egeftatis alligata, necquicquam in valvis ejus promicat, et indignans lora tendit ad fui ferme ftrangulatum. O fi Mufarum Myftae, o fi Aureum illum Numen propitiâ manu laxet illam, quae tam male nos habet, reftim! Quam grata foret inaffuetis pedibus patens in excurfum area! ut juvaret in aperto fole [2] apricari longo fitu jam fenta membra! Nec tamen in effraenem proterviam diffolveremur cum Vulgo, cui Dea illa (quod pace ejus dixerim) nimium indulfit. Alias nobis legis praefcribunt modeftae illae et placidae, quas amamus, quas deperimus Mufae. Sed profecto, quae facies rerum! quantus ineffet officio noftro fplendor, fi iidem effemus et Mufarum Antiftites et Maecenates! Quanta fe caftris noftris agglomeraret turba! Ut fub opulentis ex ftipendio veteranis aemularentur indefeffa tirocinia! Jam [3] incredibile eft, quantum Virtuti conferrent crebrae, quas illi de more confecramus, difputationes et honorificae cenfurae. Quantum haberet Sententia noftra pondus, fi audientes pariter et ratio convinceret, et fulgor perftringeret! fi aurata dicentem fulcirent pulvinaria, et longe in terram fyrmate deflueret e cathedra murex, aftaret pedibus [4] difcolor famulitium! At nunc fub detritâ pallâ, et nudo e pulpito quod unum fupereft, Numini tuo litamus, o Virtus. Aequi bonique confule, o Virtus. Magnifice de te cenfemus, amplum fubito ftylum adhibemus [5], fonora verba congerimus, ubi incidis in mentionem [6]. Nec defunt de numero noftro, qui promiffam barbam et impexum capillitium efferant aufteri, ut fplendorem, quem majeftati tuae conciliare non poffunt, facro quem a

1 Connaturalis. 2 ad apertum folem. 3 Ad haec. 4 fuppedaneo. 5 amplum ftylum inflamus. 6 inciderit de te mentio.

profanis mentibus extorquent horrore eompenfent. Sed hoc tacitus nullo modo praeterire poffum, Philofophus qui fim [1]. In Phyficis fumma regula: *Explora naturam experimentis*; funtque haec tum propriis impendiis tum aliorum, ut neceffe eft fieri, conductis operis fumptuofa. Hoc adminiculo deftituti noftrates Philofophi [2], rifum non teneas, ita fufpicantur et hariolantur varie; et tandem id ftatuunt plerumque [3], quod fpeciofum, quod Mundi harmoniam ornatumque commendet. Salvete o bene meriti de Natura rerum Errones! Quin ridiculo ifto, quo nitimini principio, Philofophos omnes divites afferitis? Et, ut video, affereretis profecto, nifi Senfus tam vivaci ferulâ doceret contrarium.

Contra. Effet doctorum hominum nimis invidenda felicitas, et aliorum deplorata calamitas, fi illos et Opes erigerent et Scientiae, hos Paupertas deprimeret et Infcitia. Cur cum tantis montibus voragines [4] tantae? Nimias illas afperitates exofa, planitie gaudet aequabilis Natura, et liberali fluxu profufa, diftribuit fe potius in omnes, quam avarâ manu in unum congerat, quod caeteris detrahat. Et hinc aliis quidem Mufas, aliis Fortunas elargita, videtur iftâ compenfatione reperiffe paritatem; quia tamen varietate capitur, montes etiam fubinde quofdam attollit, in quos conglobatâ mole, et Scientias pariter et Divitias er Dignitates accumulat. Non invidemus; fed in fubjectum pavimentum cum plebe librati fufpicimus; et fi modo licet, enitimur, et affurgimus exemplo. Sed macte, o quifquis es Mufarum Patrone. Colliga, fi lubet, intra fcamna noftra Doctrinam et Quaeftum; et ecce quae fpecies! Mox fartores, futores, fabros, cerdones totum illum Diti ac Lucro initiatum

---

1 Sed poftremum hoc non omittam Philofophus. 2 *omitt.* noftrates Philofophi. 3 ut plurimum. 4 abyffus.

gregem, abjectis forcipibus et ſubulis et incudibus et ſerris et trullis, intra Scholas noſtras compactum videbis. Quaenam illa confuſio? Interitus rerum paratur iſto molimine. Nihil exaggerandi gratiâ dico. Quid? Nympha noſtra, nullâ pene dote propoſitâ, formâ tantum et auguſta ſpecie, innumeras illas Studioſorum claſſes pellexit in amorem. Et inter hos, quibus interdum feliciori radio Dominae blanditur oculus, pertinaci ad fores ejus ſtatione perdios et pernoctes videbis, ad ſiccam uſque tuſſim ac tabem. Dentur divinae iſti pulchritudini cenſus et divitiae, et deſipio, niſi totus Mundus, relictis neceſſariis miniſteriis, abeat in corrivales. Quod ſi iſta non tenent, ſed obluctamur, et porro ad divitias pergimus avidi, ſaltem hîc in diverticulo tantiſper ſubſiſtendum cenſeo, donec divitum leges nobiſcum ipſi revolverimus; ne forte caſtris illis nomen dediſſe poeniteat, dum ſerius eſt. Eorum haec ſunt officia: interdiu ſaepius loculos inviſere, ſummam recenſere, ratiunculam ſubducere; ſubinde etiam ſperſis hinc inde de induſtriâ nummulis, domeſticorum fidem tentare; veſperi univerſam domum obire, ceras, vectes, et peſſulum explorare; nocte aliquoties lecto exſilire, ſedes et ſcamna infeſtare, angulos incurſare, et vociferari, ne forte celent alicubi illud revellens clauſtra, illud effringens fores [1], quod ſomnum expulit ſomnium [2]. O bona Minerva! quam belle dorſo noſtro quadraret iſta ſarcina! qui quovis negotio interpellati moroſi ſumus et inviti, et interdum vel levi tantum ſtrepitu inter ſacra tua diſturbati excandeſcimus ad convitium uſque et verbera [3].

---

1 alicubi effringens illud. 2 ludibrium. 3 *add.* Appendix. Numquid recte quidam alteri, promittenti quod multa ei poſt mortem ſuam relinqueret, decebat: Morere ergo cito, quia qui cito dat bis dat.

Quaestio XVI.

An officii gratiâ invifentem amicum geniali potione accipere [1] conveniat.

Tardum ac aufterum etiam inter familiariffimos [2] fermonis initium. Nam is depulfo necdum lentore, quem a praecedente filentio trahit, laborat in veftibulo, et duriufcule, quafi remorantes inter afperitates, provolvitur. Si proinde limen iftud geniali liquore proluimus, falva res eft: lubricâ [3] jam femitâ, fertur ocius in confuetas fabulas, quae horas devorant et diem, et ne fic quidem expletae, ad feram noctem abrumpuntur verius quam finiuntur. Ad haec laxat ille fuccus et emollit arcanas curas, quas fobria nimis verecundia conftrinxerat in obftinatam fub pectore duritiem. Hae uno jam alterove hauftu confperfae, macerantur et [4] liquefcunt fenfim, et folutae pertentant exitum; faepiufque repelluntur, et detinentur dentibus, et in fummis labiis reperiunt obicem. At caro finui dum fe offert, dum probatam toties fidem et fpondet et exprobrat, denique committitur depofitum; et ecce! jam generofus eructat fingultus compactam illam, quae immeritum cor fuffocatum ibat, maffam. Subit interim partitum onus amicus, extenuatque verbis. Tum ultro citroque confultant; et montes Aetnae omnes atque afperos Athones [5], quos atra bilis et filentium et folitudo aggeraverant, tandem in planitiem diffundit [6] irriguum de majori Diotâ profluvium. Quin falfos amicos eâdem operâ detegimus. Nam reperto alicubi per larvam fpiraculo, exhalat faepenumero cum fumis Lyaei indoles quaedam humilis [7] et prava, inimica candori, probum illud ac induftrium indigne exagitans, vafro tamen, quamdiu excubabat, ingenio diffimulata. Et qui terga

---

1 amicum potu excipere. 2 familiariffimos inter. 3 lubricante. 4 hauftulo madefactae. 5 verbis, et lunares illos montes. 6 in folitam plan. profternit. 7 vilis.

latenter infeftaverat Sufurro, formam immutante Libero, faciem non reveretur Contumeliofus. Ridemus dum fe prodit, et miferet nos [1], tantum antehac calamiftris et fuco deformem impendiffe Momum.

Contra tamen facit, quod propinatio [2] ifta frequentior amicos dolio tuo pariat, non tibi. Donec huic vena fluet, adhaerebunt lateri Achates ifti. Nutûs obfervant obvii, num forte in pomeridianum adeffe jubeas. Si jufferis, praefto funt cum umbris; fedetur, bibitur; et ut propenfi cujufque animi certa fit tibi fides, ilico faluti tuae confulunt [3], non fine caeremoniis. Nam Salius ingentem gutturi devovet ad ultimam ufque ftillam, quae unguiculo excipienda eft, craterem; et *Sofpes*, ait, *fit hofpes.* Circuit porro per confodalium orbem Amyftis, atque in caput iterum iterumque redit. Sed explora, fi lubet, officiofos iftos; invifentes ficcos habe. Caufaberis exanime jam fere vafculum tuum, ad pulfum digiti, miferum in modum bombilare. Ecce, demittunt auriculas, medios ferme fermones abrumpunt, et

— — diffugiunt cadis
Cum faece ficcatis amici,
Ferre jugum pariter dolofi.

Quid? Nonne grave omne et folidum, quod in Virtutis fundamentum corraferat Sobrietas, emolliunt [4] illa ftillicidia, et diffolvunt in inutile lutum? Tum animus a fubjecto limo flaccidus, cedit arduo, contra difficilia [5] fugax, fubjici [6] et componi promptus, languet ad perrumpendum. Sane experimento difcimus [7], raro verfari ferium inter pocula fermonem, qui honeftati vim et decus addat. Frivolum, et de lanâ caprinâ eft, quidquid hîc garrulas exercet linguas; et quae, diductis

---

1 *omitt.* nos. 2 propina. 3 confulitur. 4 eliquant. 5 difficilium. 6 fubdi. 7 conftat experientiâ.

leviter labiis, modico vix riſu dignaremur jejuni, illa et vix illa ſunt, quae effuſos [1] hîc cient cum temulentiâ cachinnos. Quin ibidem ſaepe manum fatigat alea, et intentum cerebrum vertigine corripiunt ſcrupi et chartulae luſoriae; turpiter ille quaeſtuoſus cum jurgiis labor. Quod ſi incommoda iſta ab inviſentium coetu rariore ſcypho propellas, patieris alia non minora; carum inter caetera caput, et meliora meritum, quem obliviosa praeterierit propinatio [2], neglectûs ſuſpicione confuſum, et vultu luctantem cum indigno pudore.

Quaestio XVII.

An meridianis praeſtent veſpertina convivia?

Auguſtum quid et magnificum habent nocturna ſolennia. Nam languida funalium lumina naevos et inconcinna celant, et rei ſpeciem vicinitate ſuâ commendant, ac ultra verum diſtendunt laterales [3] umbrae; inſuper Nox ipſa, quae fores obſidet cum alto Silentio, quo Majeſtatem Actui concilier, circumfundit aliquid de ſuperſtitioſo Terrore. Quin igitur in ſeram veſperam differas Convivium, ſi tantus luxus tantillo parari poſſit impendio. Tunc etiam animus noſter, qui interdiu in diverſa diſpergitur, curis jam defunctus, conferet ſe totum intra triclinium; retrahenſque ſe ab atrâ illâ, 'quae terras undique coelumque tenet ſolitudine, geſtiet ad candelarum faculas, inſolitâ quadam, quae meridiem non novit, ac titillante laetitiâ. Intempeſtâ ceu forte nocte inſomnes pueri mille timent lemurum ludibria, donec correptâ ſtragulâ obvolvant caput, tremulo jam gaudio ſollicitante corculum, quod confuſum illud Silentum chaos, qui minitabant ſtragem et excidium et his pejora centuplo, egregius iſte propulſet agger. Si genio indultum luberius, ſi plus aequo compotatum fuerit, ſemotis arbitris indicium omne ſepe-

1 inſulſos. 2 propina. 3 collaterales.

litur in caligine. Nec titubantem in reditu pedem notant cum falſâ irriſione late depopulata jam et coeca [1] fora. At anteambuloni ſuſpicionem eximit increpatio; nam accelerat cum lucernâ, retardatve nimium; et vicinior radius perſtringit oculum, remotior abſorbetur ab opaco. Ambo mali duces; quid mirum ſi herus ceſpitet? Domum jam reverſum quantocius excipit cubile. Tum vapido, qui cerebrum circumvolat, fumo ſponte ſociat ſe Somnus, a ſubſidio jam intrepidus, jam curarum, quas ante fugiebat, incurioſus [2]; et illabens deciduo cum rore, mulcet artûs in tenacem quietem, quae nil galliciniis, nil languido mota crepuſculo, abrumpitur demum valido jam Sole, et altum tumultuante cum vehiculis equiſque plebe.

Contra. Meditaris veſpertinum epulum? Ne dubites; aderit cum convivis Proterviae Genius inſolens, Heris inviſus ille paraſitus. Nam qui januam [3] obſervat Pudor, cum admittendi excludendique Diſcretione, Cereris pariter ac Bacchi largitionibus [4] importune ſollicitatus, corrumpitur tandem. Tum [5] ſenſim a poſte reductâ januâ, ſinit intrudi petulcum quoddam; adhuc exile tamen, et non niſi facetiae feſtivâ veſte compoſitum. At fuſcâ quae ſupervenit Nocte, quo ruborem tegat janitor, promittente velamen, faceſſit ille penitus. Jamque [6] bipatentibus foribus, irruit in coenaculum Petulantia cum Turbis et confuſo Neglectu. Et inter accumbentes vagabunda diſcurrens, alibi temerariâ manu evertit cum poculis calices, alibi miſcet diſputantium jurgia, alibi armiſono tinnitu lances collidit et patellas, alibi reducto in angulo delibat oſculum cum lucernâ praeſtolantis ancillae, in herilis ſeveritatis turpe detrimentum. Interea fervet opus, et ſubinde temulentum attollitur quod laquearia feriat *Evohe*. Fugatur e viciniâ Somnus, et feſſos

---

1 coeca jam et late depopulata. 2 incurius. 3 ad fores. 4 donis. 5 et. 6 et.

oculos perofa Vigilia mille diris devovet intempeftivum cum helluonibus hofpitem. Poft haec difceditur, fed finuofo, et fubinde tibias decuffante paffu; donec opportunum nactus, exfilit ex infidiis lavernio, et direptâ fugit cum chlamyde. Tum Fures! Fures! Sed fruftra; nam priufquam foribus alicujus efferatur Pharus, tuta jam dudum fubiit cum fpoliis pirata. Domum venitur tandem; impatiens morae laffitudo oblatum forte circa focum procumbit in fedile. Et protinus alto fepulta fomno crapula aperit fibi ructibus et runcis fpiraculum, craftinis demum ac perendinis medenda repotiis. [1]

Quaestio XVIII.

An indoles agilis et popularis, an fedata et, ut vocant, Stoica fit praeoptanda?

In motu, in ftrepitu, in celebritate [2] Vita eft; Mortis imaginem habent Torpor et Sopor et deferta Silentia. Et vero Mors ipfa ex his unum eft, fi modo falcem feponat, fi fternat [3] tantum, non metat etiam, fi perinde atque affines fui viciffitudinem admittat cum Vitâ. Excitet fe igitur, verfetque, et irrequietum fit ingenium, ut anguftum illud fpatium, quod cunis ac feretro, ortu ac obitu Natura definivit, nullo vacuo intervallo [4], redundet ubique vitâ. Huc Alacritas, Sedulitafque, et vigiles Induftriae; abarcete exiguis hifce moeniis, quantum poteftis de Morte. Satis illi juris eft in immenfum illud ac aeviternum, quod haec circumjacet, Nihil. Cur per otium et defidiam in alienum fundum irrepit infatiabile Monftrum? Sic etiam vicinis excutitur veternus, et animantur exemplo, et

---

1 *add.* Appendix. Lycurgus olim Lacedaemoniorum legiflator legem promulgavit, ne quis in loco abdito vel claufo coenam aut prandium fumeret; quod ideo conftitutum ferunt, ne quis lautius quam par erat vefceretur. Sed fi hodie lex talis ferretur, numquid omnes vefcerentur lautiffime? 2 pernicitate. 3 inclinet. 4 interftitio.

noftris impulfibus experrecti revivifcunt. Tum fpecie rerum tenemus, et novitate fufpendimus; et varietas agili per diverfa difcurfu temperat rancidum illud, quod res omnes inficit, faftidium. Interdum etiam fallimus longum iter, et imponimus horis; et forte navis alvo recepti cum plebe, multa comminifcimur, et cum linguâ nutus pariter geftufque vivunt. Mixtas inter feria facetias avidis bibunt auribus affidentes; et arrepto aliquis per humerum puero, furtim digito nos monftrat, et, Talem, ait, te praeftes aliquando.

Omnis Ariftippum decuit ftatus et color et res,
Tentantem majora fere, praefentibus aequum.

Denique ingenium illud igneum et a naturâ facile fertur indefeffo per Scientias omnes volatu. Nunc in fublime nititur, mox media perlabitur, mox ima legit, et excerpit humanis ufibus apta, et accommodat fe vulgarium captui. Ubi indoles illa durior fedentario et cunctante labore compingit illiberale quiddam et exoticum, importunum commercio, nifi boni judicii difcerniculo atrae bilis integram libram excribraveris et quincuncem.

Pro oppofita parte. Regalis illa indoles et imperio nata, quae torvo venerabilis filentio, virilem praefert fine nutu vultum, fine gefticulatione manum, quae fpecie ipfâ profcribit e viciniâ fuâ proterviam, et pudore multat levitatem, et fuo fe tuetur contra contemptum pondere. At indoles illa tractabilis et benignior (iniquum hoc quidem, ita tamen eft, o Superi) ipfis difplicet obfequiis, ipfâ fui copiâ et fuavitate vilefcit. Non indignatur et cedit; facilis praeteriri et computari cum plebe. Tutior etiam contra malevolorum odia genius ille durior. Nam fi foribus alicubi fe prodat, et allatret dicacitas, nec fubfiftit turpi duello, nec gradum concitat moloffus, fed nequam ac praevalidâ virtute compefcit adverfariorum animos,

et elidit contumaciae laqueo [1]. Si tamen temerarior quiſpiam perrumpat et inſultet, diſtricto unico ac dedignante rictu blaeſum catellum abigit inter ejulatûs. Adde, quod aerumnas ferat, et adverſis perduret illa indoles. Nam proſperis non enervatur, nihil remittit auſtera, ſed collecto compacto ſemper ſemperque robore, perſtat obſtinata, et riget inſtar cautis contra ſaevientem Fortunam. Ubi indoles illa lenior furentibus illis procellis non eſt ferendo; tum quod effuſa ſit benignitas, et affectu in diverſa partito debilior; tum quod incautam, ac meliora de Diis et ſperantem pariter et merentem, duplicatis ictibus adverſarum rerum truculentia tundat et indignitas. Denique Scientiis aptius eſt ingenium illud lentum et conſultum. Non vagatur in incertum, nec temere deſiſtit incepto; ſed quod ſemel congerit in rudimentum, hoc digerit, uni, uni, noctu incubando diuque, nec deſerit ante complementum. Non ſeducitur verbis, non haeret in rerum ſuperficie; ſed pertinaci ad puteum Democriti ligone fundum everrit, et eruit calloſis manibus alte defoſſam ſub hominum delicatâ deſidiâ Veritatem [2].

Quaestio XIX.

An legitimum ſit judicium, quod de ignotis, ex incidente forte cum iis colloquio, formamus?

Sermo dum animo conſonat, interpres ejus, dum diſſonat, plerumque proditor eſt. Nam ſi animi ſenſa [3] os inficiari audeat [4], ſtatim ad equuleum ruboris a conſcientiâ protractum ipſis ſe accuſat indiciis, quin etiam alia quadam a re [5] fatetur ſaepenumero, confuſionis tormento perplexum [6], quae niſi in fraudis odium fuiſſent extorta, puro puto ſilentio conceſſum

---

1 ſtrangulo. 2 *add.* Appendix. Si oportet omnes ingenioſos melancholicos eſſe, quod Ariſtoteles prununtiavit, nonne merito congratulari quis ſibi poſſit, ſi parum hebetior ſit, ſed hilarior? 3 ſi ſenſa cordis. 4 praeſumpſerit. 5 diſpa-rata quaedam. 6 confuſio.

erat occulere. Adeo commercium iftud, quod Natura nobis fanxit, non impune refcindimus mortales. Cur igitur non liceat loquentis animum ex fermone fuo conjicere, praefertim primo? Qui quo ftudiofior effe folet, ut fe commendet novis auribus, eo etiam mentem ex qua nafcitur refert vivacius. Suis nempe motibus dignofcitur animus, et agitatione fragrat aut foetet. Ab omni parte patet, qui cum contentione loquitur; et facile minimum inter ea quae dicit, eft id quod lingua dicit. Frons, oculi, nutus, geftus, tonus ipfe et modulatio, ipfa per intervalla taciturnitas, nihil horum mutum eft, omnia diferta; quam multa excidunt inconfideranti [1]! fed et quam faepe revelat cautela, quod tutius diffimulaffet incuria! Adde quod praeproperâ de aliis fententiâ nobis ipfi tempeftive confulimus; dum adulatorem ab ipfo profcribimus veftibulo, et ante contagium abarcemus quod abjectum eft, quod ferpit, quod defidiâ torpet et languore fopit induftriam, quod obtrectat et fanie pafcitur invidiofum, quod attactu confpurcat lutulentum. Matura vocentur ifta, quantumvis accelerent, quantumvis praecipitent confilia, quae profpiciunt integritati, quae non vulnus modo cavent, fed affrictum, nec uri tantum ab incendio, fed afflari etiam timent. Ne cuncteris hîc, ô judex; periculum in morâ. Ne dubites; in promptu eft, quo lis deciditur, experimentum. Tenta pulfu:

— — fonat vitium, percuffa maligne
Refpondet, viridi non cocta fidelia limo.

Facilem etiam bonis ad nos aditum referamus. Dum parvo admittuntur examine, et extemplo amicos inter recenfentur, eofdem fortaffis averterent dilata judicia, faltem morofa fufpicio exerceret immerito. Probitas et induftria vitio manifeftiores funt; datâ per os viâ, ftatim alacres exfiliunt ad auras; quia

1 incircumfpecto.

publicam lucem non metuunt, fucum non morantur ut prodeant, ſciunt ſe placere genuinâ fronte. Et ut caetera lateant, certe candor loquentis latere non poteſt; conſpicuus ei nitor; etiam cum reliquos

— — *nox atra colores*

Abſtulit, — — —

micat ille tamen et inditâ ſibi ſcintillâ vivit.

Contra. Temeritas vocatur hodie, quae fidit humanae linguae; levitas vocatur hodie, quae tam imbelli nititur [1] conjecturâ; aut inſcitia, quae non redarguit, quae fallaci frontis argumento dat victas manûs. Sermo, nutus, geſtus, dolis ubique ac mendaciis infames. Inuſta eſt, o pudor! detergi non poteſt illa nota; palam eſt, celari non poteſt. Perfricuerunt [2] jam ſaepius homines, et ingenuam frontem triverunt [3]; ſupereſt ſervilis, quae adverſum Conſcientiae carnificinam induruit, callo, et ſub verbere negat et pejerat obſtinata. Si tempeſtate hac vultu ducimur et linguâ, faveamus ergo vaframento, et, repulſo candore, ſuffragio noſtro gaudeat indignus competitor; amicorum larvas numeremus impoſterum, non amicos. Fidem et officioſam ſollicitudinem ad vivum imitantur inanes rugae et inquies et crebra ſciſcitatio. Benevolentiam ſimulant obſequia, et ne ſimulationem nimia prodat affectatio, fraudem fraude temperat verſipellis ſimplicitas, et praetenta [4] libertas inter increpandum adulatur. Hae olim Aulis principum vix notae, nunc plebi quoque familiares artes; ambitionis tunc quidem miniſtrae, lucro nunc etiam ſerviunt, donationes captant et haereditates. Adde, praematura illa judicia bonis viris ut plurimum male cedere [5]. Quid uſitatius quam primos eorum affatûs ad exſpectationem non eſſe?

---

1 ſe fundat. 2 Perfricuere. 3 trivere. 4 praeſumpta. 5 in grande praejudicium vergere.

Frontem plerumque negligit Soliditas, et quo in receſſu fruitur, contenta eſt. Eliciendum, et ſenſim ſe exſeret, quodcumque re ipſâ magis quam ſpecie bonum eſt. Primum oculum quilibet e vulgo pictor rapit in ſuam tabulam; levis tantum variuſque color eſt quo ille rapitur. Si Zeuxis pinxerit aut Apelles, defige te ex adverſo, attende animum, intuere ſingula. Quid ais jam? Miraculum penicilli! Spirat ad invidiam Naturae et vivit imago iſta. Atqui item [1], bonum virum non noſti quiſquis eum in fronte legis. Intus ille eſt, retraxit ſe, et ſepoſuit in arduos caſûs. Non vacat ei ad paſſim occurrentia depromere ſeſe, majoribus intentum. Amicitiam ejus promerere, inſinua te in ejus familiaritatem; uſu deprehendes illum et probabis.

Quaestio XX.

An levando vitae taedio, varia magis quam ſtabilis vitae ratio conducat?

Quid homini taedioſius quam vivere! Vitae moram luſu, jocis, ſomno fallit; vitae ſenſum legum ſolennitatibus, ſuperſtitionum caeremoniis, inutilium Scientiarum tricis obruit et obtundit; Vitam ipſam, praeſentium impatiens, futuri ſpe et aviditate praecipitat. Triſte quoddam et fatale eſt ſub quo gemimus onus; graves ipſi nobis et intolerabiles ſumus; nec, quid diſcruciet, dici poteſt, et non dici videtur expedire. Tabem illam melius effugies ſi non noveris; incrementum ſumit dum correptum te fateris. Ne ſcrutere; vulgaris eſto. Sanari potes, ſi decipi potes, ſi fidem habes amuleto. Principia rerum, recenti ſucco eſculenta, acrimoniâ ſuâ palatum vellicant et ſalivam cient; decocto novitatis condimento, areſcunt et inſipida ſunt media; quod deinceps ad finem vergit, nauſeâ foetet et vomitu. Vides brevi compendio, quam partem in rebus Vigor

1 ſimiliter.

habeat, quam partem occupet Faſtidium; hanc devites, iſtam tene. Uni te mancipat quae in futurum proſpicit anxie, quae momenta perpendit [1], deliberatio. In arenâ conſilium, quod de vitae conditione ſtatuat. Hanc cape vel illam; non tantum intereſt quantum ſuſpicantur moroſae curae. Qualisqualis iſta ſit quam ſeligis, novitate placet, faſtidium excluſit a veſtibulo. Per principium ejus decurre, meta figatur ante medium; hinc reſilies, et ad aliam mox ac aliam divertes te palaeſtram, non diſſimili intentione. Nulla vita vivacior quam varia; quae, irritato leviter appetitu, mox delibat aliud, nec ſatietate ſed aviditate [2] paſcitur. Cur inchoanti lex eſt ut perficiat? Quis hoc decernit? Atra bilis; ut habeat nempe quas Faſtidio mactet victimas, et Pertinaciae, et Deſperationi; ut ſenſim nos aſtringat et exſiccet, et amandet extra rerum Univerſitatem quidquid fluidum, ſolutum, liberale. Non feremus; dentibus et unguibus reſcindimus importunum [3] decretum. Loquere; te audimus, o Vigor, tibi paremus;

Dimidium facti, qui bene coepit, habet,

et ultra finem eſt, qui mediis appropinquat alacriter. Larga regula; ſed tamen te limitat Solertia. Vive, gliſce, ſed Principium inter et Medium; ſi proſerpis ultra, ſi rerum arcana penetres penitius, mox amiſſo formoſo nomine, verteris in anile delirium; hallucinaris; in prunis caſtra vides et lucos in nubibus.

Pro oppoſita parte. Taedia circumfert inſtabilis et vaga vita, non aufert. Si palaris et in devium aberres, plus laſſabere, quam ſi directo calle finem premas inceſſanter. Eſt et ipſius Varietatis ac Inconſtantiae faſtidium, graviſſimum id quidem, et quod ex ipſis naſcatur remediis, inſanabile. Dum nulli ſtabilis inſiſtit, inter divertendum ſe perdit animus; diſpergitur, et irretitur hinc inde, nec colligere ſe poteſt attonitus. Ut

---

1 praepenſitat. 2 pruritu. 3 praejudiciale.

quondam pueri, crepundiis inſani, a paternis laribus abſcedunt longiuſcule; pavent experrecti derepente, circumſpiciunt ignota majoribus ocellis, hiant, ſudant, et incerta diſcurſatio expedire nititur illud inſuperabile chaos; — ita vagus animus, domeſtico, quem ſolita familiariaque pandunt, deſtitutus ſeceſſu, vacillat inter aliena, impos ſui; et hinc rerum peregrinâ facie percellitur, illinc obruitur indigeſtâ multitudine. Scilicet ut harmoniâ rerum, et rite diſpoſitis pacatur animus, ita diſturbant illum quae temere congeſta, quae confuſa ſunt. Angimur ſubinde, et exercet nos minutum quiddam, quod immorigerum eſt, nec ordini concordat quem imaginatio praeſcripſerat. Unam aliquam vivendi normam praeſcribe tibi, non ſpecioſam; duram, rationi magis quam opinioni conſentaneam; in hanc jura. Quas hic generoſus Ardor rogaverit leges, nunquam illas abroget Deſidia, nunquam in diſſuetudinem trahat Intermiſſio, nihil immutet Inconſtantia, nihil in favorabilem partem interpretetur Indulgentia. Rigidus ipſe tibi exactor eſto. Ut multa lubenter facias, illa ſaepe fac quae non lubenter facis. Solidiſſima voluptas, quam ipſe rebus, quibus deerat, aſſuetudine paraveris; tua eſt, tu illam rebus, non res tibi contulere; totam tibi vindices jure meritiſſimo. Quo eminus alliceret ſpecie, Virtutem gaudio tinxit Natura. Sed tinxit tantum; haec eadem bonae mentis exercitio delibuitur penitus et exſaturatur jubilis. Si taedium creat aſſiduitas, et taedium terit aſſiduitas. Conſto in ſententiâ [1] : amarulenta potio uno [2] bibenda [3] eſt ſpiritu [4]. Cur abnuam pueriliter? cur differam? cur ſorbillem modo, et modo remittam, duplicatâ nauſeâ repetendum Decoctum?

Quaestio XXI.

An probabilis affectatio, quae aliorum mores aſſumendo, nativam indolem corrigere ſtudet?

Fundi poteſt Humanus Animus, [5] et typi, cui ſe ingerit,

1 *omitt.* in ſententia. 2 una. 3 diglutienda. 4 amyſtide. 5 Fuſilis eſt animus.

lineamenta consequitur facile; ab illo laevis est aut asper. Nil scalpro, durâ nil opus incude, nec friante malleo, ut demissâ veteri, aliâ circumscribatur figurâ; dum alienos ritûs inspicit attentius, eodem quo capitur, liquescit radio, et in cavum devolutus, influit angulis, circumfluit tuberculis; et inducto coagulo, novus derepente prodit e novâ formâ. Opportunum [1] igitur fuerit, ad boni alicujus viri, [2] cujus copiam nacti simus, ingenium nos confingere [3]. Mores ejus notet Observantia, et in nostros transcribat Exercitium; Nutûs etiam gestûsque, et quae vulgi captum effugiunt minutias, imitabimur [4] studiose. His, si nescis, arctissime signum suum impressit Animus; conformemur, ut pulchrâ metamorphosi boni simus imposterum. Dura nobis indoles et morosa? Lenior aliquis inquirendus in exemplar; teneriores ex illo erimus et mites. Si contra soluti sumus et effeminati, severiore quopiam proposito reformabimur in viros. Si torpet genius et desidet, excitabimur agili; si fervet et ebullit, compescet sedatus. Quam vecors pertinacia! quae totâ vitâ ratum id habet, quod e pravâ nutrice suxit infans, quod quondam puero persuasit pappus, quod imposuerunt [5] nocturna terricula [6], quod inflixit sub ferula magister. Haec [7] sunt quae primam indolem formavere; haec congenita nobiscum, haec ipsa Natura videtur insevisse; religioni ducimus ea concutere. Stramine ligatur Stultitia; cur caput non exserimus e [8] turbâ? quid hîc periculi, ô misselli? Fidite; pacatiora sunt hîc omnia. Inscitia vulgi fulminum ictibus infamat superiora; quia nubes aequat sideribus, putat fumis nostris involvi Solem. Imum est, insani, quod elusis oculis suspicitis inter altissima. Si assurgere non piget, si aequo animo dissentimus a plebe, jam crepundia rejecimus, jam praetextam exuimus, et pari passu gradimur cum viris. Divinum quid habet Philosophi in moribus

---

1 Consultum. 2 bono alicui viro. 3 componere. 4 exsequemur. 5 imposuere. 6 terriculamenta. 7 Illa. 8 *omitt.* e.

a plebe diffenfio [1]; non aegra illa et aftricta, fed exercitio multo liberalis jam et robufta. Audeamus modo; prifcam cum neglectu gravitatem praeferemus redivivi Catones.

Contra.

Naturam expellas furcâ, tamen ufque recurret. [2]

Fruftra cefpitem dimoveas, et fundum pertentes ligone Rationis. Nunquam erues annofum illud robur, quod tam alte demifit intricatum radicem; fin relictâ ftirpe farmentum putes, mox pertinaciori frutice repullulat, et jacturam fui compenfat cum foenore. Non nifi farcophago depones, quod fub fafciis commiferunt incunabula; tecum coaluit, non divelles; tecum afcendet in cathedram, tecum fedebit in tribunali, fub togâ tecum erit et fub fagâ, tecum deportabitur ad Sarmatas, tecum revertetur in Patriam. Dum nativam indolem recudere ftudet [3] Exercitium, inanem pafcit fine fucceffu Credulitatem; periculum faciente et profectûs fpecimen requirente Cafu, non refpondebit Eventus; multa praemeditatum, multa eonfultum deftituet in arenâ Fiducia. Huic tamen abeunti fi [4] vicariam feceris Pertinaciam, depromet haec [5] de duro penu tetricum quiddam et invitum, quod adftringit aftantium ingenuitatem, et taedio vexat [6], et mille modis importunum eft. Muffitamus, caput fcalpimus impatientes, et inter abeundum oggerimus illud Poëtae:

O imitatores fervum pecus!

Scilicet genuino capimur, fictum et affectatum non ferimus. Humile [7] eft quod emendicat; quod aliena fibi mifcuit, adulteratum eft, et defcivit a germano. Sed cur inquietamur queruli? cur ifta tam fpeciofa funt, quae noftra non funt? In aliena te concitas, et fi aeftimare modo noffes, tua, quae tibi viluerunt [8],

---

1 habet a plebe difformitas. 2 *add.* et quod confuetudine ftabilitum eft, ufurpat fibi jus naturae. 3 praefumit. 4 Si tamen abeunti. 5 illa. 6 divexat. 7 Vile. 8 viluere.

ſunt optima. Sortitus es rudem indolem et ſeveram? Gaude, Virtuti debetur iſta; cur emaſculatum te vadas futilibus gratiis, et lacertis iſtis non conveniente cultu? Si remiſſa, ſi faceta ſit indoles, euge! gratus eris, amabere; cur ſerenitatem iſtam obnubiles ſupercilio? cur explicatam a naturâ frontem deturpent adſcititiae rugae? Si lentus ſit genius, constans hic idem erit et ſolidus; si excitatus, duplicabit tibi vitam. Pia mater Natura, dum ſingula mortalibus diſpenſat, compenſat tamen omnia [1]. Pauca conſideranti enormis ſe ingerit aſperitas [2], cuncta comparanti pateſcit lenis aequalitas. Quam aſper videtur ille nobis quem incolimus Globus; hîc ſidera feriunt turres et alpes, illic in tartarum dehiſcunt voragines; ſi tamen de coelo proſpiciat Jupiter, totum unico dimenſus obtutu, glabrum hunc dicat et concinnatiſſimum.

Quaestio XXII.

An animi et exercitii gratiâ procum agere conveniat ingenuo adoleſcenti?

Arcanâ pollet energiâ puellaris ſpiritus, dum teneris evibratus oculis pertentat juvenile praecordium; de ſtatu [3] dejicit animum, ubi incidit ex improviſo, conſternat et percellit, et ſponte ſequacem pellicit in laſciviam, aut aegre ſub luctâ ſibi conſtante [4] pugili, ovat interim invidendâ facilitate. Agnoſceres hîc imperium ſimile Virtutis imperio: blandum eſt utrumque, ſed potens, ſuave, non violentum; utrumque confuſione plectit rebelles. Conceſſiſſe proinde nonnihil et paruiſſe ſatius eſt, o Ingenuitas, quam indigno rubore palloreque vapulari refractariam. Obſequio devincîtur illa potentia, congreſſu, colloquio, familiaritate cicuratur. Exteros attonitos hebet Majeſtas, non ſuos. Nocturni Manium bombi non terrent veſpillones. Quidquid ad cotem Panici pavoris acuitur, hoc aciem perdit et hebeſcit

---

1 ſingula. 2 diſparitas. 3 ſtatu ſuo. 4 ſibi conſtante.

ufu. Eft et ingenio perutilis labor, quem ifta fuppeditat exercitatio. Dominam fermone [1] detineas neceffe eft; difertum te faciet haec Schola. Sed ecce quae Rhetorica: sacros de Religione, philofophicos de Naturâ, forenfes de Republica, familiares de Oeconomia fermones, ab elegantiis profcripfit magifter Amor. Tetricos hos vocat aut frivolos; inter Miofes ei et Battologias recenfentur; fi aliquam ex his phrafim dictis tuis afpergis, ad manum ei vibratae ferula [2] facetiae, et ni ocius defiftas, [3] turpis fcutica repulfae. Sit geniale, feftivum, et cum caeremoniis officiofum, [4] quidquid huc adfertur [5]. Eft tamen et in parte ifta, quod evites. Si exquiras nimium, et e libello dicas, [6] irridebere Pomphologus. Adde quod a venuftatem efflorefcit animus, qui fubinde reficitur [7] arrifione [8], et benigno Dominae radiatur oculo; crudus ille est in juvene et acidus, et non nifi influxu hoc maturefcit in dulcorem. Ut fe effert! quantum fibi fumit fiduciae! fi longo in Ecclefiis atrio confpecta forte Phyllis protinus affurgat inclinanti, et decorâ poplitum bis terve fubfidat inflexione, hinc interea, pedis in averfum ductu, ftridente pavimento, erigit fe exferitque Puber, circumfpicit aftantes, et tacite fcifcitatur fuper praerogativâ fententiam, et ferenatâ fronte praejudicat. [9] Poft haec recipit fe, et Dominae praeftolatur egreffum. Si non gravetur illa, fi admittat oblatam inter officiofas muffitationes dexteram; tum vero! Vix e templi veftibulo folvit, et fingultit, et in acutos cachinnos crepat laetitia. Securior jam a fulcro concitat fe puellaris greffus. Praetervolantes excipiunt officiofâ falutatione noti, ignoti, majores pariter ac aequales; at retro corrivalium zelus longo cum fufpicionibus profequitur obtutu.

Contra. Muliebrem fexum natura fecit fequiorem. Imbellis eft quifquis noftrum cedit, et herilem nefcit obfirmare vultum.

---

1 colloquio. 2 mordaces. 3 fi porro pergas. 4 geniale ... efto. 5 adducitur. 6 libellos dictes. 7 refocillatur. 8 arrifu. 9 perjudicat.

Obſequeris partim, et partim obniteris lenocinio, diverſum te faciunt inteſtina diſſidia. Sed collige te, et in unum corrade vires; totus obluctare, vinces, infra iram deinceps infraque negotium habiturus hoſtem. Si tamen ab improviſo fecerit impreſſionem, conſta qua potes meliore parte; nil deprecare; cladis notam non penitus effugit, qui cum hoſte cogitur paciſci. Erubeſcat ſub luctâ vultus et palleat; tanti ſane eſt aſſeruiſſe libertatem, et ingenuâ cervice recuſaſſe jugum, nec ad unguem diſceſſiſſe propoſito. Nihil animo par eſt, ubi noſſe ſe coepit, et, praelucente ratione, debitum ſibi Sceptrum capeſſivit imperii. Ad haec, periculoſa juveni cum puellâ familiaritas; et non niſi robuſti illius ac incurioſi, [1] quod in nobis pulcherrimum eſt, mercanda diſpendio. Exile quoddam et minutum, paululum ſupra crepundia eſt, quo tota diſtinetur et capitur mulier. Si placere vis, deſcende, vocem extenua, parvus ſemper ſit tuus pullus. Superi! quam bene quadrant Herculi colus et penſa! Gradu ſcilicet inter nos et pueros medius eſt ille Sexus; ambitioſus tamen, fuco rerum et ementitis blanditiis ineſcatur; ſerium omne et quod res eſt infirmo nauſeante ſtomacho. Reſtat igitur ut inſuper Proco ſerviliter ſit adulandum. Sideribus aſſimilet quaedam, quaedam Cynoſurae, et Allegoriae non minima pars ſit benignus ille Solis, qui inferiora vegetat, influxus; de aris interdum et ſacrariis deſpiciat, interdum ceu alter quidam Briareus congerat Hyperbolarum montes, et coelo inferat Dominae ſuae divinitatem. Ludicra videantur iſta; ecce ſyrtes! ecee brevia! Sua deinceps credit commenta, et quod fecit, adorat Numen. Jam demulcet eum fractus Puellae inceſſus et affectata deliquia; nutus unus, geſtuſque, certus tuſſendi modus languentem habet. Quinimo

Turpia decipiunt coecum vitia, aut etiam ipſa
Delectant, veluti Balbinum polypus Agnae;

---

1 incurii.

et ad haec defigit interdum ſcintillantes oculos, molli quadam teneritudine, cordis ſauciante [1] meditullium. Totus dedititius [2], totus impenſus; diffluit inter deperiendum, et perit. Adeo praecipitat hic ſemita, male cauti Puberes, quae de Ficto vergit in Serium. Et ut alibi ſit latum ſatis Genuinum inter et Simulata diſcrimen, certe mimeſis amoris amor eſt. [3]

Quaestio XXIII.

An, quod illuſtres quidam Auctores fecerunt, commentitias Hiſtorias edere conveniat?

Soror hiſtoriae fabula. Magis arctum eſt inter illas, quam imperiti putent, contubernium. Fideliſſimus etiam Commentator multum habet de Poëta. Extemporales inter geſta fuerunt Principum Ducumque ſermones; eoſdem habet Hiſtoria compoſitos [4] a diſertiſſimis hominibus, elaboratos cunctante ſtylo, et exoticam iſtam imaginationem, qua quondam Heroës effinximus, exaequantes. Inſuper quae vulgaribus circumſtantiis immixta latebant partim, et partim communione viluerant, juxta regulam Hiſtoriae praeciſa, jam omnino ſunt alia, jam ad oculati quoque teſtis ſuſpenſionem inſoleſcunt, rara penitus et auguſta ſunt. Speculum Veritatis eſt Hiſtoria; ſed auget formam; textrix eſt, et telam, cui Natura cum auro forte et byſſo vilem lanam et cannabim interneverat, rudi glomo rejecto, retexit in Attalicum Paludamentum. Quid juvat ergo ſe conſtringere, et arctam Veritatis ſepem circumdare, ſi tranſiliendum ſit alicubi? Latus et pulcherrimus in procurſum campus, ſi maceriam illam tollas. Quid juvat proplaſma [5] praefigere tabulae, ſi evagetur [6] generoſior penicillus, ſi imitari dedignetur, et ſuperet propoſiti

---

1 ſauciante cordis. 2 acclinis. 3 *add.* Appendix. Quidam interrogatns, quot eſſent Sacramenta? Sex, reſpondit. Juſſus enumerare, Poenitentiam omiſit. Quod quum objectum fuiſſet, ſcite reſpondit: Poenitentia ſufficienter ſubintelligitur ad Matrimonium. Sed numquid ſubinde ſufficienter etiam ſubintelligitur ad Ordinem? 4 praemeditatos. 5 ideam. 6 exorbitet.

ſpeciem? Euge! iſta colorum temperies, liberalis ille ductus, iſtud lineamentum tam decens [1], tam vivax, in hanc aut illam Nympham non quadrant; ſummae ſunt iſta reſervanda Pandorae. Bonae mentis adhuc illa labes eſt, ut Virtutem, quod eam quamplurimis optet eſſe communem, affingat immeritis; probrum adulationis ſibi conſciſcit incauta Pietas. Nulli formam iſtam aſtringe materiae; divina eſt. Exhibe [2] nobis boni Principis Notionem [3]; dic licet in ſchemate quid egerit; dic juſtitiam clementiâ, dic potentiam temperaſſe modeſtiâ, dic terribilem hoſtibus, mitem devictis, Patrem inter ſuos magis audiviſſe quam Dominum; cur hunc Alexandrum appelles? Faceſſat

Felix regnorum praedo, non utile Mundo
Editus exemplum;

cur Caeſarem voces? Impotens ille eſt, dominatus libidini fas omne proſtituit; Anonymum vocabis eum. Si ſuſpenſum deſideras et avidum lectorem, ab humili Principem tuum deduces in faſtigium, infractum repulſis, adulationum negligentem ambages, pulchrâ per invium eluctantem incuriâ. Narrabis, ut inſidias eluſerit ſine dolo, ut fraudes Aulae ſine fraude devicerit, turpes illas Machiavelli Noctuas ſimplici ſemper excoecante Candore. Ah quomodo nos rapit robuſtum illud et liberale! quantum ei decus! Hoc ſane, ſi quidquam, humanis mentibus inditum, vocabimus divinae particulam aurae. Tandem aevi noſtri vitia inſectabere liberius. Queri licebit exulem ab animo pietatem, et ad externos ritûs proſcriptam; Serium omne nugis et argutiis contaminatum; praecluſum generoſis ingeniis ad amplitudinem iter, vafris et humilibus patulum; credulos gubernatores, Reipublicae clavum piratis cedentes, non ſecundum immobilem juſtitiae Cynoſuram, ſed privati quaeſtûs et ambitionis Erraticam velificantibus. Si haec auctoribus ſuis ſubſcribas vitia,

---

1 vehemens. 2 describe. 3 ideam.

Periculoſae plenum opus aleae
Tractas.

Sub patria poteſtate ſunt; non irritabis impune. Ubi larvis quibuſdam et fictis nominibus emancipantur, tutum eſt ea prout merentur traducere; Poſteri, ſic hodie ſunt Candor et Veritas.

Contra tamen facit, quod Commentitiae iſtae Hiſtoriae fraenum paulatim laxent calumniis, dum ſatyricis ingeniis in latibulis ſuis ſpondent impunitatem. Vix carceribus et lictore coërcetur ille furor, quin oeſtro ſuo percitus erumpat aliquando, et Principum virorum famam ſugillet, et optimi cujuſque verecundiam proterat ſub pedibus. Dexteram ei praecîdas [1], maledicam linguam evellas e faucibus; non deſiſtet; minatur etiam ſic, immurmuraturum ſe terrae, ut iſto ſemine ſurgant arundines Midae, quae ad venti flatum reſonent occulta vitia, quae te toto Mundo traducant, et infament,

Et miſero ſocient Lycambi.

Sic debacchatur intra clathros ſuos iſta rabies; quid futurum exiſtimamus, ſi quovis praetextu fores habeat reſeratas? Sed eſto. Scriptor Commenti vir bonus ſit; Candidum ſit ei pectus, et a furialibus iſtis facibus non ſuffumigatum; noſti Saeculum hoc quale ſit? Callidis ſcatet et acutulis, et (ſi ullum anterius) in exoticas interpretationes effuſum eſt; verba ſingula percolant, ſyllabas omnes ad vivum diſcutiunt. Et quod Pappo accidit, dum forte ſub ſeram veſperam ad focum garrit cum nepotulo; nam in ſemiſopitis prunis caſtra vident, et reges, et ſi Dîs placet, Belluam Lernae; — ita et hi delirant; legunt in Auctore quae non ſcripſit, quae ne per ſomnium quidem cogitavit. Futile vitium, nec tamen magnis caret exemplis. Audi Lipſium noſtrum de hoc hominum genere conquerentem: *Quae nos*, inquit, *communiter diximus*, *ſic volunt accipi*, *quaſi in Titium*

---

1 praeſcindas.

aut Sejum dicta, *imo Vates etiam agunt*, *non lectores*, *nec ſumunt a nobis ſenſum*, *ſed adferunt*, *et mentem aliquam affingunt ex ſuâ mente.* Si in Doctorem haec audent, qui non geſta narrat, ſed gerenda praecipit, vitia damnat, non homines; quid in Hiſtoriam? praeſertim ubi perſonarum rerumque fictio ſuperſtitioſis ingeniis auguria ſuppeditat, allegorias ingerit et myſteria. Ecce! naſutior iſte Sibyllam interpretabitur; ſenſum tuum odoratus [1] eſt, rem acu tetigit. Nega, clama; ſecus non credent, ne jurato quidem. [2] Adde, fieri facile poſſe ut Fabulae iſtae veris noſtri temporis Hiſtoriis fidem derogent. Caduca res eſt teſtimoniorum religio; dum vacillat, evertitur; ſuſpecta res eſt; dum in uno feſelliſſe deprehenditur, tota rejicitur. Periculum ſane, ne ubi veriſſima etiam in Annales contulerimus, Graecae tamen fidei inſimulent aevum noſtrum [3] ſeri nepotes. Adeo ſunt ad Scenam pleraque, ſed heu funeſtam! Si autem hiſtoricam fidem a poſteris non requiras, ſi perſpicaci lectori ſatis innuas, Ideam te ſcribere voluiſſe, non Hiſtoriam,— ſteriliter ſane te fatigas. Surculus ille quem pangis, eodem pene quo Hiſtoria labore rigari et coli poſtulat; praecipuum tamen Hiſtoriae fructum, ſtudium inquam imitandi, non profert. Exempla nos docent, non commenta; quia homines pedum poſt ſe veſtigia relinquunt, quae viam ſignent, non inanes umbrae. Floſculum forte delectationi progignet ille frutex, ſed vanum et brevi deciduum. Nec ſolide, nec diu delectat, quod tantum delectat. Natura voluit voluptatem condimentum eſſe, non cibum. Pernici ſemel oculo luſtraſſe Fabulam, avidae [4] curioſitati ſat eſt. Imo ſubinde ſiſtimus in medio, conſcii nimirum, earum apud nos imaginum innumerabilem eſſe copiam, quas exponimus obtutui, dum volumus, nec ad ſculpendum alieno nos indigere caelo. [5]

---

1 ſubodoratus. 2 *add.* velis nolis dithyrambicus es, Anticyras tibi navigandum. 3 Graecam tamen notam apponant aevo noſtro. 4 prurienti. 5 *add.* Appendix. Aegyptius olim ſacerdos Solonem et Graecos pueros appellabat, quod veteres hiſtorias neſcirent; ſed numquid hi qui nimis belle callent illas, et recentes hiſtorias negligunt, ſenes et bis pueri sunt?

Quaestio XXIV.

Utra praeſtantior, Belgica [1] *an Latina lingua?*

Acris ſaepenumero in ſympoſiis aliiſque amicorum coetibus Idiomatum inter ſe digladiatio. Nos Latium huc et Belgium [2] produximus in Palaeſtram, induimus Caeſtûs, et concitamus in Luctam. Rident quidam, ut video; Herculem ex nunc diſtinguunt et Antaeum. Sed praeoccupati sunt; homines praejudiciis hîc ferme laborant omnes; Aequitas ſola Brabeutes eſto.

Primum igitur pro Latinâ linguâ eſt, quod latiſſime per Orbem diſperſa [3], in Sacris ritibus, in Scholarum pulpitis, in doctorum libris pene ſola ſit. Belgis etiam ac Germanis, neſcio quo fato, pluſquam Italis ſuis placuit; lippi callent hîc illam et tonſores, et pene dixeram, mulierculae. Certe quod olim de Romano Imperio cecinit Poëta, hodieque id obtinet in Linguâ:

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo;
Romanae ſpatium eſt urbis et orbis idem.

At Belgica [4] lingua ubi eſt? In hoc terrae augulo, in hac glebâ; et ibidem non niſi verna et famula, per culinas ſtrepit et popelli tabernas. Aulam frequentat Gallica, Academiam Latina, mercatorum Baſilicas Luſitana, inter elegantiorum ſubinde coetûs Itala laſcivit et Caſtellana. Quam ſonat iſte caeſtus, o Belgica! [5] Nil miror, ſi diro verbere dentes aliquos excuſſerit tibi; quod ſi ita eſt, degluti et abſorbe protinus, ne advertat Antagoniſta.

Ridet indignans; et quod nos exitialem interpretabamur ictum, teſtatur inanem eſſe dumtaxat inter caeſtûs complodentes crepitum. Et caput quaſſans cum generoſo faſtu: *Vices ſuas habent res quaeque; erit*, inquit, *cum fucum pertaeſus*, *adorabit Can-*

---

1 Flandrica. 2 Flandriam. 3 recepta. 4 Flandrica. 5 Flandria.

dorem, et Belgarum imperio colla lubens ſubmittet Orbis. Tunc non unius victrix certaminis, ſed Pentathla ferar. Sic ait, et protinus in mediam ſe proripit arenam, ingruitque Latio prior, agitque hoc argumenti pondere. Belgas [1], quibuſlibet peregrinis linguis addiſcendis, ſua lingua promptiſſimos reddit. Ita eſt; id ipſum exteris frequens jam comprobavit experientia. Paucorum menſium exercitio Italis Italum, aut ipſis etiam Hiſpanis mentimur Hiſpanum; niſi ſubinde conſpicua magis cutis celare nos nolit. Vocis accentum, quin etiam crebriores in iſto populo nutûs ac geſtûs (quorum quidem nos ſincerior Natura fecit expertes) animi tamen gratiâ, dum lubet, imitamur ad vivum. In ipſâ etiam Romanâ linguâ quibus cedunt Belgae? imo qui non cedunt Belgis? Unde depulſâ nuper praecedentium ſaeculorum barbarie, priſcus illuxit Orbi Latino nitor, niſi e noſtro hoc Belgio [2]? Eraſmi, Lipſii, Grotii, Puteani noſtri ſunt; da Latium adhuc viros, quibus debes tantum. At vero qui aliud in cunis idioma ſuxerunt [3], mirum est quam exterorum linguis deinceps addiſcendis ſint inhabiles: quocunque devenerint, ſemper olent maternas caepas. Et ne longius excurram, res patet in vicinis noſtris Walonibus; qui vixdum ex ephebis egreſſi, et huc forte tranſlati, dum idioma noſtrum affectant, oleum et operam perdunt; *Curvilingues* (ſic Belgis vocantur) [4] degunt inter nos ad capularem uſque ſenectutem. Eandem difficultatem Itali experiuntur et Hiſpani, tum in mutuis linguis ac Latinâ, quas confundunt, tum in Germanicâ ac Belgicâ, quas miſere mactant, addiſcendis. Et id ipſum procul dubio notaremus etiam in Latinis, ſi alicubi reſtarent indigenae [5], ſi non tempeſtive totos ſe abſcondiſſent in libris.

Haec pro Belgio. At intentatum ictum retundit hoc umbone Latium: Egregiam vero laudem, o Belgica [6]. Quid hoc, quo

---

1 Flandro-belgas. 2 Flandro-belgio. 3 ſuxere. 4 *omitt. parenth.* 5 indigetes. 6 Flandria.

ita turges, eſt aliud quam caeteris idiomatibus ancillari? Nam quemadmodum Ludiones et Pyrrhicharii plumbum circumferunt in ſoleis, quo pes ab onere ſolutus in Scenâ [1] cum levi ſocco ſaltet agilius; — ita Belgica [2] lingua gentiles ſuos aſpere habet. Duriuſcula eſt et barbarizat. Vox utplurimum non niſi ſyllaba; et in unam ſyllabam integrum aliquando plauſtrum exonerat Aſpirationum et Conſonantum. Hinc dum Belgae nitidis exterorum ac facilibus ſe addicunt linguis, velut manumiſſi a rigidâ paedagogâ, luxuriant, pluſquam ipſi indigenae [3] in eloquium effraenes. Honorarium eſt iſtud verber, mi Belgica; pectore excipias aut cavo latere, ut ſonet, et teſtetur ſub artubus robur. Ne te pudeat, ne diffiteare; Virago [4] es pariter cum Germanicâ linguâ, ſed tamen ſorore, vel (ut quidam volunt) matre tuâ placidior.

Admittit, ut ſuademus, et ultro inſultans: At Latina lingua, inquit, mollis et effaeminata. Vix ultra duas Conſonantes proferre valet ſine fulcro Vocalis. Blaeſa etiam eſt, et balbutit, frequenti ejuſdem ſyllabae geminatione; audi balbutientem in exemplo: *Quid de re mererere? Quid de re rere rara? Jactat faber feciſſe ſeſe ſecurim.* Hoc amplius [5], quia ultimam ſyllabam Latina lingua non producit, in qua tamen Nominum ac Verborum Declinationes conſtituit, hinc eminus per clamores non intelligitur. Ex Theatro etiam ac Suggeſtu non percipitur, niſi ab exercitatis pronuncietur, qui uſu didicerunt vim aliquam ultimis ſyllabis, licet eas corripiant, impartiri.

Excandeſcit crebris his laceſſitum ictibus Latium, et cum convitio: Da, ſi potes, exlex et barbara, Regulas quae te dirigunt [6]: etiamnum in incude Grammatica tua nec prodit; et ut vides, deſperant, qui in hoc unum tam impenſe deſudant artifices. Quid exteros invidioſe traducis? quid miri, nunquam bene diſci, quod doceri non poteſt?

---

1 proſcenio. 2 Flandrica. 3 indigetes. 4 maſcula. 5 ad haec. 6 quibus dirigeris.

Irrumpit adverſum iſtaec cum furore Belgium: Quid? — Sed ne ludicra vertantur in ſerium, finis eſto Luctae. Ecce quia Gymnaſta ſum, deponunt caeſtûs et obediunt [1].

Quaestio XXV.

An furor Principis, an populi magis exitialis ſit? [2]

Atrocior eſt noſter quam Jovis ignis. Alpes hic ferit et turrium apices, ſecurae valles humileſque caſae. Ille dum furit, ventorum forte flatibus irritatus, tecta, templa, ſilvas, ſegetes, ima pariter ac ſumma, nullo corripit diſcrimine. Sic dum Principis aliquantiſper ſimultate preſſa intumuit ira, crepat illa cominus, et ſtragem edit in Satrapas; tutum eſt eminus Terrae Filiis ſpectaculum. At ſi vulgi turbulenta rabies Legis excuſſerit capiſtrum, contumaci ungulâ

— — *ruit omnia late*;

fas, nefas, ſacra, profana ſuſque deque habet. Inter baliſtas et fragores, inter ſudes et ſaxa, inter faces et incendia graſſatur in Principem ac Optimates, etiam per ſuum latus. Theatrum eſt Moſcua, Moſcoviae metropolis, in qua trux Erynnis lugubrem nuper exhibuit Tragoediam, quae locuples teſtimonium faciat meae Sententiae. Res ita ſe habet. Anno 1648., 1 Mai. [3], Moſcoviae et Ruſſiae Imperator cum Patriarchâ et Clero ac praecipuis regni proceribus (Bojardos vocant) ad ſolennem, quae quotannis iſto die peragi ſolet, Supplicationem accingitur. Cives Moſcuenſes, opportunum rati, querimoniam ſcripto ediderant, eam ad Imperatoris genua, dum pietati vacaret, dela-

---

1 *add.* Appendix. In linguis vernaculis hodie nullae ſunt nominum declinationes; defectus caſuum ſuppletur per diverſas propoſitiones. Numquid magna commoditas adduceretur ſi de verborum caſibus ſeu temporibus idem fieret? — An recte M. Pomponius grammaticus interpellaverit Tiberium Caeſarem admiſcentem orationi ſuae aliquid quod minus Latinum videbatur, his verbis: Tu quidem Caeſar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes. 2 An exitialior furor Principis an populi? 3 *omitt.* 1. Mai.

turi; querebantur *immenſis ſe vectigalibus, quae aliquot jam annos pendebant, exhauſtos; quod miſeris a duro iſto torculari ſupererat ſanguinis, id Bojardorum praedam eſſe; quapropter malle ſe ſemel cum conjugibus ac cariſſimis pignoribus jugulum lictori praebere, quam infelicem vitam tamdiu trahere per tot aerumnas.* Hoc inſtructi libello, accurrunt ad Caeſarem. Denſa ſtipabat illum Bojardorum corona; hi abarcebant ingruentem populum et prohibebant aditu. Quidam etiam e Bojardis videntes libellum, quem unus ſupplicum praetendebat, diripiunt eum e manibus, perlectum lacerant, de caetero mandant famulis, *fuſtibus egregie multent insolentes illos vappas, et abigant in malam crucem.* Probrum hoc, et miſtum cum ſaevitiâ ludibrium, multitudinis animum, graviſſime jam ante afflictum, incredibile eſt quantum exulceraverit; diſſimulant tamen, quoad Sacrorum caeremoniae finiantur; interea mutuo fremitu, et ſummi Numinis obteſtatione, juſtas iras exacuunt. A meridie cum turbis confertim adſunt ad Caeſareum Palatium; hîc plebi junguntur Imperatoris praeſidiarii, et ipſi propter imminuta nuper ſtipendia deſperabundi, qui acceſſione ſuâ ſeditioſum illum numerum auxerunt ad aliquot millia. Hinc factâ manu concurritur ad palatium Boryſii, ſummi totius Ruſſiae Gubernatoris, qui ab aliquot jam ante menſibus [1] Imperatricis germanam duxerat in uxorem; irruunt diffractis portarum ceris ac vectibus, momento diffunduntur intus per omnes aulas et atria; et non invento Boryſio (nam is clanculum per poſticam evaſerat ad Caeſarem) immenſam auri ac argenti ſupellectilem pretioſiſſimaſque margaritas per feneſtras undique conjiciunt in publicum. Nemine eas deinceps manu contingente, certatim clamabant: *Toot naſſi kroof!* id eſt, Ecce noſter ſanguis! Reliqua, quibus ars pretium fecerat, velut picturas, tapetes, et ſtatuas, gladiis conſcindunt, et proterunt pedibus. Hinc vertunt ſe ad domum Tſiſteſii, qui erat

---

1 *add.* Auguſtam.

ſummus imperii Cancellarius; et offendentes eum in lecto (decumbebat enim ex male ominato vulnere, quod non ita pridem ex equo prolapſus acceperat in occipite) nudum eripiunt cubili, capite proſtratum, per pavimentum raptant; dein in hortum trahunt ad ſterquilinium; hîc pugnis, ſaxis, ſtipitibus vapulat. Quique letalem ei ictum ſecuri impertitur: *Iſmeenic toot pro ſol*, id eſt, Proditor, hoc pro ſale; ſali enim infelix iſte Tſiſteſius grande vectigal nuper eonſtituerat, neſcius, ah demens! brevi id ſibi capitis tributo apud rigidos hos telones ſolvendum reſtare. Aſt illi, occiſo hero, nihilo ſegnius domum ejus impetere, obvia quaeque proſternere, ſecare, demoliri, vaſtare; inter pulveres et rudera, inter fumum et ruinas, conſuetum hoc rugire: *Hic eſt noſter ſanguis.* Mox domus Praetoris urbani ac plurium aliorum Bojardorum ſimili gaudent ſorte; ipſi tempeſtive ſe ſubduxerant, et ad vicina monaſteria confugerant. His geſtis nox ſupervenit, et exaſperatos leniturus videbatur ſopor. Cum poſtero die, orto vix Sole, recrudeſcit heſternum ulcus. Confluunt iterum ad Imperatoris Palatium, poſtulantes ocius ſibi ſiſti ad manus Pleſeophum, qui unus prae caeteris civium omnium flagrabrat odiis et execrationibus; item etiam Boryſium Ruſſiae Gubernatorem, qui pridie e manibus eorum elapſus fuerat; item etiam Troghniotophum. Imperator, ſperans unâ victimâ pacandum populi furorem, Pleſeophum emittit cum Lictore, qui ad conſpectum ſecuri caedat [1] infelicem. Vix prodierat, involant; ad forum pellunt, raptant; huc ubi deventum, fudibus contundunt, ſecant ſecuribus, confodiunt gladiis, nudum ac diſcerptum cadaver ſpectaculo relinquunt. Et rurſus ad Palatium, pro Boryſio jam. Videt Imperator, rabiem illam, dum ſanguinem lingit, efferari magis magiſque. Prodiens igitur cum planctu, quem res fictum eſſe non ſinebat: *Amici*, inquit, *et cives mei*, *biduum concedite*, *ut conſulam de* [2] *duobus iſtis*,

1 ad conspectum decollet. 2 ſuper.

quos tradi vobis petitis; reſpondebo voluntati veſtrae quantum fas eſt. Et nihil de his, quae impraeſentiarum gerebantur, conqueſtus, ſubtrahit ſe cum gemitu. Humilis iſta Majeſtatis ſpecies et abrupta cunctorum animos emollivit pariter ac perculſit. Altum ſubito ſilentium, nec ultra quidquam; domum abeunt ſedati et moeſti. Sed ecce tibi inopinatum [1] quiddam, et his quae hactenus praeceſſerunt atrocius. Eodem die ſub meridiem incendium ingens, nec unicum, variis diſſitiſque locis diſperſum, quod ventis inſtigatum, et his qui ad extinguendum accurrebant, quod in diverſa tenderent, in ſe mutuo impactis et confuſis, graſſabatur impune; adeo ut ſpatio quatuordecim ferme horarum tertiam magnae illius urbis partem redegerit in cineres. Qui interfuere, ajunt incendio illo abſumptas eſſe domos ultra quinquaginta millia: inter quas etiam Palatium [2] Nikitzii, Imperatoris avunculi, quod inaeſtimabilis pretii fuiſſe perhibetur; ſtructurâ pariter ac ſumptuoſâ, qua refertum erat, ſupellectili ſtupendum [3]. Cumque incendium iſtud inciderit in meridiem, perierunt tamen homines, ſive flammis impliciti, ſive fumo praefocati, mille ſeptingenti. Hoc tunc etiam accidit memorabile. Sub mediam noctem, cum flamma jam perrexiſſet ad forum, ubi cella vinaria Imperatoris, in qua vinum aduſtum, cujus apud gentem iſtam creber potus, maximâ aſſervatur copiâ; cumque periculum eſſet, ne ſi flammam concepiſſet, pereundum eſſet omnibus; ajunt Monachum quendam adfuiſſe, ſtricto [4] gladio; quantum poterat coetum populi coëgiſſe; et protinus: *Niſi caput hujus Sceleris* (monſtrabat autem cadaver Pleſeophi, quod nuper [5] per lanienam exanimatum, nudum etiamnum jacebat in foro), *niſi*, inquit, *caput hujus Sceleris ultricibus iſtis flammis devovemus, actum eſt de nobis omnibus.* Nec plura; ipſe caput cadaveri amputat, et vino aduſto intin-

---

1 inſperatum. 2 aula. 3 cujus pretium aeſtimabatur quatuor millium millium Roblorum, id eſt, ſecundum noſtram monetam aureorum vicies centies millium. 4 evaginato. 5 pridie.

ctum conjicit in medias flammas. Res miraculo ſimilis; nam in foro ſedatur incendium. Extemplo conſequitur vulgi ſuperſtitio, et truncum eadaver in partes conciſum, variis locis, flammis propitiandis objectant. Inter haec quidam ex Incendariis deprehenſi et in carceres detruſi; poſtridie vero, in quaeſtionem poſtulati et torti, fatebantur diſerte, ad facinus pecuniâ emptos ſe a Boryſio Ruſſiae Gubernatote, qui ſuavi hoc diverticulo populum detinere [1], et a conceptae in eum ſententiae exſecutione avocare ſtuduerat. Tum vero frendere omnes et diſrumpi [2]; ad Palatium irruere; ſublatis vociferationibus Scelus iſtud et Patriae buſtum depoſcere ad ſaevam necem, ſine morâ, jam, jam. Contra Imperator laborare, viri ſalutem humiliter deprecari, inſtare, et quae antehac bene geſſerat [3], apud populum exaggerare; ad haec Nikitzium avunculum [4] ſuum deprecatorem [5] facere. Erat is populo perquam carus, tum ob recentem ac communem in incendio iſto jacturam amabatur tenerius. His tandem flexi, deſcendunt [6] in hanc ſententiam: ut praedictus Boryſius, Ruſſiae Gubernator, muniis omnibus ac fortunis exutus, inſuper tonſus et cucullum indutus, initietur in Monachum, ablegeturque in Monaſterium Kirilienſe, quod centum milliaribus diſtat a Moſcua, ſitum ad ripam Sochinae; et ſententia haec executionem ſortitur duodecimâ Junii, eodem anno 1648. [7]

---

1 intertinere. 2 ringi. 3 praecedentia ejus merita. 4 cognatum. 5 interceſſorem. 6 condescendunt. 7 *add.* id eſt, a quatuor jam circiter annis. Appendix. In Moſcovia, propter lapidum penuriam, domus, turres, moenia, imo ſtrata platearum, ex lignis omnia; igitur incendis infames ſunt omnes civitates. At in Hibernia paludes ſunt omnium ſcriptis decantatae, quae injecta ſibi ligna vertunt in lapides. Numquid Natura melius feciſſet, ſi aliquas ex iſtis paludibus ad miſeros Moſcovitas tranſtuliſſet? — Quid cauſae, quod Moſcovitae frigidiſſimam plagam incolentes vivant fere moribus calidarum nationum? Nam mulieres apud illos non prodeunt in publicum; in meridie etiam cubitum diſcedunt uſque ad ſecundam aut tertiam pomeridianam, ad inſtar Italorum.

Quaestio XXVI.

Oppofita pars praecedentis quaeftionis hîc tenetur.

Mitior eft naturalis quam artificiofus ignis. Nam fi intempeftâ forte nocte non rite fopitus focus alicubi fecerit incendium, exciti ad pulfum Feralis Nolae, concurrimus protinus cum fcalis et hamis; et hinc detractis, qui fuppetebant in pabulum, titionibus, depluentibus illinc fyphonibus et fitulis, tandem abigimus indignantem inter ftridores Vulcanum. At fi is pyrio conceptus pulvere latentes devolvitur per cuniculos, premant eum gravia murorum moenia et incumbentes cum turribus arces, non fupprimént. Onere laceffitus eluctabitur, et perrumpet in ftragem horribiliorem. Sic etiam populi furor apertâ nititur viâ. Non textae, non repentinae machinationes; maturâ feditiofi capitis fuppreffione, incuffâ fuperftitione, vanâ fpe, aliifque quibus mancipatus eft affectibus, terretur, circumvenitur, fedatur facile. At Principum Tyrannis ambage tectâ molitur excidium; non probitas illam, non dignitas, non merita compefcunt, quin infimulet, et fubornet, et omnem lapidem moveat, quo tandem ceu perduellem feriat, quem obftare libidini fuae fufpiciofa dictat ambitio. Adfit Sophy Cha-abas, Perfarum nuper Tyrannus, et effufo a fe innocuo ac Regio fanguine obfignet meam Sententiam crudeli liturâ [1], cui fanctos denique cineres et Martyris favillam infpergat [2]. Sophy Cha-abas Perfarum Rex, miffis Legatis ad Alexandrum Georgiae Regem, Chriftianum Principem, qui pridem, ita cogente neceffitate, fub Perfarum protectione fe dederat, petit fidei obfidem Constantinum, filium ejufdem Alexandri natu majorem. Mittitur; Tyrannus ubi juvenem recepit, complectitur, fovet blanditiis, maria montefque pollicetur. His tandem [3] affe-

1 fanguine subfcribat meae fententiae crudelem lituram. 2 *add.* Hiftoriae gefta praecipua intra noftram aetatem funt, ideoque, licet prolixior fit, gratam tamen fore non diffido. 3 blanditiis; numeribus tandem ac fpeciofis promiffis id.

quitur, ut Constantinus Chriſtum ejuret, et nomen det Mahometi. Sceleris rumor pios Principes, Constantini parentes, incredibile eſt quantum afflixerit. Execrantur ſacrilegum tranſfugam, nec jam amplius inter ſuos numerant, qui ſub Chriſti ſignis non cenſeretur. Tota jam iis proſapiae ſpes in Davide ſuo, natu minore [1] recumbit. Cui proinde principem et lectiſſimam virginem deſponſant, nomine Catharinam; quae et [2] filium ei peperit, qui vocatus eſt Tamaras Myrſa [3]. Hunc Myrſam, tenerum adhuc, (quod videretur haeres regni, excluſo Conſtantino ad Davidem jam devoluti) etiam depoſcit Perſarum Rex in fidei obſidem, et quia non tutum videbatur tergiverſari, confeſtim mittitur. Myrſam ad ſe delatum Rex iiſdem aggreditur blanditiis, quibus ante Patruum ejus Conſtantinum pellexerat in ſuam ſectam. Necquidquam; nam adverſus nefandae Sirenis cantum nimis alte mentis aurem obturaverat generoſus Puer. Igitur Rex ad Conſtantinum ſuum revertitur (quia jam ad omne ſcelus projectus videbatur [4], qui nuper Chriſtianum, id eſt mitem illam et teneram pietatem, protritum iverat ſub pedibus), et palpans: *Conſtantine*, inquit, *tempus jam dudum et res ipſa poſtulant*, *ut ſtem promiſſis*, *et obſequiis in me tuis aliquando reſpondeam. Sed non ſentis alienatos a te tuorum animos? Quo res vergat*, *non percipis? Sceptrum*, *quod jus et natura tibi dederant* [5], *excuſſum de manibus non vides? Primus ego rebus tuis conſulam. Sic age: ſi patrem tuum hujus in te conſilii architectum*, *fratremque qui te ſupplantavit* [6], *tibi ſiſterem*; *tantumne animi*, *ut acinacem ſtrinxeris*, *et iniquum illud filum*, *quo corona perduellionis* [7] *imminet vertici*, *recideris? Exercitu meo ſtipatum et tutum reponam te paterno ſolio.* Tyranni mentem percepit Conſtantinus, et inhorruit; pallet, haeret. Tandem ira et [8] dolor

---

1 Davide ſecundo-genito ſuo. 2 mox. 3 *add.* nomine Perſico, utile hoc forſitan rati devincendis ſuae familiae Perſarum animis. 4 *add.* nec injuria. 5 porrigunt. 6 fratremque juris tui invaſorem praeſentes. 7 uſurpatoris. 8 *add.* repulſae.

et indignatio, et ſibi [1] debiti (ſic cenſebat [2]) Sceptri cupido, effraenem jam excuſſâ Religione animum concitarunt in facinus. Annuit, et *Tuis*, inquit, *o magne Sophy*, *ut aequum ſemper duxi*, *parebo juſſis et conſiliis.* Nec mora; mittit Rex, qui ſuo nomine praeſto eſſe jubeant Alexandrum et Davidem Georgiae Reges, cum manu quatuor millium e ſuis: ita regni ſui negotia poſtulare. Ubi advenere, convivio eos accipit Conſtantinus lauto, regio; sed demum inter bellaria quam funeſtum apophorętum! Ex improviſo conſurgit horridus, momento citius, et ſicam ſtringit, et recondit eam in patris ſui pectore, et rurſum in auras librat, et adigit per fraternum latus. Extemplo volare fama execrabilis parricidii, et Georgianorum caſtra tremulo tumultu miſcere. Adeſt Rex Perſarum [3]; voce, geſtu levat conſternatos. Facinus adſcribit temulentiae, contentionibus, jurgiis, *quibus dum cognatus ac familiaris ſanguis colluctatur*, *ſaevius utplurimum in mutuam perniciem ebullit quam ignotus. Caeterum cum triſtis caſus ita tulerit*, *nolle ſe in illam impotentiam ſeverius animadvertere. Sed pacandis Georgianis rebus intentum ſe et ſollicitum*, *dare iis Conſtantinum in Regem*, *utpote Regiae familiae germen*, *cui jam ante haereditario jure ſceptrum deberetur.* His Parricidae munita via; qui protinus ad ſuorum caſtra tetendit; et auctus inſuper manu quatuordecim millium Perſarum, abitum maturabat in patriam. Sed jam nuncius horribilis parricidii ſereniſſimam feminam Catharinam perculerat, ac tantum non exanimaverat; ſimul inſtare ſacrilegum parricidam cum infidelium exercitu detulerat. Quid agat? colligit ſe, et ſexum egreſſa, altâ ſimulatione premit dolorem pariter et conſilium. Interea militem in inſidiis locat ad montium, quae Georgiam a Perſide diſcriminant, anguſtias; obviam ipſa procedit Conſtantino. Ubi ad praedictos montes deventum, mittit qui Conſtantino dicant: *Lugere ſe*, *ut par erat*, *mariti ac ſoceri ſui*

---

1 *omitt.* ſibi. 2 ut ſibi videbatur. 3 Rex ipſe.

triste letum; caeterum jam ante e Persarum Rege didicisse, id non Constantino, sed repentinae cuidam irae, cujus compotes non sumus mortales, imputandum. Ad [1] *regni limites in occursum se adesse, et porro perrecturam fuisse, nisi suorum consilio, quibus id praeter sexûs pudorem videbatur, obsequendum judicasset. Quapropter rogare se, ultro ipse veniat; esse quod conferat de terrore, quem externus miles civibus ejus, nihil nisi Constantini adventum anhelantibus, incuteret, deque aliis, quae coram commodius quam per legatos agenda, differret.* Accepto nuncio, exsultat Parricida [2]; et jam etiam fratris a se mactati thalamum cogitare audet incestus [3]. Paucis comitantibus domesticis, per montium fauces ad Reginam pergit; cumque jam casses effugere non posset, exsilit ex insidiis miles; circumveniunt incautum; trucidant; et generosus astûs vices rependit sceleri. Nec satis; per montium juga effunduntur, et suis aggregati, numerum cum Persis aequant, quos confusos ac ignaros caedunt, uno ferme ac altero, qui cladis nuncium deferrent, elapsis. His inauditis Persarum Rex ad interiores artes se convertere, et fraudem jam fraude temperare; Myrsam matri suae remittere cum literis. Quibus primo quidem heroicam illam parricidii vindictam extollebat [4], et dignam immortalitate censebat; dein mandabat *unicum hunc regiae stirpis surculum, sollicite a se hactenus fotum, quamprimum pangeret, ut Georgiae sceptrum constaret, quae ceteroqui, regiâ deficiente propagine, Persidis accederet coronae.* Ubi matri redditus adolescens, prudentissimae feminae summae curae erat, non quidem compositis Tyranni consiliis, quae alium scopum spectabant, parere, sed quod res ipsa postulabat, exsequi. Igitur principem puellam e vicino regno Teffliensi Myrsae suo in matrimonium petit. At Persarum Rex corrivalem tempestive subornat Alovassam Tefflis regem, et telo ac invidiâ horum

---

1 Circa. 2 *add.* tectum quid invenit in verbis legatorum, quod titillet. 3 incestuosus. 4 depraedicabat.

Chriſtianorum Principum opportune abuſus, datis clam ad utrumque literis, alterum in alterius necem inſtigabat. Sed utrique ſuſpectum negotium, quod tam ſedulo Veterator urgeret; cujus perfidiam, quidquid ipſe praetexeret, ſatis jam prodebat eventus. Igitur ſuſpicio ad colloquium eos excivit, colloquio veritas detecta eſt. Tum vero indignitate moti, ſtatuunt ſe Perſarum tyrannidi ſubtrahere, et Turcorum protectioni regna ſua tranſcribere. Reſciit Perſa quantumvis tecta conſilia, et ingentibus copiis vicinam ſibi Georgiam inundat. At Catharina, pro ſuorum ſalute obicem ſe poſitura, pergit in occurſum Tyranni. Excipit ille genibus ſuis advolutam, nec aſperum quidquam prae ſe ferens, abducit Catharinam in Perſidem. Saepius ſcribenti Myrſae, et matris reditum obnixe efflagitanti, nihil; donec Muſcoviae Legatus, qui illac forte cum muneribus ad Perſarum Regem tendebat, precibus et pietate flexus, Myrſae patronum ſe fecit. Hîc enim conſtrictum ſe ſenſit Tyrannus, et ultra impatiens ſimulatio crepuit in apertam rabiem. Mandat ocius Catharinam deferri ad civitatem Chyram; Gubernatori literas ipſe deſtinat, quarum haec ſumma: *Velle ſe ut ad manus ejus Catharina renunciet Chriſto, et Mahometi nomen det.* Addit promiſſa quae pelliciant, inter quae conſortium tori et regni; addit minas quae compellant, non unam per laniatûs et ſupplicia mortem. Haec ubi Catharinae exhibita, vultum attollit animoſa; terror nihil, et minus, ſi fieri poſſit, profecere blanditae. In jubilum effuſa ſuſpicit Divina Conſilia, quibus viſum eſſet Sanctam ſuam Legem, tot olim heroum oppigneratam ſanguine, nunc etiam vilis (ſic ajebat) mulierculae ſigno firmare. Igitur ubi a ſententiâ non dimovetur, ex praeſcripto Regiarum literarum tortoribus traditur; qui innocuam hanc Chriſti oviculam veſtibus exuunt ad ſummam nuditatem, ad palum ligant, ac primo quidem ubera, dein brachiorum ac tibiarum ſuras candentibus avellunt forcipibus, et purpurâ ſuâ jam rite ornatam, jam ſpecioſam divinis oculis ſponſam, in ardentem rogum con-

jiciunt. Nunquam antehac in Solio ſuo tam formoſa. Unicum hoc ei inter tormenta ſuſpirium: *Exile, nihil, Jeſu, quod pro te patior.* O non degenerem Chriſti ſobolem poſt tot ſaecula! o invidendam (aude pietas) ipſis etiam Eccleſiae primordiis Heroinam!

Quaestio XXVII.

An hodie non ſit periculoſiſſimum, ad magnas in Republicâ dignitates evehi?

Vidi concitato nimis certantem curſu, impactum in metas, ad letale aſthma contudiſſe pectus; vidi violentâ ruentes in repagulum trabe, ſuper ipſum praecipites, dirâ plagâ cruentaſſe vultum. Et Emblema vidi ingentis cujuſdam ac immanis animi, quem iniqua panpertas coarctat, et generis peſſum premit humilitas. Tantum ei roboris coacervavit anguſtia, tantum irritavit indignitas, tantum ſtimulavit conſcientia, ut, effuſo derepente in primum illud ac iners obſtaculum impetu, concidat cum ipſo in ruinam; aut eluctatus, et jam etiam victoriâ ferocior, ſui viriumque ſuarum impotem ſe ad illos ipſos honorum titulos allidat, in quos tam pernici et invidendo pede contendebat. Horum aetas noſtra ferax Exemplorum; tot una ſuppetit, quot multa ſimul juncta majorum ſaecula non colligunt: Baſſam Naſuf in Turciâ, Mierſam Tachi in Perſide, in Germaniâ Albertum Walſtenium Ducem Fridlandiae, Rodericum Calderonem Comitem de Oliva in Hiſpaniâ, Conchinum Concini Marchionem d'Ancre in Galliâ, et ibidem ac alibi plures. Ex quibus omnibus viſum eſt unum iſtum Conchinum, quod magis ad manum ſit, in Scenam producere. Hic igitur ex Italiâ in Franciam tendens, Irus quidam in patrio etiam ſolo non notus, vix tantum in Fortunae caſtris merebat, quantum vili lixae ſufficeret ad victum. Ubi in Aulam ſe intruſit, neſcio quo genio aſpirante, favorem Reginae Mariae de Medicis, quae

per id tempus demortuo marito clavum tenebat, tam dextere captavit et ceu proprium fibi vindicavit, ut primo quidem uxorem ab ea impetraverit Eleonoram Dori (haec fabri cujufdam Florentini filia, ob acre ingenium Reginae intima), dein etiam ad Marchionatum d'Ancre, et inter Franciae Pares evectus fit. Tum vero campum nactus, et pueritiâ Regis opportune abufus, res novas moliri, aerarium expilare, exteros accire, ufurpatâ fibi autoritate militem confcribere, inexpertum Regis animum a proceribus alienare, illos viciffim in Principem fuum concitare; his denique luxum ad invidiae fummam conjungere, unâ fubinde nocte aureorum trecenta et amplius millia per aleam et convivia prodigere. Horum jam faepius criminum [1] coram Rege a Dynaftis infimulatus, qui, ut optimus etiam fuiffet, zelo tamen frendebant hominis et peregrini et novi fciverat nihilominus callidum et vivax ingenium, fpeciofis erga Regem fuum obfequiis criminationes iftas diluere. Sed invalefcentibus adverfariis, et in dies invidiâ crefcente, ajunt tandem fenfiffe Regem, ab infidiis irrequieti hominis ne capiti quidem fuo fatis tutum effe. Proinde Vitrio praefidiariorum fuorum duci mandat, Marchionem d'Ancre fibi fiftat; vivum, mortuum, non intereffe. Nec multo poft praedictus Marchio, fati impendentis ignarus, Parifios contendit, Regem officii gratiâ conventurus; cumque infolitâ pompâ ftipatus Palatio appropinquaret [2], majores etiam valvas honoris ergo referatas habuit. Sed mox in interiore areâ a Vitrii militibus aliquot fclopetorum glandibus trajicitur, et fine voce aut ejulatu concidit 24. Maji anno 1617. Ubi rumor caedis increbruit, tanta populi exfultatio, tantus ad Palatium confluxus cefpitantium hinc inde, et mutuis recurfibus turmatim labentium, ut infanire prae gaudio tota fimul multitudo videretur. Rex aderat e fuperiori feneftrâ civium ftudia defpiciens. Illi feftivas non voces, fed vocifera-

---

1 De his jam faepius. 2 propin uaret.

tiones tollere: *Vive le Roy*. Et Rex quidem caput honoris ergo populo detegere cernebatur, ſed liberale iſtud *Le Roy vous remercie*, quod per ſuos identidem reſponderi jubebat, exaudire per immanes ſtrepitûs et clamores non licebat. Interea cadaver Marchionis in cubiculum janitoris protractum; poſtridie vero ſine funeris apparatu elatum, in D. Germani, ſub organo forte, in foſſam abjicitur, ore pronum, capulo in dorſum illiſo [1]. Sed a plebejâ rabie mox effoſſum, ad patibulum raptatur, et ubi ex pedibus aliquantiſper ſuſpenſum fuerat, comburitur; cineres in profluentem ſparguntur. Haec in irritum et ridicula ſaevitia, quae larvas impetit, et dentem fatigat in exuviis; iſtud commiſerationem jure habeat. Uxor occiſi Marchionis Eleonora Dori, in carceras detruſa, exquiſitis inſimulabatur criminibus laeſae Majeſtatis, et magicarum artium, ac etiam caedis cujuſdam Proüille. Ex his morti addicitur; cumque uterum geſtare ſe proclamaſſet, obſtetricum brevi examine praemiſſo (quod nudum ſine re praetextum arguiſſent), jubetur collum lictori porrigere; auſa etiam tunc ſub umbrâ collimantis in cervicem gladii, ad diſtrictum Dei tribunal judicem ſuum citare. Truncus ad extremum et caput infelicis Marchioniſſae flammis data.

Quaestio XXVIII.

An frigidae plagae ferociores incolas habeant quam calidae?

Immite coelum, et hujus ſocii [2], labor, nuditas, egeſtas, ubi conglobatâ incubuere mole, animos efferant humanum omne exutos et ulcerant. At exulceratos deglubit cenſus et apparatus Barbarorum Principum, et immanitas, vectigalium omnium ac tributorum inexplebile barathrum. Graſſantur interim in populo per fraudes furta, per violentiam rapinae, per famem rabies, per tenebras confuſio, membrorum per frigora ſiderationes,

---

1 impacto. 2 ſociae.

mutuae per furorem caedes, reorum per deteriores leges fupplicia, et indomita, dum lubuit, Tyrannis fpectaculo duntaxat et gratis ludit in humano fanguine. Solum iter Legatorum Belgii [1] per Mofcoviam, anno 1616 inftitutum, fufficiet huic confirmandae Sententiae. Rem Belgico [2] ftylo defcribit Antonius Goeterus, qui et ipfe in eorum comitatu aderat. Cum, ait, Novogroodtae in caftro verfamur, et emendi gratiâ faepius in civitatem excurrimus, luctuofum memoratu, qualia per plateas paffim fe ingererent fpectacula. Hîc hominum conglaciata cadavera, et ftipitum inftar indurata, funeftabant publicum; illic mutuis brachiis impliciti difcurrebant cum uxoribus et infantibus viri, pannofi omnes, aut nudi verius inter faeviffima frigora, fame tabidi, ftipem et opem aliquam tam miferabili ejulatu implorantes, ut ferrea etiam fuorum civium corda emollire potuiffent, fi tantum fuiffent ferrea. Aft illi fruftum panis juglandis magnitudine interdum porrigebant; currebant porro miferi, unicum hoc domando frigori folatium nacti, donec moribundi conciderent, etiam tunc neglecti; et inter irrita lamenta exhalabant animam in publico confpectu. Circuibant mane, qui fparfa cadavera in feretrum accumulabant, et in domum aliquam comportabant; inde ftatis temporibus integrae per plauftra ftrues efferebantur in puteos extra civitatem ad hoc effoffos. Et fubdit idem Goeterus: Hieme iftâ, quâ noftri legatione funguntur, atroci ifto mortis genere abfumpta funt octodecim millia hominum in folâ civitate Novogroodtenfi; quid in pagis? Deus bone! Sepulta per octiduum cadavera rurfum in nefandas epulas exhumata; mactantes invicem et devorantes homines; imo vifcera fua in vifcera fua regerentes matres. Quae curfim tranfeo, enecant enim immorantem. Cuncta interim haec iifdem Legatis, per Starram Ruffam iter fuum profequentibus, tum oculis tum fide dignis teftibus comperta. Pergit porro Goeterus,

---

1 Hollandiae. 2 Flandrico.

et aliam tragoediam adjungit. Irrepferant, inquit, Novogroodtae in culinam noftram tres Ruffi juvenes, qui coquo fpe micarum miniftrabant. Horum unus cum infirmari coepiffet, nocte quadam ab aliis duobus in focum conjectus eft; invidiâ fcilicet, quod offae inter tres partitae minor portio veniret ad fingulos. Poftridie femitoftum cadaver cum nidore in licibus repertum; quod hofpes, nihil cafu confternatus, forcipibus detulit in fterquilinium. Sed quod ibidem de Bafilio Mofcovitarum Imperatore ex eorundum relatione fubdit, quam horrendum! Hic Bafilius anno 1569, cum effet Novogroodtae, ex ponte quo fluvius Wolgada inftratus eft, dejecit in profluentem mille feptingentos cives, et multos infuper monachos et facerdotes, nullâ nifi fpectaculi caufâ, paftus natantium confufione et cum fluctibus ac morte luctâ. Cumque poft alios praedivitem quemdam mercatorem, fune ad lumbos accinctum, in flumen demififfet, et immergi crebro ac viciffim extrahi juffiffet, tandem reftituto in pontem homine petiit per ludibrium: Si miri quiddam in fluvio fpeculatus fuiffet (otium etenim habuerat), enarraret. *Ego vero*, inquit mercator, *per fluvium et fundum fluvii in Infernum et Gehennam ufque profpexi; et vidi ardens inter picem et fulphura*, *quod te manet*, *Solium*, *Tyranne*. *Aft ego*, inquit Bafilius, *tibi cui faceto etiamnum effe non piget*, *de calidiore balneo profpiciam*, *ubi commodius quam in frigidâ lafcivias et argutere.* Et protinus virum corripiens, ac in lebetem olei conjectum, admoto fenfim igne lixavit.

ORATIO II

EX EDITIONE LUGDUNOBATAVA ANNI 1665.

ORATIO II,

DE

REMOVENDIS PARERGIS

ET

NITORE CONCILIANDO DISCIPLINIS,

quam dixit auctor Lugduni Batavorum, *d.* 14 *m. Oct. a.* 1662, *cum Lectiones publicas in Logicam auſpicaretur.*

Nitor et intaminata puritas, Charitum prima gratia eſt. Hic Acheloius ille fons eſt, quo illae lavantur; sordent Gratiae ſine hac gratiâ. Ornatus cum Nitore non eſt quod ſe conferat; ante omnem comparationem primas ei debet. Nitor ingenuus eſt et ſui juris; Ornatus ſervit, et fingit refingitque ſe ad mores ac rumores. Illi nativa venuſtas eſt; huic varie conquiſita, et velut oſtiatim emendicata lenocinia. Diffluit hic, totus in pompis, in bullis, in calamiſtris et phaleris; continet ille et, rejectis omnibus ſupervacaneis, redigit ſe intra gyrum neceſſarii et decori. Hic laſcivit, ille viget; hic adulteratus, ille genuinus; hic effeminatus, ille totus maſculus eſt; hic nimis habet, ille ſatis; hic redundat, ille ſufficit. Sentio equidem, mihi Belgae, ad vos Belgas dicenti, promptum et facile Nitoris encomium eſſe. Mundus quidam eſt ipſum Belgium, ſi a munditiâ, quod volunt, Mundus dicitur; ita hîc nitorem ſpirant, ad amuſſim et affabre

ſe habent omnia. Nitor in aedium ſtructuris, nitor in ſtratis platearum, in vallorum et portarum munimentis, in pomoeriorum hortis, in aquae ductibus, in navigiorum apparatu; nitor in mechanicis inſtrumentis, nitor in domeſticâ ſupellectile, nitor in veſtibus, nitor in ipſis hominum corporibus. Et candor in animis noſtris, quotquot non degeneravimus, o Belgae! Hîc a domorum reductis angulis, hîc a reconditis ſub terrâ caveis, hîc ab editis ſub tecti faſtigio tabulatis, ab horreis, ab ipſis haris, a pecorum caulis et ſtabulis fimus, ſtrigmenta, fuligines, araneae, mucor, uligo, et denique quidquid in ſordium familiâ eſt, ſtudioſe diſcutitur, auſtere proſcribitur. Repetitis lavacris, indefeſſis ſetarum, ſcoparum, peniculorumque deterſionibus, pellucent in feneſtris vitra, relucent in lacunaribus robora, in pavimentis marmora, in parietibus dolata quercuum, in picturis ebena marginum, aes in peſſulis, in ſeris chalybs. Verbo dicam: Nitor natales ſuos debet Belgio. Alibi ſubinde peregrinatur; hoc ei patria eſt, hîc ſedem fixit, hîc habitat.

Sed ſi Nitor, quocum Belgis tanta neceſſitudo, quorum animos totus inceſſit, quibus jam, quod dici ſolet, in ſuccum et in ſanguinem abivit; ſi, inquam, formoſus ille Nitor exſularet a Scholis? (Scholas non intelligo, ſicut vulgus, parietes aliquos, aut pluteos, aut cathedras, aut ſubſellia; ſed tenorem docendi, methodum tradendi Scientias, caſtam cum Muſis noſtris conſuetudinem illo nomine deſigno.) Nonne indignum hoc foret, ſi domi quidem limpidi, foris nitidi, volutaremur autem in Scholâ? Huc centones conferremus et farragines, et

— — — *Criſpini ſcrinia lippi?*

Rem ita ſe habere, non ajo, non nego, ſed tantum, ſi ita ſe haberet, quam iniquum hoc foret, perpendo. Et ſane hujus turpitudinis vel ſolam ſuſpicionem, ſi quae eſſet, nonne deceret Belgas, tam amantes elegantiae, tam nitoris cupidos, omni conatu, ſummis viribus a ſe quantocius amoliri? Exiſtimemus

vero rem non ita ſe habere; occurrere tamen et cavere licet, et excludere tempeſtive, quod nondum irrepſit. Ego igitur limum illum, illud coenum deſignabo, quod imperitâ ſi forte manu commotum fuerit, fundo abſiſtat, et ſacra Hippocrenes fluenta colluvione ſuâ conſpurcet; ut, ſi fieri poteſt, mature ſubducatur ex alveo; ſin minus, et fundo quandoque ſe tollet, ſubſidere ſenſim ſinamus, ne turbato fonte potemus avidam et Scientiae ſitibundam juventutem. Haec cum paucis exſequor et curſim perſtringo, tum id obnixe deprecor, quae communiter dico, ne ſic accipiatis, quaſi in Cajum aut Sejum dicta ſint. Indole ſum alieniſſimus a faciendo convicio; tum etiam particulatim ignarus, ut qui me nunquam interponam rei ad me non pertinenti.

Parergon illud, illuviem, inquam, Scientiarum nitidas lymphas inquinantem, eructant hae quatuor potiſſimum Cloacae: PROLOGUS, PROGNOSIS, RHAPSODIA, et ANOMALIA. Ad PROLOGUM ſpectant *Quaeſtiones*, ut vocant, *Prooemiales*, prolixae illae, centum argumentationibus, earumque rurſum refutationibus, centum *plicis* ac *replicis* exaggeratae, quibus antequam datâ operâ Scientiam aliquam tractent, de ipſâ illâ Scientiâ diffuſe tractant. Et ut uno velut exemplo complectar omnia, Logicam tradituri quaerunt, *Quid ſit Logica*; *An ſit pars Philoſophiae an Inſtrumentum*; *An ſit Ars an Scientia*; *Quid Logica docens, quid utens*; *Quid naturalis*, *quid artificialis*; *Quod objectum ejus, quis finis*; *An ad alias Scientias adipiſcendas ſit neceſſaria*; *In quot partes ac tractatûs diſpeſci debeat*, et id genus alia quamplurima. Quidam adhuc altius rem ab exordio repetunt, et Logicam (ut in eodem exemplo perſiſtamus) tractaturi, non tantum de Logicâ tractant, ſed univerſim de Philoſophiâ, tranſcribentes huc Nani et Langii, et neſcio cujus adhuc ſimilis convaſatoris integras Polyantheas. Inepta ſunt haec, quod vel me tacente res ipſa loquitur. Quid enim? quaeris quid ſit quod ipſe traditurus es? Eja trade, et videbimus. Nunquam

melius hoc docebis quam tradendo. Quaeris num ſit Scientia, quam traditurus es? Id tu videris. Si enim bonâ et rectâ ratione ſubnixum eſt quod diſſeris, certe Scientiam praeſtabit tua diſſertatio; si vero conjecturas tantum accumules et harioleris, ſi controverſeris tantum, et argumentorum laqueos viciſſim nectas ac ſolvas, ſi quod aliorum teſtimonio coecus imbibiſti, rurſum tuo teſtimonio propines, — ſcrupulos, opiniones, confuſiones, impoſturas, et quidvis potius quam Scientiam conferet tractatio tua. Sed quid opus eſt ea te diſceptando praefari? Age quod agis, dic quod dicendum habes, et litem iſtam ſatis dirimet eventus. Quod ſi tamen diſputatio illa non de tuo ſit inſtituta diſcurſu, nec quaeras quis aut qualis ille ſit, ſed quem et qualem res, quae prae manibus eſt, vel admittat vel depoſcat, — hanc fateor ex genere ſuo non eſſe ſupervacuam diſquiſitionem; quin potius utilem in Prologo, velut legem aliquam operi ſubſequenti, quam cum ipſe praeſcripſeris, aequum eſt ut rigide ſerves. Sed arctandam illam diſquiſitionem, cum ibi non ſit proprius locus ejus, et obiter habendam eſſe contendo; ſiquidem alterius longe naturae eſt, et ſpectat ad Diſciplinas toto coelo diverſas, Scientiam aliquam tractare, et de Scientiâ illâ tractare. Logicus aliquis aut Phyſicus tractatus ad Logicam pariter aut Phyſicam pertinet; ſed quae ſunt de Logicâ vel Phyſicâ Diſputationes, non his Scientiis, ſed Metaphyſicae, aut, quod malo, Diſciplinae cuidam, cui nomen non eſt, quaeque de ipſis Diſciplinis agit, debentur. Sed et hiſce legibus circumſcriptam ac ita contractam Praefationem, in libris quidem perito et exercitato Lectori facile crediderim, ſed eâ rudem in Scholis Diſcipulum non interturbem. Non diſtraham in ſublime, demiſſum et etiamnum fundamenta molientem. Non raptem in penetralia, laborantem adhuc in veſtibulo. Non diſtineam Metaphyſicâ ſubtilitate, Logica rudimenta requirentem. Diſcat hic Logicam per partes, etiam ignarus, Quid ſit Logica; Quid illa praeſtet, et quorſum tendat; Quis eam inter et alias Artes ordo, quod

commercium, quae neceſſitudo; haec et his quaecunque ſimilia tiro quilibet tutus ignorat.

Haec de PROLOGO. Proxima Sentina PROGNOSIS eſt. Nam amplis illis quos commemoravi PROLOGIS, tum ipſi qui docent dilaſſati ac fere viribus defecti, tum confuſione perditum, et enectum ipſius rei, quae ſemper differtur, exſpectatione Diſcipulum, deducunt ad PRAECOGNITA, ut paſſim vocant. Et hîc iterum gurges, et iterum obruuntur. Nam forte in Logicâ, quo eâ Mentem in operationibus ſuis dirigi demonſtraverint in PROLOGO, non dubitabunt ab ipſâ Mente tractationem ſuam auſpicari; de Intellectu ejuſque cauſis ac origine, ejus operationibus et effectis, ejus cum a voluntate tum a ſenſibus diſtinctione, fuſa, confuſa comminiſcentes. Ita praeoccupantibus omnia, et in caput ac primam partem ſuorum commentariorum attrahentibus, praeter jejuna quaedam et rancida, vix ſuppetit in progreſſu, quod dicant, tamquam exhauſti jam et marcidi; edentes profecto fungis quibuſdam quam ſimillimos tractatûs; quibus amplus quidem pro capite bulbus obtigit, caeterum exiguus caudex et nulla radix.

Quidam, ut id incommodi devitent, infeſtant tertiam Cloacam; ad RHAPSODIAS, inquam, ſe conferunt, et ex his affatim hauriunt, quo res ſuas, alioqui tenues et exiles, infarciant. Hi pro re natâ varias Hiſtorias narrant, lepidas Fabellas admiſcent, Verſûs etiam ſaepe citant e Poëtarum aliquo et Sententias ex Oratoribus, intertexunt et Adagia. Ubicunque, etiam ex rebus leviſſimis captant occaſionem haec in medium producendi; imo non ſumunt occaſionem ex rebus, ſed adferunt. Verbi gratiâ, in Logicâ de *Individuo* forte agentes, in Exemplum adducent *Alexandrum* et *Bucephalum*, quaſi *Petrus* et *Paulus*, qui ad pedes eorum aſſident, illi muneri obeundo non ſint pares; et mox (quaſi referatâ jam in RHAPSODIAM feneſtrâ) *hic*, inquiunt, *eſt ille Alexander Philippi*, *qui tot Perſarum exercitûs delevit*, *et totum Orientem ſuo ſubjugavit imperio*; *Bu-*

cephalus autem eſt equus ferociſſimus, quem ille puer etiamnum domuit, quo facto Philippus ei praeſagiendo ſpoponderat Orbis imperium. Atque ita paſſim corradunt ex Veterum Annalibus, imo etiam ex Sacris Paginis, et ex cunctis angulis Exempla, quaſi in ſummâ penuriâ; cum tamen eorum plena ſint fora, et quotidie verſentur ante omnium ora manuſque. Alii ex eadem RHAPSODORUM familiâ, citandis Auctoribus, praeſertim veteribus (quod illis obſoleti plus ineſſe credant) gnaviter incumbunt; et *quid Zeno, quid Leucippus dixerit, quid contra Parmenides et Meliſſus cenſuerint, quid Pythagoras et Empedocles, quid Democritus et Epicurus ſtatuerint, imo ſtatuere debuerint,* multis exponunt. His Auctoribus velut in Theatrum quoddam et Proſcenium accitis, tum vero Verſibus et Adagiis Fabula peragitur; nam *Zeno rem acu tetigit; et Leucippus in Sententiam ejus manibus pedibuſque conceſſit; Parmenides et Meliſſus extra chorum ſaltant; Epicurus!*

Spectatum admiſſi, riſum teneatis amici;

Et tandem Ariſtoteles

Solus habet mentem, reliquis errantibus umbris.

Affigunt iis Sententias, quas nunquam ſenſerunt, de quibus forte ne per ſomnium quidem cogitaverunt. Si monſtrari tibi petas, ubi tandem, ubi Veteres illa dixerint; reſpondent, quod res eſt, *Eorum plerorumque commentarios injuriâ temporis intercidiſſe;* ut nempe vel hoc ſolo indicio clare intelligas, totum hoc ferme commentum imaginariis eorum conjecturis deberi.

Reſtat ANOMALIA, congeries immenſa ſordium; Augiae ſtabulum dixeris, et Herculeus profecto labor eſt illud expurgare; ita profunde ſubſîdit, et per cuniculos in puriſſima quaeque ſurrepit illa colluvio. ANOMALIAM in Scientiis voco cum *Objectum* uni, et tractandi modus alteri cuidam Diſciplinae accommodatus eſt; ut ſi res Logicas Phyſice, aut Phyſicas Logice contemplemur. Plerumque, qui in hac Sentinâ volutantur, *Objectum* ex quavis Diſciplinâ nacti, modum tractandi

mutuantur ex Grammaticâ et Metaphyſicâ; quod hae duae Diſciplinae generales ſint, et omnium quodammodo, Metaphyſica quidem rerum, Grammatica vero nominum. Ex Grammaticâ hos praecipue Typos deſumunt: *Etymologiam*, *Conjugationem*, *Homonymiam*, *Synonymiam*; ex Metaphyſicâ *Cauſas*, *Effecta*, *Genera*, *Species*, *Conſpecies*, *Subjecta*, *Adjuncta*, *etc.* Penes has Normas expendunt quidquid inciderit, cujuſvis illud naturae, et ad quamcunque pertineat Diſciplinam. Verbi gratiâ de *Argumentis* acturi (lubens enim Exemplis Logicis inſiſto, quod in his invidiae minus ſit), *Argumentum*, inquiunt, *ab arguendo dicitur*, *quod eſt alterius dicta refellere et rationibus allegatis confutare*; *Alii* (etiamſi forte nemo alius hoc dixerit) *Etymon iſtius nominis deducunt ab* Ergo, *quod eſt praecipua pars et velut anima quaedam Argumenti.* Ubi dicendo exhauſtum eſt quidquid *Etymologiae* lacuna continebat, conferunt ſe ad ſecundum Typum, nempe ad *Conjugationem*; *Argumentatur*, inquiunt, *is qui alterum Argumentis aggreditur*, *ut Theſim ab eo propoſitam evertat*, *eique Reſpondens ſeu Defendens opponitur*; atque ibi, ſi modo velint, ingens excurſus de antiquis ac hodiernis Diſputantium ritibus ſe pandit. Ubi jam etiam cxaruit iſta vena, *Synonymiam* conſulunt: *Argumentum*, inquiunt, *etiam Argumentatio dicitur*, *item Ratiocinatio*, *a Ratione*, *quae in eâ maxime conſpicua eſt*; *Gracce vero Syllogiſmus dici poteſt*, *de quo Ariſtoteles tam multa ſcripſit*, *et inter caetera praeclaram ſcilicet illam Definitionem: Syllogiſmus eſt oratio*, *in qua quibuſdam poſitis*, *aliud quid a poſitis*, *praeter ea quae poſita ſunt*, *neceſſario ſequitur*. Numquid appoſite? Ubi etiam ex hoc penu, quidquid ſuppetebat, depromptum eſt, convertunt ſe ad *Homonymiam: Argumentum*, inquiunt, *ſubinde etiam dicitur de Indicio*; *ut cum Seneca dicit*, *Primum Argumentum bene compoſitae mentis exiſtimo poſſe ſubſiſtere et ſecum morari*; *ibi Argumentum idem eſt ac Indicium. Argumentum ſubinde etiam capitur pro Materiâ ſcribendi vel dicendi*, *etc. apud Calepinum.* His tandem, quae

Grammatica ſuggerebat, belle defuncti, reliquum eſt ut Metaphyſicas conſiderationes eâdem aviditate depaſcantur; et primum quidem de *Cauſis Argumenti* deſpiciant. *Efficiens et Prima Cauſa Argumenti*, inquiunt, *Deus eſt; et quamvis ille Argumentum efficiat, non dicitur tamen argumentari.* Atque ibi ingeritur Locus ex Theologiâ, cur Deus non argumentetur; cui ſcite ſubnectent, ubi et quomodo Chriſtns aliquando fuerit argumentatus. *Cauſa ſecunda Argumenti eſt homo, qui Argumentum animo concipit, et ore veluti parit ac in lucem edit.* Atque ibi rurſum naſcitur controverſia, an Angeli etiam, et Mentes noſtrae dum a corporeis vinculis ſolutae ſunt, argumententur. *Cauſa finalis Argumenti* .... Sed abrumpo; vereor enim jam dudum, Auditores humaniſſimi, ne patientiam veſtram naeniis iſtis, licet ſuſurratis tantum et ſummatim propoſitis, plus aequo fatigem. Antequam ſane reliquos Typos Mimeſis mea percurriſſet, jam vos per Theologorum arcana Myſteria, per Pandectas Jure Conſultorum, per Medicorum Aphoriſmos, Aſtrologorum Horoſcopos, Chymicorum Chryſulcas, Poëtarum Fabulas, Annalium Hiſtorias, ac neſcio per quas non ambages et in ſe ſubinde recurrentes Labyrinthos circumduxiſſem. Horas et diem abſumpſiſſem capitibus materiae duntaxat enarrandis, ne dixerim pertractandis, et ea, quam immenſa rerum multitudo poſtulat, oratione deducendis. O miſcella rerum! o confuſio! Haec, quae in Argumentationem tam prolixa, tam ultro citroque conquiſita, commentus es, Anomale, cui bono ſunt? Si quis illa ſtudioſe pervolverit, quid inde reportabit emolumenti? Promptior erit ad Argumentandum qui iſta ſciverit, hebetior qui neſciverit? Ratio dictat et ſuffragatur Experientia, obeſſe quidem illa ſaepe, ut quae diſtrahant, quae ſenſum obtundant et mentem obruant; prodeſſe nunquam. Quid enim? Nos, qui venam illam tuam exploravimus, Anomale, nos qui illud tuum Cornucopiae deteximus, putaſne tam abjecte de te ſentire, ut Argumento cuiquam imparem te eſſe ſuſpicemur? Dices ſi

voles de gerris et lyris, de luto dices, de quisquiliis, de calceis et caligis, et de quovis horum diffuse dices ac tomis integris. Ars id tua promittit, promittunt illi Typi, quos consuetus aspectas, velut totidem semitas in amplissimos dicendi campos excurrentes. Sed si de calceis (ut hos duntaxat in Exemplum assumamus) more tuo scripseris, per *Etymologiam*, *Conjugationem*, *Homonymiam*, *Synonymiam*, *Causas*, *Effecta*, *Species*, et reliquos Typos discurrendo (ut liberrimos hîc discursûs offerunt isti Typi), non unum tamen sutorem formet commentatio tua; ipse etiam a lucubratione istâ nihil instructior, calceum non conficias, imo ne resarcias quidem, qua parte detritus est aut rimam agit. Vides igitur, omissâ totâ aliquâ Disciplinâ, de *Objecto* tamen istius Disciplinae diffusissimam institui posse tractationem, adeo ut res Logicae sine Logicâ, Physicae sine Physicâ, Ethicae sine Ethicâ, et ita deinceps, tradi facile possint et soleant. Qui igitur Scientiam aliquam rite excolet, is *Objectum* abstrahat necesse est, et separet ab omni materiâ, et id modo, quod ex intimâ illius naturâ dimanat, amplectatur; caetera tamquam spuria removeat, omnem iis illabendi rimam occludat; tantum abest, ut aucupetur, et intrudat etiam reluctantia. Qui secus fecerit, sciat se in hoc, quod ad Sapientiam est, itinere non progredi, sed vagari; et circuire Delubrum illud Musarum, non adire. Tetrum etiam prae reliquis exhalat haec Cloaca, et mephitim sub auras spergit. Afflat accolis suis garrulitatem, fastum, et desidiam. Et esse quidem garrulos hujus stagni colonos necessum est; nam propositâ quacunque materiâ, etiam eâ quam profundissime nesciunt, ex Typis tamen illis, quos sibi jugiter praefixos habent, nunquam deest quod coaxent. Tumidi sunt etiam, et multo spiritu distenti; ut qui persuasum habeant scire se cuncta de quibus dicunt, et quanto liberalius de illis dicunt, tanto melius scire. Cum vero et per plurima passim oratione divagentur, et facile perspiciant, nihil esse, in quo tali methodo non possint quam latissime palari, etiamsi

aliam ab eâ, qua jam inſtructi ſunt, ſcientiam ſibi non conquirant, — huc nullo negotio ſeducuntur, ut ſe tamquam omnia mente complexos, et Pandorae cujuſdam aut Deae Copiae gratioſos ſponſos circumſpiciant ac mirentur; caeteros autem, quos ſaepe non latet quidem ars eorum, ſed pudet artis eorum, deſpiciant, velut aridos, ſiccos, exſangues, et Minervae (craſſae ſcilicet illius) turpe repudium. Faſtum deſidia ſequitur; cur enim ſtudeant, qui ſibi ſatis ſuperque docti ſunt? Cur anxie quaerant, quod conſecutos ſe credunt? Quo ſcandant, quos jam in culmen evexit ſua perſuaſio? Lexica modo ſint ad manum, Indices, Analecta, Polyantheae, Theatra Mundi, et ſimiles ad omnem pedem facti cothurni; his freti, ſecure ſtertunt, et dormiunt, quod dici ſolet, in utramque aurem. Quin etiam farragines illas (ita frontem perfricuere) ſubinde non verentur palam hoc Titulo notare venditare: *Dormi ſecure.* Erubeſcit ad hoc probrum Diligentiae praeſes Aurora, ejulant antelucana galliciana, obmuteſcunt nocturna conticinia, tam amica Philomuſis, tam familiaris ſocietas; dum interim *Anomali* Collectaneis illis et Elenchis ſuis, ceu baculis quibuſdam et crucibus, axillas ſubnixi, librant ſe ſat belle, et aſſultim prodeunt; iiſdem forte deſtituti, haeſitant ubique, ubique ceſpitant, et humi repunt potius quam gradiuntur deformes Empuſae.

Hiſce Prologis et Praenotionibus, hiſce Rhapsodiis et Anomaliis, cum omnes prope Diſciplinae foedum in modum inquinatae ſint, tum vel maxime Logices contemeratus eſt decor et polluta gratia. Puriſſimus ille latex verſus eſt in obſcoenam paludem, unde jugiter in alias Scientias reſtagnent Parerga, et Anomalorum Rhapsodorumque recrementa. Siquidem in Logicâ nunc, praeter Anomaliae Typos, quos paulo ante commemoravi, nihil ſerio tractatur; hi ſoli praecipue ſpectantur ibi, inculcantur ibi, et in uſum, in habilitatem ac Naturam quodammodo crebris exercitiis deducuntur; caetera tantum incidunt, tamquam praeludia, tamquam antecoenia, et quod eo

conferre aliquid, aliquid eam in rem facere quoquo modo videantur. Res igitur in Parergon, Difcurfus in excurfum, Logica in Paralogifmum converfa eft. Sed heus erro! Metamorphofim non patitur illa Forma, divina eft. Et homines quidem in alias formas mutatos, in Poëtis legimus, non Deos. Illud volui dicere, Paralogifmum ab ignaris coli pro Logicâ, illum hujus loco fuffectum ab incautis; Logicam illibatâ gratiâ et inconcuffâ majeftate difceffiffe, evafiffe, fubduxiffe fe ab indignis. Nam quae fplendorem illum praefocet confufio? quae nitorem illum polluat impietas? quae vigorem illum laceffat temeritas? qui pari fere cum almâ Ratione, qua Deum ipfum referimus ad vivum, dignitate praepollens, quo fupra tumultum et injurias efferatur altius, vix habet. Ita eft: divinae illi Particulae tam fimilis eft Logica, ita matriffat, tam undiquaque refert et fpirat Rationem, ut eodem et nomine et vultu non peregrinis modo, fed familiaribus fuis faepius imponant. Qua fpecie quidam e Philofophiae non infimis proceribus delufi, et longius quam par erat quafi reverentiâ feducti, Logicam a Scholis fubmovendam effe decreverunt, quod eam cum Intellectu confundentes, Difciplinâ non opus effe judicarent, ubi doceret Natura. Sed nempe feducti funt et errant illi. Quamvis enim Logica fuas inter forores (reliquas, inquam, Scientias) natu maxima fit, non eft tamen ipfa Ratio, fed Rationem, ex aequo cum fororibus fuis, ut matrem agnofcit. Nec enim *Principia* tantum (quod Rationis officium eft) et *Communes Notiones* perhibet Logica, fed *Theoremata*, quae ex *Principiis* elicienda funt legitimâ et catenatâ *Demonftratione.* Exempli gratiâ: *Quod dicitur de Praedicato, dicitur etiam de Subjecto; Ex quo non fequitur Confequens, ex eo non fequitur Antecedens, etc.* non funt *Principia*, nec fimpliciter fumi poffunt, fed probari debent; citra *Demonftrationem* fufpecta funt. Ea vero fine *Demonftratione* recipere, quod Exemplis quibufdam confirmari videantur, temerarium eft et coecum et infinitis erroribus obnoxium; quia faepe, quod

in quamplurimis Exemplis obtinet, eo ipſo tamen corruit, quod fallat in uno. Et hinc Sapientum Oraculo ſancitum eſt: *Scire eſt per Definitionem cognoſcere*; non vero per Exempla, quae quotquot numero producantur, quamdiu tamen non conſtat omnia produci, non figunt mentem, ſed ſuſpendunt, anxiam an alibi forte non lateat aliquis error. Cum igitur Logica non ſit ipſa Ratio, ſed partus quidam Rationis, primum quidem hiſce cunis, et cum adoleverit illi gynaeceo, Scholis, inquam, et Academiae debetur. Nec faciem tantum et externa lineamenta Rationis aemulatur Logica, ſed multo magis indolem, affectûs, ac munia. Matris quodammodo partes circa germanas ſuas explet haec ſoror natu grandior; ſinu fovet eas et bajulat in ulnis. Hoc ajo, Scientias omnes Logicis *Theorematibus* ceu fundamentis ſuis incumbere; his non probe jactis vacillare, his quaſſis collabi neceſſum eſt, quidquid in reliquis Diſciplinis exſtructum eſt molis. Haec Theoremata: *Ex vero nil niſi verum*; *Ex quo Antecedens*, *ex eo Conſequens*, et caetera, quae Cubo Logico a me nuper edito continentur, ſubſtrata ſunt omnibus Diſciplinis. Toti Scientiarum machinae ſuppoſuerunt arduos humeros Atlantes iſti; ſine fulcris illis in Scientiis non unus diſcurſus, vix unus paſſus. Igitur imago Divinitatis eſt Ratio (hoc ipſa Ratio clamat; hoc in confeſſo eſt apud omnes); imago Rationis eſt Logica (hoc ne quidem adverſarii ejus negant, qui eam ideo Scholis interdixerunt). Quid ad dignitatem praeclarius, quid ad majeſtatem ſublimius in Logicam dici poterat? Imago enim quodammodo eſt res illa, quam repraeſentat; imo imago a materiâ, quam inſidet, mente cogitationeque ſeparata, non eſt jam amplius imago, ſed res expreſſa. Sicuti, ſi poſthabitis lineamentis ac maculis, quas tabulae penicillus aſperſit, totus in rei, quae ad vivum exhibetur, contemplatione defigare, jam non Artem, ſed Artis exemplar, non effigiem, ſed effictum, non picturam, ſed Naturam vides. Quae cum ita ſint, mirari profecto ſubit, ecquid cauſae ſit, quod Humanus Intellectus

Phyſicis quam Logicis conſiderationibus inhiet avidius; quin imo in his plerumque taedio quodam torpeat, quod non niſi alacritas oppugnet, et non niſi aſſiduitas averruncet. Non eſt mihi animus claſſicum canere, et bellum inter Scientias ſeminare; ſacrum hoc inter ſorores contubernium importunâ nolim aemulatione diſcindere. Dicam tamen, o Naturalis Minerva, dicam pace tuâ, quod res eſt, et fidens animi dicam; memor cum Scientiis, id eſt cum ipſis Gratiis mihi eſſe negotium, quae arctis benevolentiae brachiis inter ſe complexae, mutuas praerogativas libenter agnoſcunt, iiſque ſubinde gaudent impenſius quam ſuis. Igitur a Corpore, quod contemplatur, ſuas Phyſica mutuatur illecebras; eaſdem ferme blanditias edocta Mathematica, addictiores procos habet quam Logica. Magis tamen adhuc, quam Mathematica, Phyſica pellicit, quia non Corpus tantum, ut illa, ſed et motum ejus, qui Mentis noſtrae cum Corpore vinculum eſt, conſiderat. Conſtat autem Mentem, hîc ineſcatam carne, ergaſtulum hoc et compedes ſuas non ferre jam aequo animo (quod Ratio juſſerat), ſed perdite amare, et indole degeneri frui ſervitute, differre libertatem. Haec eſt illa Humanae Mentis ad Corpus agglutinatio, et totis affectuum uncis adhaeſio; et hinc ut plurimum ille a Phyſicâ, in juveniles praeſertim animos, quos carnis ille limus altius abſorpſit, pruritus et irritamentum. Logica vero Mentem noſtram conſiderat, ejus Motum ſeu Diſcurſûs contemplatur; et, quod mirere, Diſcurſûs illos recurſûs eſſe videt, repetitiones, et Idearum miro ordine in ſe remeantium gyros et flexûs. Adeo ut nullus (quod alibi demonſtravi) legitimus ſit Diſcurſus, nulla bona *Conſequentia*, quae non Repetitione, geminatione, et aliquo ex *Antecedente* in *Concluſionem* reſumpto nitatur. Non gaudet hiſce, non capitur Mens, a Corpore, cum quo tota conſuevit et ferme coaluit, obeſa, obtuſa, hebes. Nam ipſa ſibi non ſapit, quae a ſe exſulat, et deſiderium pulcherrimae illius Patriae jam dudum exuit; et ordinatas illas Repetitiones ac Rhythmos ceu recoctam

crambem deteſtatur; nihil praeter nauſeam et vomitum ad iſta parat, et Maeandros illos, ingenuos ſuos luſûs, ut tricas, ut ſpinas aſpicit, imo ut Maleam quamdam ſuſpectat; nihil praeter taedia, faſtidia, formidines ad iſta gerit. Sed generoſae Mentes exſolvunt ſe iſtis *Praejudiciis*; malunt ſecum, quam cum corpore verſari. Et hiſce Logicam placere neceſſum eſt; sed genuinam Logicam; nam in ſpuriam illam merito debacchantur; illa mihi juxta ac illis inviſa ſemper erit.

DIXI.

LOGICA

FUNDAMENTIS SUIS,

A QUIBUS HACTENUS COLLAPSA FUERAT,

RESTITUTA.

EX ED. LUGD. BAT. A. 1662,
AMSTELODAMI A. 1698 AD VERBUM REPETITA.

ACADEMIAE LUGDUNENSIS CURATORIBUS.

Nobilissimi, Amplissimi Viri.

Accurrit ad vos Libellus iste, velut ad munitam Arcem adversus obtrectantium insultus; simul etiam acturus causam Auctoris sui, ut qui barbari ac inculti sermonis nescio qua veri specie apud vos insimulatus, indigebat scilicet isto periculo, quo probrum hoc qualecumque dilueret. Patrocinium igitur faciat mihi Libellus meus, et meliora testetur, in loco et cum otio lectus. Non quod flosculos hic et verborum delinimenta pollicear (non patitur haec Argumentum quod tracto, et legat me alibi quia ista volet; nec enim in amoeniori illo genere dicendi sine monumento sum); sed sermo, quantum per Artis nostrae praecepta licuit, Latinus est, non quaesitus, familiaris mihi et in ore natus, quem non praemeditatus effundo, Belgicâ linguâ, quae mihi materna contigit, in plerisque promptiorem. Quod nec mirabitur, cui vel tantillum perspecta fuerit vitae meae ratio, utpote qui inter assiduas jam inde a prima pueritia lucubrationes, quidquid in hoc idiomate cultiorum Auctorum est, evolvi. Adolescens Philosophiam Lovanii duodecim annos palam, et sex postremis annis in prima cathedra, cum frequentissimo Discipulorum affluxu professus, nuper autem ad virilem aetatem, et simul etiam ad Academiam vestram e naufragio rerum mearum appulsus, nihildum remisi de antiquo rigore; eandem operam, etsi privatam et minus quaestuosam, navo Ju-

ventuti veſtrae Collegia mea frequentanti. In his, cum Latio mihi ſemper idiomate loquendum eſſet, ita moderabar iſtam provinciam, ut ornatum et Latinitatem ſponte quaſi miſcentem ſe diſſertationibus meis, non rejicerem unquam; ſqualidum illud ac barbarum, ſine quo nec ſibi nec aliis docti videntur multi, non tantum non affectarem, ſed ſtudioſe repellerem; ac ſi quid hujus generis ex aliorum conſuetudine velut contagio irrepſiſſet in ſermonem meum, id protinus excuterem. Sed ſicubi tenor Latinae Linguae vim faceret Senſui, tenebras affunderet Dictioni, laqueos necteret Philoſopho; hîc vero mihi et Senſus moribus, et Res verbis, et Veritas Latinitate potiora videbantur. Et cur id mihi non ſumerem, quod Ratio deferebat? Imo cur id mihi Religioni ducerem Philoſophus, quod ſummi illi et veteres eloquentiae Romanae praeſules non temere, non in trivio forte, ſed ad aram Suadae, inter polluctum et media ſua ſacra verſantes, profanum non putavere? Hinc apud ipſum Ciceronem trita parentheſis (*ut ita dicam*) qua plerumque remolleſcunt, quae ex ſtricto jure Sententiae, praeter morem Latinae Linguae dici videbantur. Sed harum jam ſatis ſuperque rationum eſt; nec decet Vos diu ex uno negotio ſuſpenſos habere, quos oportet pares eſſe tam multis. Reliquum eſt, ut genibus veſtris advolvant ſe deploratae res meae et ſucciſa fortuna, quae a Luſtro jam fere, quo hic verſor, praeter malevolorum odia, calumnias, faſtidia, contemptum, et rabiem nihil ſunt; id innuentium, id geſtu prae ſe ferentium, id ipſo rerum mearum huc uſque ſucceſſu convincere volentium, Spem decolaſſe, et de me conclamatum eſſe. Sed ego ſpem illam, quam in Vobis et Humanitate veſtra collocaveram, nondum abjeci; perſuaſum enim habeo, curae vobis et cordi imprimis eſſe, doctos viros eoſque bonos ut foveatis, praeſertim cum mala fortuna colluctantes, et perſpectos jam Vobis ac probatos. Sic decet, ſic agite; ita Deus benefaciat iſti quae vobis incumbit Reipub. Literariae; ita benefaciat Summae, cujus potiores partes Vobis

commiſſae ſunt, Rei, et Vos utrique ſoſpites diu ac incolumes conſervet. Hoc meum Votum eſt. Valete. Dabam Lugd. Batav. I. Auguſt. MDCLXII.

Nobiliſſ. et Ampliſſ.

D. D. V. V.

Obſervantiſſimus Cultor

ARNOLDUS GEULINCX.

LECTOR BENEVOLE.

Genus quoddam hominum eſt in Logicam univerſe injurium; puſillum iis, minutum, et mera quiſquiliae, quidquid ab hac Arte proficiſcitur. Quid his hominibus facias, quibus nihil Magnum videtur eſſe praeter Coloſſos et Obeliſcos? Eja tamen reſipiſcite, quiqui eſtis; ne ite extra vos diffuſi, et in Carnem ac Corpus confuſi; intro ad vos ipſi et ad Mentem veſtram venite. Hîc quaerite; hîc interrogate, *Quid ſit Magnum?* Utique non aliud feretis reſponſi, quam *Magnum eſſe quid multae conſiderationis*, id eſt, in quo Mens noſtra multa cogitanda invenit, idque veris, claris, et ordinatis cogitationibus. Hoc ſtabilito (ut nihil de aliis dicam) ſolam vobis *Conſequentiam* ob oculos ponite. Invenietis rem eſſe non Magnam modo, ſed inter Maximas; ita ſunt infinitae Proprietates, quae ex illa ſcaturiunt, ordine pulcherrimo et mirâ concatenatione ſe trahentes, omnes nativâ luce, quam ortu ſuo (id eſt *Demonſtratione ex Natura Conſequentiae*) trahunt, radiantes, ut Mens tantae magnitudini contemplandae par eſſe vix poſſit, et Animus jugi Rationum ſerie paſtus et expletus capere non poſſit ſuam voluptatem.

Quod ſi hoc, quod *Magnum* Menti eſſe diximus, inſuper ſummam attentionem requirat, omnem diſtractionem prohibeat, totam in ſe Mentem depoſcat, minimâ Idearum tranſpoſitione vitietur, id jam etiam Menti *Subtile* vocabitur, *Tenerum* et cum cura ac circumſpectione tractandum. Atque haec etiam omnia in *Conſequentia* deprehendimus; nam ſi v. g. has ex ea

Proprietates elicueris: *Ex quo Antecedens*, *ex eo et Conſequens*; item: *Ex vero nil niſi verum*, etc., niſi accures, niſi totus attendas et ordinem in Ideis ſollicite ſerves, minimâ turbatione deflorantur; veluti *Verum non niſi ex vero*, aut *Ex quo Conſequens*, *ex eo et Antecedens*, etc. abſurda ſunt.

Tandem ſi quod ita *Magnum*, *Subtile*, ac *Tenerum* eſt, nullâ praeſumptione vel hypotheſi Mentem implicet, ſed ſinat ſe totum ſolâ manu Rationis evolvi, inſuper *Purum* vocabitur. Quod etiam liquido competit rebus Logicis; nullam enim Suppoſitionem haec Diſciplina deſiderat; eſtque haec Logices ad Phyſicam comparatae manifeſta praerogativa. Sunt igitur *Magna*, eademque *Subtilia* ac *Tenera*, inſuper et *Pura*, quae in Logica tractanda ſunt.

Sed quid refert, ſi tractanda ſint? Non tractantur. Fateor; ſed hoc Docentibus vitio vertite, non Doctrinae. Miſcent illi plerumque; imo non miſcent jam, quia ferme peregrinum eſt quidquid habent. Tantum ex Metaphyſica *Tractatus* aliquos huc transſcribunt, truncos, mutilos, graviter affectos. Et quod inter miſerendum impenſe rideas, cum ita confoderint et ferme trucidarint, putant hoc ſolo Logicae (quaſi illa Noſocomium quoddam ſit) proportionatos eſſe, cum alioqui integros illos et vegetos *Tractatus* fateantur ad Metaphyſicam pertinere.

Scio equidem, quid eos moverit ad accerſendum diſtortam hanc et male coherentem turbam. Nempe videbant *Argumentationes a Cauſis*, *ab Effectis*, *a Subjectis*, *ab Abjunctis*, *etc.*, itemque *Definitiones* ac *Diviſiones* ex iiſdem *Locis* excitas, ſine auxiliaribus iſtis copiis aggredi ſe tuto non poſſe. Sed potiori jure cogitandum illis fuerat, cum his *Locis* nullum ſibi negotium eſſe debere, eas conſiderationes ad ſe non ſpectare. Quod facile vidiſſent, ſi Naturam *Objecti* ſui v. g. *Conſequentiae* ſedulo contemplantes, tantum inde ſumpſiſſent, quantum illa ſuppeditabat, et ex his ſumptis, rurſum quantum illa ſuppeditabant, et porro; ſtudioſe ſemper caventes, ne quid corraderent alieni.

Vidiſſent ſe tali *Abſtractionis* et ſecluſionis ſemitâ (quam ſolam et unicam inſiſtunt *Scientiae*) a *Conſequentia* quidem ad *Antecedens* et *Concluſionem*, et ab his ad *Enunciationem* et *Contradictoriam*, indeque ad *Affirmationem* et *Terminos*, *Terminorum Concordiam Discordiamque*, aliaque paſſim a nobis in hoc Libello propoſita, poſſe devenire; ſed laudatam illam et arctam Semitam nunquam eos ad *Cauſas*, ad *Effecta*, *Subjecta*, ſimiliaque, quae Metaphyſicae tantum conſiderationis ſunt, ducturam fuiſſe.

Ego igitur conatus ſum, quod Titulus Libelli promittit, ejectis omnibus alienis, quae jam totam fere Logicam occupaverant, eam ſibi reſtituere. Num feliciter? Judicium penes alios eſto. Equidem vapulaturum me apud Rhapſodos et facile pervideo, et non moror. Quid? inquient, e Logica exterminare ampliſſimos illos *Locos*? quibus Juventus inſtructa erat ad *Syllogiſandum de omni propoſito Problemate*, etiam in materia ſpectante ad Diſciplinam aliquam cui nomen ſuum non dederant, et de qua nihil intelligebant; idque horas integras, prius ad ravim quam ad dicendi penuriam terminantes? Et vero Methodum etiam a Logica divellere! hoccine caſtigare Logicam, an caſtrare eſt? et eas illi partes exſecare, quibus Mater (plerumque tamen Ancillam malunt dicere) Scientiarum audiebat, partes tam utiles Juventuti, quae Libros jam nunc et magnos Tomos conſcribendos

de tenero meditatur ungui.

Quis non aegre ferat, exſtirpatis ſucculentis illis et floridis, relinqui tantum arida quaedam et ſtricta, quae ſaepe tetricum illud A, B, C Mathematicorum affectant? Hae et ſimiles Rhapſodorum querelae (quas ex ſenſu, non forte quem ipſi ſed quem res ipſa vult, interpretatus ſum) cum ſe ipſae ſatis explodant, non eſt quod a me pluribus refellantur.

Caeterum hoc ſerio moneo, et Libellus meus pluribus in locis praefert, me ſicut *Logicam Fundamentis ſuis reſtituere* ſatago, ita de ſolis *Fundamentis* cogitaſſe; quidquid in Arte noſtra ſublimius, imo quidquid prolixius erat, ſtudio praeter-

miſiſſe et alio reſervaſſe. Sciebam nempe, fundamenta et demiſſa et conſtipata eſſe debere. Sed et haec eſſe Fundamenta, quae jeci, et hiſce ac non aliis, quidquid ad Logicam ſpectat (Celſum illud ſit an Humile, Anomalum an Analogum) ſuperſtruendum, et quidquid hiſce non nititur, in hac Arte parergon eſſe, certus ſum.

Argumentorum nucleus et intima Natura reſidet in *Cubo* noſtro, quem ſex *Quadratis* inſtruxi, cortex vero et exterior apparatus ac Forma ex ſuis *Capitibus* petenda eſt; in hac ſubinde prolixior fui, quia id intra cancellos Logicos licebat, ac non ideo opus erat effringere; ſimul etiam conſului Diſcentibus, quibus illa *Forma* notior et ſenſum magis ferit; ſimul etiam morem geſſi Logicis, upote qui non ſoleant Argumenta, et quidvis aliud ſui *Objecti*, niſi penes exteriorem illam *Formam* et apparentiam conſiderare; ut aliquoties mibi notatum in hoc Libello.

In ordine ſubinde et nitore Demonſtrationum video quod emendari poſſit, ac ipſe, ſi hoc jam integrum eſſet, pluſcula emendarem; ſed dandum eſt aliquid primae inventioni. Sine Anteſignano hic fui; ſimul etiam anguſtiâ temporis circumventus; cum Opuſculum, primo quidem lineamentis ſuis leviter adumbratum, bimeſtri fere ſpatio, quo ſub prelo deſudavit, potiores ſuas partes a me receperit.

Ad extremum moneo, ne curſim haec legas. Euripus Logicus non patitur ſe navigari tam plenis velis; et periculum, ne crebris illis rerum in ſe recurrentium gyris in vertiginem actus, evertare, confuſionum fluctibus involvendus. Atque ab inquietis illis et feſtinantibus Ingeniis omnia ſunt in Logicam convicia; cum enim aegre ferant irretiri ſe (quod tamen ſine cura palantibus et concitatis neceſſum eſt evenire) diras dicunt reti, quaſi iſtâ impotentiâ jam ſatis ſe exſolverint.

LOGICAE RESTITUTAE

PARS I.

SECTIO I.

Caput I.

De Affirmatione et Negatione.

1. Radix Logices eſt Affirmatio. Quidquid enim in Logica tradendum eſt, ex ea deducitur continuâ et non interruptâ ſerie uſque ad ipſos Artis noſtrae fructus, quos vocant *Inſtrumenta Sciendi.*

2. Quid ſit Affirmatio, non debemus dicere. Primum hoc eſt in Logica, inſuper etiam notiſſimum, atque Actum illum, quem Affirmationem dicimus, ſexcenties agimus quotidie; exempla interim adducam, ne cui forte ſit ambiguum *Affirmationis* nomen. *Sto* itaque eſt Affirmatio, item *Diſputatur*, et *Petrus eſt doctus*, etc.; qui enim haec talia pronunciant, cenſentur aliquid Affirmare, atque adeo eorum pronuntiationes *Affirmationes* vocantur.

3. Ex iſta radice proveniunt nobis primum duo ſurculi, Subjectum et Praedicatum. Nempe ſi affirmem, oportet eſſe de quo affirmem (atque illud *Subjectum* dicitur), et oportet eſſe quod de illo affirmem (vocaturque *Praedicatum*). Sic in *Sto* Subjectum eſt *Ego* (de me enim affirmo, cum ſtare me dico), Praedicatum eſt *Stans* (hoc enim ibidem de me affirmo). Subjectum Grammaticis *Perſona*, Praedicatum illis anonymum eſſe videtur. Subjectum item et Praedicatum communi nomine dicuntur Logicis *Termini* et *Extrema*; claudunt enim utrimque Affirmationem, dum ea iſto ordine digeritur, quem ſenſus requirit.

4. Ultra haec extrema reperitur in Affirmatione aliquid fenfu medium, quod Logici *Copulam*, Grammatici *Verbum* vocant. Atque non eft aliud, quam Affirmandi Nota; ficut *An* eft Nota interrogandi, *Hem* vocandi, *Vae* minandi, *O* exclamandi, etc., fic in hoc tota verfatur Copulae feu Verbi natura, quod Affirmandi Notam agat. Quidquid ultra hanc Notam adhaeret Verbo, non fpectat ad Verbum, fed ultra Naturam ejus confiftit; unde errant Grammatici, dum genuino Verbo *Sum* tot fpuria Verba, Activa, Paffiva, Neutra, Deponentia, etc. adcenfent. Non funt haec Verba, fed Verba cum extremis fuis, aut altero extremorum; v. g. *Sto* non eft Verbum, fed Verbum in fe complicat fimul cum Subjecto feu Perfonâ praecedente, et Praedicato fequente; fi autem dixero *Petrus ftat*, illa dictio *Stat* non quidem jam Perfonam in fe continet (haec enim praecedit in illa dictione *Petrus*), fed faltem Verbum cum Praedicato.

5. Praeter hanc fcoriam Extremorum connafcuntur fubinde Verbo quidam Modi: ut Modus temporis praefentis, Modus temporis praeteriti, et futuri. Et prior quidem illa fcoria Grammaticos fugit, haec etiam Logicos latet; putant enim hanc pertinere ad Verbi naturam, cum in Definitione Verbi ingerant mentionem fignificationis temporis. Iidem fibi non conftant, alibi dictantes, in Propofitionibus aeternae Veritatis Verbum abfolvi a tempore; nihil enim a natura fua abfolvi unquam poteft. V. g. hîc: *Duo et tria funt quinque*, Verbum *Sunt* abfolvitur, inquiunt, a tempore, id eft, nullum tempus fignificat; non est enim fenfus, *Duo et tria jam effe quinque*, *aut olim*, *aut nuper*, *aut cras*, fed fimpliciter, *Duo et tria effe quinque*; adeo ut Verbum *Sunt* ibi nihil aliud agat quam Affirmandi Notam; atque ita genuinum Verbum eft, ab omni fcoria probe repurgatum. *Eft* autem hîc: *Carolus eft rex*, non est purum Verbum; etfi enim ab extremis fuis fecretum fit, coaluit ei tamen adhuc Modus seu Adverbium temporis, a quo fic exi-

mendum eſt: *Carolus nunc eſt rex*; illud enim *Eſt*, quod ibi jacet, purum putum Verbum eſt, nuda Nota Affirmandi. Caeteris enim muniis, quae quandoque obire ſolet iſta dictio, defunguntur ea quae circumſtant; ipſa his omnibus exuta nec Tempus ſignificat, nec Perſonam, multo minus Praedicatum; tantum ſibi retinet Grammaticum aliquod jus quaedam ex his officiis, datâ opportunitate, reſumendi.

6. Atque ita purum et proprium Verbum, ſecluſis omnibus ei peregrinis, exhibuimus; eratque operae pretium, quia in radice noſtra (in Affirmatione) Verbum eſt princeps et velut anima; extrema enim tantum corpus quoddam ſuppeditant Affirmationi. Veluti *Carolus rex* non eſt Affirmatio, ſed cadaver aliquod Affirmationis, quod ſimul ac Verbum acceſſit (hoc modo: *Carolus eſt rex*), jam reviviſcit et Affirmationem ſpirat.

7. Affirmationi opponitur Negatio; et quid illa ſit, etiam non dicimus, niſi per exemplum. *Non diſputatur*, *Petrus non eſt doctus*, *etc.* ſunt Negationes. Cur haec ſimiliaque multa definienda non ſint, videbis infra, ubi de Definitione agam. Hoc interim nota, in Negatione ſemper contineri Affirmationem, ut in *Non ſto* continetur *Sto*; continetur, inquam, Affirmatio, ſed non integra, non illibata, at corrupta refractaque per Adverbium negandi *Non*, quod et ipſum ſeorſim aliquando vocatur *Negatio*, ſed alio ſenſu. Sicut ergo naufragium non poteſt eſſe ſine navi, ſic neque Negatio ſine Affirmatione; quamvis in naufragio navis, et in Negatione quodammodo pereat Affirmatio. Quia igitur Affirmatio eſt in Negatione, hinc etiam Subjectum et Praedicatum ſunt in Negatione, hoc ipſo, quo illa ſunt in Affirmatione. Non ſunt tamen Subjectum et Praedicatum ipſius Negationis (quamvis ſic loqui ſoleant Logici per abuſum), ſed Affirmationis incluſae.

8. Affirmatio et Negatio communi nomine vocantur *Propoſitiones*. Sic ubi proinde Propoſitionem dixerimus, oportet eo nomine ſive Affirmationem ſive Negationem intelligere.

Caput II.

De Subjecto et Praedicato.

1. Subjectum et Praedicatum tripliciter ſumuntur: per Actum, per Potentiam, per Dignitatem. Subjectum actu eſt, de quo hic et nunc affirmamus; Praedicatum actu, quod hic et nunc affirmamus de aliquo. V. g. cum jam dico *Sto*, Subjectum actu eſt *Ego*, Praedicatum actu est *Stans.*

2. Subjectum potentiâ eſt, de quo poſſumus affirmare aliquid, ſive interim jam affirmemus ſive non; Praedicatum potentiâ eſt, quod affirmare poſſumus de aliquo, ſive interim ipſum jam affirmemus de illo ſive non. Sic *Homo* eſt Subjectum potentiâ, quia poſſumus de illo affirmare, quod ſit *Animal*; ſimiliter etiam *Homo* eſt Praedicatum potentiâ, quia poteſt affirmari de *Petro.* Subjectum potentiâ vocant Grammatici *Subſtantivum*; Praedicatum potentiâ, ſaltem ſi purum fuerit, vocant *Adjectivum*; de quibus infra.

3. Subjectum dignitate eſt id de quo alterum, ad quod comparatur, affirmari poteſt affirmatione verâ; Praedicatum dignitate eſt quod de eo, ad quod comparatur, affirmari poteſt affirmatione verâ. Sic *Aurum* eſt Subjectum *Metalli*, et *Metallum* eſt Praedicatum de *Auro*, utrumque per dignitatem; nam et *Metallum* meretur affirmari de *Auro*, et *Aurum* meretur ſubjici *Metallo*, quod meritum ſeu dignitas aeſtimatur penes Affirmationem veram, in qua hoc de illo dicatur. *Aurum* vero eſt quidem Subjectum *Lapidis* per potentiam, imo etiam actu, ſi aliquis dicat: *Aurum est Lapis*; ſed non est Subjectum dignitate, cum *Lapis* non poſſit affirmari de *Auro* verâ Affirmatione. Praedicatum per dignitatem vocant Logici *Praedicabile*, et Subjectum dignitate vocant *Subjicibile*; nos retinebimus nomen *Subjecti* et *Praedicati*, quia vix de alio Subjecto et Praedicato loqui ſolent Logici, quam de Subjecto et Praedicato per dignitatem. Cum

proinde Subjectum aut Praedicatum dicimus, oportet ea per dignitatem ſumere, niſi aut nos ipſi aliter moneamus, aut circumſtantiae noſtri ſermonis aliud exigant.

4. Praedicatum de Subjecto *Dici*, *Affirmari*, *Praedicari* cenſetur; Subjectum vero ei *Subjici* dicitur; quae omnia ſolent etiam per dignitatem ſumi. Sic enim dicimus: *Lapis* non affirmatur de *Auro*; quod perinde capitur, ac ſi dictum fuiſſet: non affirmatur in verâ Affirmatione; alioqui *Lapidem* de *Auro* dici, ſive verâ ſive falſâ Affirmatione, nihil obſtat.

5. Praedicati haec eſt inſignis Regula: Nihil cenſetur abſolute affirmari de aliquo, niſi affirmetur de ipſo Affirmatione tali, in qua nihil Subjecto, nihil Praedicato, nihil Copulae addendum ſubaudiendumve ſit, ut vera fiat. Hinc *Aurum* non eſt Praedicatum de *Metallo*; etiamſi enim verum ſit *Quoddam metallum eſt aurum*, ibi tamen aliquid apponitur Subjecto, quo non appoſito Affirmatio iſta non foret vera; ſiquidem *Metallum eſt aurum* non eſt verum, cum metallum non potius ſit aurum quam argentum aut aes, etc. Similiter *Immortale* non affirmatur de *Homine*; etiamſi enim vera ſit haec Affirmatio: *Homo eſt immortalis ſecundum animam*, ibi tamen aliquid additur Praedicato, quo dempto non eſſet verum quod reſtat, *Homo eſt immortalis*. Tandem etiam *Homo* non est Praedicatum de ſua *Statua*; etiamſi enim haec vera ſit Affirmatio: *Statua humana apparenter* (ſeu ſecundum apparentiam ſenſûs) *eſt homo*, tamen ibi aliquid apponitur Copulae, quo detracto reſtantia iſta non eſt vera: *Statua eſt homo.*

6. Non nego tamen, *Aurum* dici de *Quodam metallo*, aut *Immortale ſecundum animam* affirmare de *Homine*, aut *Apparenter hominem* de *Statua humana*; ſiquidem iſta Praedicata dicuntur de Subjectis illis, ad quae ibi comparantur, ſine ullo addito vel ſubintellecto; ſed tantum occurro et caveo, ne ideo exiſtimes, aut *Aurum* de *Metallo*, aut *Immortale* de *Homine*, aut *Hominem* de *Statua* ſuâ dici; de iſtis enim Subjectis non dicuntur iſta

Praedicata, niſi aliquid ſuperveniat Subjecto, Praedicato, vel Copulae, expreſſe vel implicite.

7. Ex his facile intelligitur iſta Proprietas Praedicati: Praedicatum in ſe quodammodo continet ſuum Subjectum. Continet, inquam, penes Affirmationem, et Disjunctive, ſicut *Metallum* continet *Aurum*, *Aes*, *Stannum*, etc. *Metallum* enim est *Aurum* vel *Aes* vel *Stannum*, etc. Praedicatum autem non ſemper continet disjunctive ſuum Subjectum, tamquam partem ſuam (ſicut *Metallum* continet *Aurum*), ſed ſubinde etiam tamquam idem ſe ipſum; ſic *Metallum* etiam eſt Praedicatum de *Metallo*, quia metallum maxime metallum eſt. Non tantum enim Totum continere Partem ſuam dicitur, ſed et ſe ipſum; ſicut numerus binarius non tantum ſingulas unitates, ſed ambas ſimul, id eſt, ſe ipſe continet. Igitur Praedicatum quodammodo Totum eſt; Subjectum autem vel pars ejus, vel idem eſt cum ipſo.

8. Secunda Proprietas: Subjectum, quod penes Affirmationem continetur in Praedicato, illius Praedicati Subjectum eſt. Vel enim erit idem cum ipſo Praedicato; et ſic ſane Praedicatum de ipſo dicetur, quia A eſt A; vel cum alio ſubjecto disjunctive continebitur in Praedicato; et ſic iterum Praedicatum dicetur de iſto Subjecto, quia manifeſtum eſt quod A ſit A vel B.

Caput III.

Primum Quadratum Logicum.

1. Quid ſit Quadratum Logicum, et quorſum tendat, commodius dicam infra, ubi ſex ſimilibus Quadratis propoſitis, Cubum Logicum ex illis conſtructum exhibebo. Hoc ſufficit in anteceſſum admonere, in quolibet Quadrato quatuor Axiomata reperiri, velut totidem Lineas Quadratum illud circumſcribentes; quorum duo, Senſûs affinitate conjuncta, Affirmativa

ſunt, pariuntque ex ſe duo Negativa per Converſionem Soriticam. Sed quid ſit iſta Converſio, non poteſt hic dici, ſed infra parte 3 dicetur.

2. Primum Axioma: Quod dicitur de Praedicato, dicitur etiam de Subjecto. Velut ſi A ſit Praedicatum, et B Subjectum ejus, atque C dicatur de A, neceſſum erit, C etiam de B dici. Cum enim A ſit Praedicatum de B, conſequenter A continet B (*per* 1. *propr. praeced. cap.*); ſed cum C dicatur de A, conſequenter C continet A; ergo C etiam continet B, quia quod continet continens, continet etiam contentum ejus (ut quia cella continet dolium, in quo continetur vinum, hinc etiam cella continet vinum). Si igitur C contineat B, nempe quoad affirmationem, ut hîc intelligo, ergo C affirmabitur de B (*per* 2. *propr. praed. cap.*). Quod erat demonſtrandum.

3. Secundum Axioma: Quod non dicitur de Subjecto, non dicitur etiam de Praedicato. Si enim diceretur de Praedicato, jam etiam diceretur de Subjecto, juxta praecedens Axioma. Hoc eſt Axioma Negativum, correſpondens praecedenti Axiomati Affirmativo per Converſionem.

4. Tertium Axioma: De quo dicitur Subjectum, de eodem dicitur et Praedicatum. Si enim aliquid contineatur in contento (Subjecto), etiam continebitur in continente (Praedicato). Eſt hoc alterum Axioma Affirmativum, quod ſenſûs affinitate conjunctum eſt cum primo Axiomate.

5. Quartum Axioma: De quo non dicitur Praedicatum, de eo nec dicitur Subjectum. Si enim Subjectum de illo diceretur, jam etiam Praedicatum de illo diceretur, juxta tertium Axioma. Hoc eſt Axioma Negativum, per Converſionem correſpondens Tertio Axiomati.

6. Quia nudas illas et abſtractas demonſtrationes vix percipiunt Tirones, adhibebimus exempla. Sint iſti Termini: *Aurum*, *Metallum*, *Corpus*; cum ergo *Metallum* ſit Praedicatum de *Auro*, et *Corpus* dicatur de *Metallo*, hinc *Corpus* etiam dicetur de *Auro*,

juxta Primum Axioma (quod dicitur de Praedicato, dicitur etiam de Subjecto). Rurſum, cum *Metallum* ſit Subjectum *Corporis*, *Metallum* autem dicatur de *Auro*, hinc etiam *Corpus* dicetur de *Auro*, juxta Tertium Axioma (de quo dicitur Subjectum, de eo dicitur et Praedicatum). Sume jam iſtos Terminos: *Aurum*, *Metallum*, *Lapis*; quia *Lapis* non affirmatur de Subjecto (*Auro*), hinc neque affirmatur de Praedicato (*Metallo*), juxta Secundum Axioma. Rurſum quia Praedicatnm *Metallum* non dicitur de *Lapide*, hinc nec Subjectum (*Aurum*) dicitur de *Lapide*, juxta Quartum Axioma.

7. Dices: *Brutum* non dicitur de Subjecto (*Homine*), et tamen dicitur de Praedicato ejus (*Animali*); *Quoddam* enim *animal eſt brutum*. Reſpondeo: *Brutum* non dicitur de *Animali* (falſum enim eſt, quod *Animal ſit brutum*, cum animal non ſit potius brutum quam homo), ſed *Brutum* tantum dicitur de *Quodam animali*; vide Reg. Praedicati cap. praeced. Licet autem *Quoddam animal* ſit Praedicatum de *Homine*, hoc modo: *Homo eſt quoddam animal*, eſt tamen aliud *quoddam animal*, quod de *Homine* affirmatur, quam de quo *Brutum* affirmatur.

Caput IV.

De Subſtantivo et Adjectivo.

1. Subſtantivum, ut cap. 2. monui, idem eſt quod Subjectum potentiâ, ſeu id de quo aliquid affirmari poteſt, id de quo aliquid dicere poſſumus; ut *Homo*, *Lapis*, *Petrus*, *etc.* Sed gravis hîc veſtibulum pulſat difficultas: Num ergo quidlibet ſit Subſtantivum? de quolibet enim dici aliquid poteſt. Reſpondeo: de rebus ipſis, praeveniendo omnem noſtram expreſſionem, qua eas verbo aliquo (oris ſcilicet vel mentis) exprimamus, nihil poteſt affirmari; tunc tantum affirmari de illis aliquid poteſt, cum apte exprimuntur. Quia vero quidlibet ſic poteſt apte

exprimi, hinc quodammodo de quolibet etiam affirmari aliquid poteſt, ſed remote tantum, quamdiu non exprimitur; tunc demum proxime, cum idonea expreſſio acceſſit. Ratio manifeſta eſt, quia non poſſumus dicere de aliquo, niſi ipſum intra dictionem noſtram admiſſum ſit; intra illam autem non admittitur aliter, quam ſi ipſum etiam dicatur ſeu voce exprimatur; adeoque prius eſt ipſum dici, quam de ipſo aliquid dici.

2. Ajo igitur, inter res nudas et nulla voce inveſtitas nullum etiam Subſtantivum eſſe; cum de rebus ut ſic affirmare non poſſimus; inter autem res expreſſas, nominatas, ac intra dictionem noſtram admiſſas (quas quidam *Themata* vocant) illae tantum habent rationem Subſtantivi, quae tali modo exprimuntur et ſignificantur, ut de illis affirmari aliquid poſſit; ita ut tota ratio Subſtantivi conſiſtat in certa expreſſione ſeu certo modo ſignificandi. Sic *Sapienter* non eſt Subſtantivum, quia, ut ibi jacet, nihil poteſt de illo dici; *Sapientia* autem eſt Subſtantivum, quia de illa dici aliquid poteſt.

3. Adjectivum eſt Praedicatum purum; ibi Praedicatum ſumitur per potentiam, adeoque efficitur hic ſenſus Definitionis: Adjectivum eſt tale Praedicatum potentiâ, ut non ſit Subjectum potentiâ, id eſt, ita poteſt affirmari de aliquo, ut de eo nihil poſſit affirmari. Ut *Albus*; poteſt enim affirmari de *hac charta*, hoc modo: *Haec charta eſt alba*, at ipſo non poſſumus affirmare, niſi ei aliquid apponamus; tunc vero non de ipſo, ſed de compoſito quodam ex ipſo affirmamus. Veluti ſi dixerimus: *Album eſt viſibile*, ibi non de *Albo* ſeorſim, ſed de *Ente albo* ſeu de *eo quod album eſt* affirmavimus; ſenſus enim eſt: *Quod album eſt, eſt viſibile.*

4. Subſtantivum de ſe ipſo affirmari videtur; ut: *Petrus eſt Petrus*, *Lapis eſt Lapis*, etc. At Adjectivum ne quidem de ſe ipſo dicitur, quia nihil de eo dicitur; unde cum Adjectivum de ſe, aut aliud quidpiam de Adjectivo dici videtur, Adjectivum ex parte Subjecti poſitum adſciſcit ſibi *Ens*, quia Adje-

ctivum ſe ſolo non poteſt implere locum Subjecti. Sed ſi acutius rem perpendamus, forte non tantum dicemus, Adjectivum non poſſe subjici, ſed etiam, Subſtantivum non poſſe praedicari. Sicut enim Adjectivo aliquid deeſt, cum ſubjicitur, quo minus impleat iſtum locum, ſic in Subſtantivo aliquid redundat, cum praedicatur, quo locum iſtum excedat. Nempe in Subſtantivo ſemper reſidet *Ens*, quod non eſt aliud quam Nota Subjecti ſeu Subſtantivi; quae certe Nota redundat in Subſtantivo, dum ex parte Praedicati ponitur, adeoque illâ Notâ tunc tamquam ſuperfluâ excidente, non ſupereſt ex Subſtantivo niſi merum Adjectivum. Igitur ſicut Subſtantivum eſt Subjectum potentiâ, ſic Adjectivum in hac ſententia non eſt aliud quam Praedicatum potentiâ; ita ut non ſit neceſſum in definitione Adjectivi apponere *Purum*. Hanc ſententiam ita obiter propoſitam non ſequar in hoc libello, cum pluſquam credi poſſit praejudicet communi Doctrinae, cui me, quantum fas erat, attemperare ſtudui. Supponam itaque, Subſtantivum etiam poſſe affirmari et ſtare loco Praedicati, non detruncatum. Alioqui, ſi ne quidem *Ens* affirmari poſſe dixero, quod et ex hac ſententia ſequitur et verum eſt, nimis quam Paradoxa dixero, et jugulum petiero hoc Logico pugione innumeris Metaphyſicorum ſubtilitatibus; quod jam equidem non faciam.

5. Adjectivum ſubſtantivari dicitur, quando Subſtantivum aliquod (praeſertim *Ens*) ei ſubauditur; non quaſi Adjectivum eo caſu fiat Subſtantivum, ſed quod Compoſitum ex Adjectivo et ſubaudito Subſtantivo ſit quoddam Subſtantivum. Adjectiva Subſtantivata ſunt ſemper iſta Adjectiva neutro genere conſtructa, quae ſeorſim exprimuntur ex parte Subjecti. V. g. *Dulce delectat*, *Grave cadit*, *etc.*; ibi enim ex parte Subjecti ſubintelligitur *Ens*, quod exponitur *Id quod eſt*, hoc modo: *Ens dulce delectat*, *Id quod grave eſt cadit.* Solent etiam Adjectivum et Adjectivum Subſtantivatum multis caſibus vulgariter aeſtimari et pro iiſdem haberi, potiſſimum in materia Argumen-

torum; revera tamen multum differunt, habentque se ut pars et totum, nam Adjectivum est pars sui ipsius Substantivati. V. g. *Dulce* substantivatum est *Ens dulce*, cujus Adjectivum *Dulce* tantum aliqua pars est. In materia igitur Essentiae et Definitionem ac Divisionum habentur pro valde diversis Adjectivum et idem Adjectivum Substantivatum.

6. Notandum, Obliquos, seorsim positos ex parte Praedicati, habere vim Adjectivorum, imo et esse vera Adjectiva apud Logicos; licet defectu exterioris alicujus apparatûs non veniant in illum censum apud Grammaticos. Ut *Petrus est domi*; ibi *Domi* habet vim Adjectivi, et perinde est ac *Existens-domi*, si hoc unâ voce efferre liceret; et *Haec civitas est circa mare* perinde est atque *Haec civitas est maritima*; item *Haec mensa est ex ligno* perinde est atque *Haec mensa est lignea*. Et idem obtinet, quando propter penuriam vocum non suppetunt Adjectiva grammatica Obliquis istis aequivalentia; penuria enim illa vel copia, quae ab hominum arbitrio dependet, non potest aliquid immutare circa res ipsas. Unde cum dico: *Liber Petri*, non desinit Obliquus *Petri* aequipollere Adjectivo, etsi forte nullum hodie suppetat Adjectivum, quod eodem sensu manente in locum istius Obliqui surrogari potest. Sicut enim dicimus: *Imperator Romanus*, id est *Imperator Romanorum*, sic etiam natura rei patitur, non tantum *Librum Petri*, sed etiam *Librum petrinum* dici; etsi posteriorem illam dictionem non ferat usus et mos Latinae Linguae. Circa Substantiva redundant Genera ista Grammatica, Masculinum, Femininum, etc., quae non alio spectant, quam ut inutili ac difficili caeremonia distineantur et occupentur toti, qui Linguae alicui perdiscendae se addicunt. Sed de his ac similibus multis dicam alibi.

7. Substantivum dividitur in Purum et Mixtum. Substantivum Purum est, quod non componitur ex Adjectivo, ut *Ens* seu *Res*, exponiturque: *Id quod est*; quamvis in rei veritate non sit hoc Substantivum, sed tantum Nota Substantivi, cui nihil

correſpondeat objective, ſed tantum formaliter; quod tamen hîc non ſupponam, ut dixi. Subſtantivum Mixtum eſt, quod ex Adjectivo componitur; qualia ſunt reliqua omnia praeter *Ens*, ut *Lapis*, *Aurum*, *Lac*, etc.; haec enim ſunt *Certa entia*, *Quaedam res*, *Tales res*, adeoque includunt Adjectivum, quod iſtis Notis *Certum*, *Tale*, *Quoddam* deſignatur. Subſtantivum Purum etiam Simplex, Mixta vero Compoſita dicuntur.

Caput V.

De Eſſentia et Accidente.

1. Eſſentia eſt Praedicatum in Subjecto; id eſt, in Affirmatione, in qua de Subjecto ſuo dicitur, praecedit ex parte Subjecti, antequam veniat ad locum Praedicati. Sic *Homo* eſt Eſſentia *Hominis albi*, quia *Homo* eſt in iſto Subjecto *Homo albus*; et cum dico: *Homo albus eſt homo*, jam *Homo* praeceſſit in loco Subjecti, antequam veniret ad locum Praedicati: eâdem de cauſâ etiam *Albus* eſt eſſentia *Hominis albi.*

2. Et quidem, cum ſic expreſſe Praedicatum in Subjecto reperitur, difficultatem non habet Eſſentia, quia Senſum ferit. Sed perito Logico implicita perinde ſunt ac expreſſa; adeoque agnoſcimus, *Hominem* etiam eſſe Eſſentiam *Petri* et *Lapidem* eſſe Eſſentiam *Marmoris.* Cum enim dico: *Marmor eſt lapis*, ibi *Lapis* non praecedit quidem ad oculum ex parte Subjecti, antequam veniat ad locum Praedicati, ſed tamen abſolute praecedit, quia implicite ſeu tecte praecedit; cum enim *Marmor* non ſit aliud quam *Certus lapis*, ſi de *Certo lapide* dixeris, quod ſit *Lapis*, jam manifeſte praecedit *Lapis* in Subjecto, antequam veniat ad locum Praedicati. Atque idem illud implicite fit, cum dico: *Marmor eſt lapis.* Ex quo jam facile colligitur, quod Subſtantivum Purum ſit Eſſentia cujuslibet Subſtantivi Mixti; cum enim Subſtantivum Mixtum non ſit aliud quam *Certum ens*, ſi *Ens* de illo dicatur, neceſſum eſt, *Ens* expreſſe vel implicite praecedere ex parte Subjecti, an-

tequam veniat ad locum Praedicati. Colligitur etiam, Eſſentiam aliquando Tectam, aliquando Retectam eſſe. Retecta eſt, cum verbotenus ſonat in ſuo Subjecto; Tecta vero, cum, licet ſit in ſuo Subjecto, tamen verbotenus non ſonat in illo. Tam Tecta quam Retecta eſſentia eſt vera eſſentia, imo eadem eſſentia modo Tecta, modo Retecta eſſe poteſt; ſicut eadem pictura jam patet, jam cortinis obtegitur, aut idem tapes modo convolutus eſt, modo ad parietem appenſus explicatur. Sic v. g. *Ens* in *Ente extenſo* eſt Eſſentia aperta et retecta, in *Corpore* vero, quod penitus idem eſt ac *Ens extenſum*, obtectum eſt *Ens* involucro iſtius vocabuli *Corpus.*

3. Eſſentia dividitur in Subſtantivam et Adjectivam. Eſſentia Adjectiva eſt Eſſentia quae eſt Adjectivum. Haec vocatur *Forma*; ſic *Albus* eſt Forma *Hominis albi*; et Adjectivum quod deſignatur per *Certus*, quando dico *Certus lapis*, putans *Marmor*, eſt Forma *Marmoris.*

4. Eſſentia Subſtantiva dividitur in Totalem et Partialem. Eſſentia Totalis eſt Eſſentia quae eſt eadem cum ſuo Subjecto; ut *Homo* reſpectu *Hominis*, imo etiam *Animal rationale* reſpectu *Hominis*; haec enim etiam ſunt eadem, et tantum ſicut tectum et retectum, ſicut convolutum et expanſum differunt. Eſſentia Partialis Subſtantiva eſt Eſſentia Subſtantiva quae diſtinguitur a ſuo Subjecto. Atque haec *Materia* dicitur, ut *Homo* reſpectu *Hominis albi*, item *Lapis* reſpectu *Marmoris.* Non ſufficit igitur ad Materiam, quod ſit Eſſentia Subſtantiva, cum Eſſentia Totalis etiam ſit Eſſentia Subſtantiva, nec tamen Materia. Sed nec ſufficit ad Materiam, quod ſit Eſſentia Partialis, cum Forma etiam ſit Eſſentia Partialis. Cum enim Forma debeat eſſe Adjectivum, conſequentur non poteſt eſſe eadem cum ſuo Subjecto; ſi enim eſſet eadem cum ſuo Subjecto, ipſa etiam eſſet Subjectum, et per conſequens eſſet Subſtantivum, non vero Adjectivum. Utrumque igitur ex aequo requiritur ad Materiam, nempe ut et Subſtantiva ſit Eſſentia, et Partialis

Eſſentia. Ad Formam autem ſufficit ut ſit Eſſentia Adjectiva; quia rationem Partialis Eſſentiae in Forma ſatis infert ratio Adjectivi in Forma.

5. Adjectivum tantum poteſt eſſe Eſſentia Partialis; Subſtantiva vero ſunt ſibi ipſis Eſſentiae Totales, et compoſitis ex ſe ac aliquo Adjectivo, quocum apte cohaerent, ſunt Eſſentiae Partiales. Adjectivum non habet Eſſentiam; nihil enim habet Eſſentiam, niſi ſit Subjectum. Subſtantivum Purum tantum habet Eſſentiam Totalem; quia *Entis* nulla eſt Eſſentia niſi ipſum *Ens*; cum enim nulla ſit Forma in ipſo, per conſequens etiam nulla Materia in eo eſſe poteſt, adeoque nulla eſt in *Ente* Eſſentia Partialis. Tandem Subſtantiva Mixta et Totalem Eſſentiam habent et Partialem. Materia eorum eſt *Ens*, Forma in illis deſignatur per illud Adjectivum *Certus* (cum non ſint *Ens ut ſic*, ſed *Ens certum*); ipſa vero ſibi, ut dictum eſt, ſunt Eſſentiae Totales.

6. Eſſentia dividitur etiam in Eſſentiam Proximam et Remotam. Eſſentia Remota eſt Eſſentia Materiae comparata ad Subjectum iſtius Materiae; ſic *Corpus* eſt Eſſentia Remota *Auri*; *Corpus* enim eſt Eſſentia *Metalli*, *Metallum* autem eſt Materia *Auri*. Eſſentia Remota ſubdividitur in Materiam Remotam et Formam Remotam; ſic *Extenſum* eſt Forma Remota *Auri*; eſt enim Forma *Corporis*, quod eſt Materia *Auri*. Eſſentia Proxima eſt Eſſentia Subjecti, et non Materiae Subjecti; ſic *Aurum* eſt Eſſentia proxima ſui ipſius, ac etiam *Hujus auri*. Totalis Eſſentia ſemper eſt Proxima; Partialis vero ſubinde Proxima, ſubinde Remota eſt.

7. Accidens eſt Praedicatum ad Subjectum; id eſt, in Affirmatione, in qua de Subjecto ſuo dicitur, praeciſe conſiſtit loco Praedicati, nec diffundit ſe ad locum Subjecti. Ut *Rex* reſpectu *Caroli*; cum enim dico: *Carolus eſt rex*, tunc *Rex* tantum conſiſtit in Praedicato, et neutiquam reperitur ex parte Subjecti; non expreſſe (hoc patet); non implicite, quia *Carolus* etiam eſt

quando rex non eſt, ſed exſul; itaque in *Carolo* non eſt *Rex:* alioqui enim *Rege* deſinente etiam ipſe deſiiſſet, quod eſt falſum.

Caput VI.

De Potentiâ et Actu.

1. Praedicatum diſtinguitur in Potentiam et Actum. Potentia eſt Praedicatum quod affirmatur penes *Poſſe*; ut *Calefactivum*; id enim eſt *Potens calefacere*, adeoque affirmatur de *Igne*, de *Aqua*, *etc.* penes *Poſſe*. Actus eſt Praedicatum, quod affirmatur penes *Eſſe*, et non penes *Poſſe*; ut *Homo*, *Calefaciens*, *etc.* Actus eſt verum Praedicatum, ſed Potentia non eſt verum Praedicatum, at Praedicatum ſumptum cum modo ſeu Adverbio Copulae. Cum enim dico: *Aqua eſt calefactiva*, Propoſitio efficitur Modalis, nempe haec: *Aqua poſſibiliter calefacit*; adeoque *Calefactivum* idem eſt ac *Poſſibiliter calefaciens*; et ſic non eſt merum Praedicatum ſumptum cum Modo Copulae. Modi enim illi, *Neceſſario*, *Non*, *Poſſibiliter*, *etc.*, non poſſunt cadere niſi in Copulam, ut magis patebit parte 2, ubi de Enunciatione Modali agetur. Unde cum Modi iſti a Copula violente abſtrahuntur, et verbotenus apponuntur Praedicato, ſenſu tamen et quaſi affectu ſemper adhaerent Copulae.

2. Quaelibet Potentia habet Actum. Atque Praedicatum illud, quod ultra Modum *Poſſibiliter* includitur in Potentia aliqua, ejuſce Potentiae Actus dicitur; ſic Actus *Calefactivi* eſt *Calefaciens. Calefactivum* enim idem eſt quod *Poſſibiliter calefaciens*, adeoque *Calefaciens* eſt Praedicatum, quod in praedictâ Potentiâ reperitur ultra Modum *Poſſibiliter.* Potentia autem cenſetur ad Actum ſuum terminari; quia Modum *Poſſibiliter*, qui formaliter Potentiam repraeſentat, ſenſu ſequitur Actus; ut in *Calefactivo* ſeu *Poſſibiliter Calefaciente*, poſt Modum *Poſſibiliter* ſenſu ſequitur Actus *Calefaciens.* Modus enim ille ſenſu adhaeret Copulae; *Calefaciens* autem tenet ſe ex parte Praedicati; jam

autem Copula ſenſu praecedit Praedicatum. Dicitur etiam Potentia reduci ad Actum, item exire in Actum, quando jam non ipſa tantum de Subjecto ſuo dicitur, ſed etiam Actus ejus; ſic *Calefactivum* in *Aqua* reducitur in Actum, quando Aqua inferbuit, adeoque non tantum calefactiva eſt, ſed et calefaciens.

3. Unde Potentia dividitur in Puram et Impuram. Impura Potentia eſt quae in Actum reducta eſt, ut *Calefactivum* reſpectu *Aquae fervidae* aut *Ignis*; haec enim non tantum calefacere poſſunt, ſed et calefaciunt. Pura Potentia eſt, quae non exit in Actum; ut *Calefactivum* reſpectu *Frigidae*; dicitur enim quidem *Calefactivum* de *Aqua* quae jam frigida eſt (poteſt enim calefacere, hoc ipſo quo calefieri poteſt), ſed *Calefaciens* de illa non dicitur. Potentia Abſoluta (cum ad Puram ac Impuram reſpicimus) eſt potentia ſive Pura ſive Impura. Potentia Pura tolli poteſt a ſuo Subjecto, poteſt et Impura; at Abſoluta Potentia non poteſt a Subjecto ſuo tolli. Sic *Calefactivum pure* tollitur ab aqua cum calefacit, *Calefactivum impure* ab ea tollitur cum refrixit, nec amplius calefacit; at *Calefactivum abſolute* non poteſt ab illa tolli; ſemper enim poteſt abſolute loquendo calefacere, ſive calefaciat ſive non, imo ſive exſiſtat ſive non; poteſt enim exſiſtere et incaleſcere, adeoque et calefacere. Potentia etiam alia Proxima, alia Remota. Remota eſt, quae non niſi praeviâ mutatione Subjecti reducitur in Actum; ſic *Calefactivum* eſt Potentia Remota in *Frigida*, quia non reducitur in Actum niſi mutato Subjecto, id eſt Aquâ e frigidâ in calidam verſâ. Potentia Proxima eſt quae ſine alia Subjecti ſui mutatione reducitur in Actum, ut *Calefactivum* reſpectu *Aquae fervidae*. Potentia Abſoluta (cum Proximam et Remotam reſpicimus) eſt Potentia ſive Proxima ſive Remota. Potentia Proxima tolli poteſt a ſuo Subjecto; ut *Ambulativum* ab aegro (quando ſcilicet pro Potentiâ Proximâ capitur *Ambulativum*); poteſt et Remota tolli a ſuo Subjecto; Abſoluta vero tolli non poteſt.

4. Ex dictis facile intelliguntur haec Axiomata: Impoſſibilis eſt Potentia, quae non poteſt reduci in Actum; quia Potentia non eſt aliud quam Poſſibiliter actus. Ut *Calefactivum* non eſt aliud quam *Poſſibiliter calefaciens*; ſi ergo quidpiam non poſſit calefacere (id eſt, non poſſit reduci in Actum iſtum *Calefaciens*), impoſſibile eſt ut ſit *Poſſibiliter calefaciens.* Fruſtra eſt Potentia, quae ſemper in Actum reducitur; id eſt, Fruſtra dicimus, *Poſſe eſſe*, quod ſemper et perpetuo *eſt.* V. g. inepte dicimus: *Aurum poteſt eſſe metallum*, quia Aurum perpetu oet ſimpliciter eſt metallum. Fruſtra eſt Potentia ad Potentiam; id eſt, Fruſtra ponitur Potentia terminata ad aliam Potentiam. Potentia enim (ſcilicet Abſoluta) ſemper et ſimpliciter eſt. Loco hujus Axiomatis, dicunt quidam: *Non datur Potentia ad Potentiam*; nimis temere; cum enim v. g. Petrus poſſit ambulare, ſequitur, quod poſſit poſſe ambulare, et ex hoc rurſum ſequitur, quod hoc poſſe poſſit, atque ita ſine fine; nec in iſto progreſſu in infinitum aliquid impoſſibile occurrit, ſed tantum aliquid inutile. Fruſtra eſt Potentia, quae nunquam reducitur in Actum; id eſt, Non praeſumitur Potentia, quando nullus Actus ejus comparet.

5. Potentia diſtinguitur in Poſitivam et Negativam. Poſitiva Potentia eſt vera Potentia, et jam ante definita. Negativa Potentia eſt non repugnans (ſcilicet quoad praedicationem). Talis Potentia eſt Praedicatum hujus: *Metallum poteſt eſſe aurum*; hoc enim ſic exponitur: *Metallum non repugnat quoad praedicationem cum auro.* Non autem ſenſus eſt, quod Metallum proprie poſſit eſſe aurum, quia impoſſibilis eſt Potentia quae non poteſt reduci in Actum; jam autem impoſſibile eſt, ut Metallum unquam ſit aurum; ſed tantum quoddam metallum eſt aurum, idque jugiter et in aeternum.

6. Subjectum Potentiae dicitur eſſe in Potentia; ſic *Aqua* eſt in Potentia calefaciendi, ſeu, ut loqui ſolent, in Potentia ad calefacere; et ſiquidem calida ſit, eſt in Potentia proximâ

ad calefaciendum, et ſi actu ac de facto calefaciat, eſt in Potentia impura ad calefaciendum. Si vero ſit frigida, eſt in Potentia remota, itemque in Potentia pura ad calefacere. *Animal* etiam eſt in Potentia poſitiva ad Sentiendum, ad Dolendum, ad Iraſcendum etc.; ſed eſt tantum in Potentia negativa ad eſſe hominem, vel ad eſſe brutum. *Animal* enim ſentire poteſt, dolere poteſt, iraſci poteſt; eſſe homo tantum hoc ſenſu poteſt, quod non repugnet cum *Homine*, et ſimili tantum ſenſu poteſt eſſe brutum; non vero aut homo eſſe poteſt aut brutum abſolute et proprie loquendo, quia nullum eſt in tota Aeternitate omnique tempore poſſibili momentum, quo hoc verum ſit: *Animal eſt homo*, aut hoc verum ſit: *Animal eſt brutum*; adeoque impoſſibilis ibi eſt quaecunque proprie dicta Potentia, utpote quae non poſſit reduci in Actum. Potentia tamen Negativa (id eſt non repugnare cum *Homine*, non repugnare cum *Bruto*) ſane eſt in *Animali*, ut magis patebit infra, ubi dicetur, quid ſit repugnare, Sect. 2. cap. 1.

Caput VII.

De quatuor Praedicatis.

1. Haec ſunt: Superius, Differentia, Proprietas, et Accidens. Logici quidem communiter enumerant quinque Praedicata, nempe Genus, Speciem, Differentiam etc. Sed nos duo priora, ſcilicet Genus et Speciem, comprehendimus ſub Superiori; diſcrimen autem quod inter Genus et Speciem intercedit, non videtur mihi Logicae conſiderationis; non video enim quid emolumenti ex ea diſtinctione redundet in Logicam; ideo ſatis eſſe duxi utrumque communi nomine complecti. Porro haec quatuor Praedicata comparantur ad Subjecta a ſe diſtincta, nam Subſtantivum cum de ſe ipſo affirmatur, nec Superius ſui, nec Differentia, nec Proprietas, nec Accidens eſt.

2. Quid ſit Forma, dixi cap. 5. Forma vero alia per ſe,

alia per accidens. Forma per accidens eſt Forma, ſed alterius Accidens; ut *Albus* reſpectu *Hominis albi*; eſt enim Forma *Hominis albi*, ſed Accidens alterius, v. g. *hujus chartae.* Forma per ſe eſt Forma et nullius Accidens; ut *Rationale* reſpectu *Hominis*; eſt enim Forma *Hominis*, at nullius Accidens; cujus enim non eſt Forma (ut v. g. non eſt Forma *Parietis* aut *Aquae*, etc.), de eo ne quidem Praedicatum eſt, ac per conſequens neque Accidens eſt. Sic etiam *Extenſum* eſt Forma per ſe reſpectu *Corporis;* ad quodcunque enim Subjectum comparetur *Extenſum*, aut eſt Forma iſtius Subjecti, aut non praedicatur de illo, et ſic nunquam poteſt eſſe Accidens. Conformiter dividuntur Subſtantiva Mixta, nempe in Mixta per ſe et Mixta per accidens. Subſtantivum per ſe Mixtum eſt, cujus Forma proxima eſt Forma per ſe, ut *Corpus*, *Homo*, *Lapis*, etc. Mixtum per accidens eſt, cujus Forma proxima eſt Forma per accidens; ut *Homo albus*, item *Globus*, quia Forma ejus proxima eſt *Solide rotundum*, quod eſt Accidens *iſtius Ligni* quod in globum efformatum eſt.

3. Forma-per-ſe vocatur *Differentia*: et ſic unum ex quatuor Praedicatis erutum videtur e latebris ſuis; ex cujus diſquiſitione videmus, eam non in Subjecto Puro (hoc enim non habet Formam), non in Subjecto Mixto-per-accidens (hoc enim Formam quidem habet, ſed non Formam-per ſe), ſed tantum in Subjecto-per-ſe-Mixto ſtabulari. Et quidem illam deſignare perfacile; deſignatur enim per Adjectivum *Certus*; ut cum dico: *Certus lapis*, putans *Silicem*, illud Adjectivum *Certus* deſignat Differentiam *Silicis*; et cum dico: *Certa arbor*, putans *Laurum*, illud Adjectivum deſignat Differentiam *Lauri*, et ſic porro. Ipſam vero Differentiam ſecundum ſe deprehendere ac in medium protrahere, perdifficile. Atque inde difficultas Definiendi; Differentia enim ingreditur Definitionem tamquam pars ejus praecipua; ex difficultate Definiendi difficultas ſciendi; ſcire enim eſt per Definitionem cognoſcere.

4. *Superius* eſt Materia, quae juncta cum Differentia conſtituit ſuum Subjectum. Sic *Ens* eſt Superius *Corporis*, quia junctum cum *Extenſo*, quod eſt Differentia, conſtituit *Ens extenſum*, quod idem eſt ac *Corpus*. At *Ens* non eſt Superius *Entis albi*, quia *Ens* non conſtituit illud Subjectum cum Differentiâ, ſed cum Formâ-per-accidens. Hinc etiam *Homo* non eſt Superius *Militis*, *Regis*, *Mercatoris*, *etc.*, quia *Homo* quidem in omnibus illis ſubjectis reperitur, tamquam Materia Logica eorum, ſed tamen non conſtituit iſta ſubjecta cum Differentiis ſeu Formis-per-ſe, ſed tantum cum Formis-per-accidens; *Mercari* enim et *Regere* et *Militare* ſunt Accidentia quorundam hominum, licet ſint Formae ſubjectorum praefatorum. Superiori correſpondet *Inferius*; et non eſt aliud quam ſubjectum Superioris ut ſic; id eſt, Compoſitum adaequate ex Superiori et Differentia comparatum ad ipſum Superius. Sic *Corpus* eſt Inferius *Entis*, *Homo Animalis*, etc. Superius dividitur in Genus eſt Speciem (ſcilicet Praedicabilem ſeu ſpecialiſſimam). *Genus* eſt Superius Superioris; ut *Ens*; eſt enim Superius *Corporis*, quod et ipſum Superius eſt *Metalli*. *Species* eſt Superius, nullius tamen Superioris; ut *Aurum*; eſt enim Superius *Hujus auri*, *Illius auri*, etc., inter quae nullum eſt Superius. Sed, ut dixi, haec Diviſio Superioris non video quid conferat in rem Logicam, ideoque obiter illam percurro.

5. Atque ita fuerunt duo Praedicata. Porro *Accidens* vel ſequitur ex eſſentia, vel non; atque ita etiam inventa ſunt duo reliqua Praedicata, Proprietas et Accidens ſtricte dictum. Proprietas eſt Accidens quod ſequitur ex eſſentia; tale eſt *Diviſibile*, item *Palpabile*, reſpectu *Corporis*; haec enim ſunt Praedicata de *Corpore* (Corpus enim eſt diviſibile et Corpus eſt palpabile), et ſequuntur ex eſſentia *Corporis*, nempe ex *Extenſo*, quod eſt Differentia *Corporis*; recte enim ſequitur: *Extenſum eſt*, *ergo Diviſibile eſt*, item: *Extenſum eſt*, *ergo Palpabile eſt.* Sed quin *Diviſibile* et *Palpabile* ſint Praedicata de *Corpore*,

quin item ſequantur ex Differentia *Corporis*, difficultatem non habet; difficultas eſt, quare ſint Accidentia *Corporis*, et cur non potius ſint eſſentiae ejus. Videntur enim eſſe in *Corpore*, ſaltem implicite, tam bene quam *Extenſum* ſit in *Corpore*. Reſpondeo et dico, *Corpus* eſſe quid anterius iſtis Praedicatis, et per conſequens iſta Praedicata non eſſe in *Corpore*, ſed ad *Corpus*. Prius eſt enim eſſe quam poſſe (quia nihil nihil poteſt); igitur prius eſt eſſe quam poſſe dividi, aut poſſe palpari. Atqui non ſufficit eſſe ens, ut dividi vel palpari poſſit (cum multa ſint entia, quae nec dividi nec palpari queant); debet ergo eſſe *Certum ens* (nempe *Ens extenſum*) ad hoc ut dividi vel palpari poſſit; ideoque illud *Certum ens*, (nempe *Ens Extenſum*, ſeu *Corpus*), prius eſt quam *Diviſibile* vel *Palpabile*; adeoque illa non ſunt in *Corpore* tamquam Subjecto; cum Praedicatum in Subjecto vel ſit ipſum Subjectum vel pars ejus. Subjectum nec ſe ipſo prius eſt, et multo minus ſua parte prius eſt.

6. Accidens ſtricte dictum eſt Accidens quod non ſequitur ex eſſentia ſui Subjecti; ut *Rex* reſpectu *Caroli*. Tota enim eſſentia *Caroli* eſt *Homo hic*, ubi *Homo* Materia et Superius, *Hic* vero Forma et Differentia. Atque ex tota iſta *Caroli* Eſſentia non ſequitur ullatenus, quod rex ſit; *Carolus* enim *eſt hic homo*, *ergo Carolus eſt rex*, nulla conſequentia; ſicut et hae Conſequentiae nullae ſunt: *Eſt homo hic*, *ergo exſiſtit*, *ergo fuit exſul*, *ergo uxorem ducet*, *etc.* Igitur *Proprietas* paſſim dicitur dimanare ex eſſentia Subjecti (id eſt, inde ſequi), Accidens vero ſtricte dictum non dimanat ex Eſſentia ſubjecti.

Caput VIII.

Conſiderationes circa haec Praedicata.

1. Diſcrimen inter Accidens ſtricte dictum et reliqua tria Praedicata eſt, quod Accidens ſtricte dictum affirmetur in tempore, Tria reliqua Praedicata affirmentur extra tempus, et

in Aeternitate. Hinc et propoſitiones aeternae veritatis dicuntur, in quibus tria prima Praedicata dicuntur de ſuis ſubjectis. Affirmari in Tempore eſt affirmari cum Adverbio Temporis praeſentis, futuri, praeteriti, vel mixti, expreſſe vel implicite adhaerente Copulae; ut: *Carolus eſt rex* (id eſt, *Carolus Nunc eſt rex*), *Carolus fuit exſul* (id eſt *Tunc*, deſignando tempus praeteritum, *eſt exſul*), *Carolus uxorem ducet* (id eſt *Tunc uxorem ducit*, deſignando tempus futurum), *Carolus ſaepe conſultat* (ubi Adverbium *Saepe* importat tempus mixtum ex *nunc et tunc*). Affirmari extra tempus ſeu in aeternitate, eſt affirmari ſine Adverbio temporis expreſſe vel implicite cohaerente Copulae; ut *Corpus eſt ens*, *Corpus eſt extenſum*, *Corpus eſt diviſibile*, non nunc, non tunc, non heri, non olim, non nuper, non ſaepe, non raro, ſed ſimpliciter. Ita ut *Eſt* in praedictis Affirmationibus nihil aliud agat quam Notam Affirmandi.

2. Porro Accidens ſtricte dictum non tantum affirmatur in tempore, ſed extra tempus ſeu in aeternitate nequit affirmari. Si enim dixeris: *Carolus eſt rex*, atque dictionem *Eſt* abſolveris a tempore (ut loquuntur Logici), id eſt, ita intelligas illam dictionem, ut ſit mera Nota Affirmandi, nullum ſibi expreſſe vel implicite Adverbium temporis adſciſcens, falſa erit iſta Propoſitio; quandoquidem Carolus, praeveniendo tempus, non ſit rex, ſed indifferens ad regiam et aliam quamcunque conditionem; ſicut Metallum non eſt aurum, ſed indifferens ad aurum et quodvis aliud metallum.

3. Ex quo et illud ſequitur, quod vulgo valde Paradoxum videbitur, Accidens ſtricte dictum non eſſe verum Praedicatum; non enim affirmatur ſine addito vel ſubintellecto ad Copulam, cum tamen irrefragabilis Regula cap. 2. allegata requirat Affirmationem ſine addito, ſine ſubaudito veram ſe praeſtare, in qua verum Praedicatum de vero ſubjecto dicatur. Tria igitur tantum erunt Praedicata, nam quartum hoc tantum eſt analogum Praedicatum.

4. Secunda Confideratio. Proprietas aliquando fumitur pro Affirmatione, in qua Proprietas dicitur de fuo Subjecto. Sic v. g. non tantum dicimus, *Divifibile* effe Proprietatem *Corporis*, fed hanc integram Propofitionem *Corpus eft divifibile* vocamus Proprietatem *Corporis*. Unde diftinctionis caufa Proprietatem Applicantem et Applicatam dicemus, vocantes quidem Propofitionem, in qua Proprietas de Subjecto fuo dicitur, Proprietatem Applicantem; Praedicatum vero iftius Propofitionis, Proprietatem Applicatam. Ex quo etiam intelligitur illud Axioma Philofophorum: Sublatis Proprietatibus tollitur effentia: ubi *Sublatis* idem eft quod *Negatis*, et *Proprietas* fumitur pro *Applicante*; et jam Ratio Axiomatis redditur, quia, cum ex Effentia fequatur Proprietas (per definit. Propriet.), ex Contradictoriâ Proprietatis (quae eft Proprietas negata) fequetur Contradictoria effentiae; juxta 1. Axi. 4. Quadr. par. 2. fec. 2. cap. 11. n. 2. Sic v. g., quia recte fequitur: *Extenfum eft*, *ergo divifibile eft*, hinc etiam fequi debet: *Non eft divifibile*, *ergo non eft extenfum.* Ex his patet, quod non tantum Proprietas diftingui poffit in Applicantem et Applicatam, fed etiam Effentia, imo et reliqua tria Praedicata; non eft tamen in illis tam ufitata ifta diftinctio ficut bene in Proprietate.

5. Proprietas Applicans aliquando videtur etiam Negatio effe; fed tunc Praedicatum in ea non cenfetur Proprietas Applicata, fed Praedicatum fumptum cum Adverbio negandi *Non* cenfetur eo cafu effe Proprietas Applicata; quamvis illud Adverbium non fpectet ad Praedicatum proprie loquendo, fed ad Copulam. V. g. haec eft Proprietas *Corporis: Corpus non penetratur ab alio Corpore*; ubi Proprietas Applicata eft *Impenetrabile* (fcilicet ab alio corpore). Unde etiam Proprietas dividi folet in Pofitivam et Negativam; et quidem omnes Negationes, quae ex Effentia alicujus verae Rei fequuntur, funt iftius Rei Proprietates; funt enim omnes iftae pofteriores ipfa re, cum prius fit unumquodque effe hoc quod eft, quam non effe aliud quidpiam. Atque adeo non funt in Sub-

jecto, utpote quod praeceſſit antequam ipſae adveniant, adeoque cum ſuo modo dicantur de Subjecto, neceſſum eſt ut ſint ad Subjectum, adeoque ſint Accidentia, et, cum ſequantur ex eſſentia, Proprietates. Pari Ratione colligimus, omnes Potentias, quae de Subjecto aliquo dicuntur, eſſe Proprietates iſtius Subjecti; prius enim eſt unumquodque eſſe quod eſt, quam poſſe aliquid aliud. Et quidem omnes univerſim Potentiae ſunt Proprietates ſuorum Subjectorum; cum enim ſint ſemper poſteriores ſuis Subjectis, ſemper etiam dimanant ex eſſentia ſuorum Subjectorum. Sed non univerſim omnes Negationes ſunt Proprietates ſuorum ſubjectorum; quia etiamſi ſemper ſint poſteriores ſuis Subjectis, non tamen ſemper profluunt ex eorum eſſentia; ut *Non ſtans*, etiamſi ſit poſterius *Petro*, de quo affirmatur, non tamen ſequitur ex eſſentia *Petri.*

6. Tertia Conſideratio. Differentia eſt communis fons et origo Proprietatum. Proprietates enim famoſe comparantur ad illud Subjectum, ex cujus Differentiâ profluunt; v. g. *Diviſibile*, *Mobile*, *Impenetrabile*, *Palpabile* dicuntur Proprietates *Corporis*, quia profluunt ex Differentiâ proximâ *Corporis*, nempe ex *Extenſo*; hae autem non ita famoſe dicuntur Proprietates *Metalli*, aut *Lapidis*, aut *Ligni*, *etc.*, ſed potius dicuntur Proprietates Superioris eorum, quia nempe non ex horum Differentiâ Proximâ, ſed ex Differentiâ Proximâ *Corporis*, quod Superius et Genus eorum eſt, dimanant. Similiter *Cogitabile* non tam apte dicitur Proprietas *Corporis*, quam *Entis*, ideo nempe quia non profluit ex Differentia *Corporis*, ſed ex Supetiori ejus, nempe ex *Ente*; Corpus enim non praeciſe quia extenſum eſt, ſed quia Ens ſeu aliquid eſt, cogitari poteſt. Ex quo vides, Fontes Proprietatem non tantum eſſe Differentias, ſed etiam *Ens.* Communes tamen et ordinarii Fontes ſunt Differentiae; Differentiae enim multae, imo infinitae ſunt, *Ens* autem unicum eſt, ex quo paucae et uniformes Proprietates dimanant; cum ex Differentiis innumerae et maxime diſcrepantes ſcaturiant. Proprietas ſubinde etiam pro-

fluit ex alia Proprietate; v. g. in *Corpore* ex *Impenetrabili* profluit *Reſtitivum* (reſiſtat enim neceſſum eſt Corpori verſus ſe moto, quod a Corpore iſto penetrari non poteſt), et ex *Reſtitivo* ulterius profluit *Palpabile* (cum enim in id quod reſiſtit manus noſtrae fuerint impactae, palpabitur). Proprietas tamen eo caſu non poteſt dici Fons Proprietatis ex ſe derivatae, ſed Rivulus, unde alius quiſpiam Rivus deducitur; illa enim Proprietas adhuc dimanat aliunde, nempe ex Differentia vel *Ente*; *Ens* autem et Differentia ſunt Fontes, quia ex ipſis quidem dimanant Proprietates, ipſa vero non dimanant aliunde. Quod de *Ente* quidem omnimode verum eſt; *Ens* enim non ſequitur ex ullo priori, ſed ſimpliciter Primum eſt; Differentiae vero potentialiter quidem ſequuntur ex *Ente* (adeoque ſunt etiam Potentiales quaedam Proprietates *Entis*), ſed actualiter non ſequuntur ex *Ente.* Ens enim v. g. poteſt eſſe extenſum, poteſt cogitare, ſed actu nec extenſum eſt nec cogitat; unde et *Poſſe eſſe Extenſum*, ſeu *Non repugnare eſſe Extenſum*, et *Poſſe Cogitare*, ſeu *Non repugnare Cogitare*, ſunt Proprietates Negativae *Entis.*

7. Quarta Conſideratio. Superius et Differentia inſerviunt Definitionibus, et ratione Inferioris etiam Diviſionibus et exemplis. Proprietates inſerviunt Rationibus. Accidens vero eſt extra Logicam et ſpectat ad vulgare commercium. Haec melius videbis infra parte 4.

Caput IX.

De Speciebus Proprietatum.

1. Quia Proprietates inſerviunt Rationi, quae eſt praecipuum Inſtrumentum ſciendi, hinc operae pretium erit, in Species earum aliquanto diligentius indagare. Prima igitur ſpecies Proprietatis, eaque facillima, et quae nullo negotio ex Rei cujusque Eſſentia dimanare comperitur, eſt Proprietas Negativa; datâ enim re aliquâ, ſunt infinitae Proprietates Negativae (nempe

infinitae Negationes aliarum rerum) quae ex re iſta ſuo modo profluunt. V. g. propoſito *Lapide*, ſequuntur ipſum iſtae Negationes: *Non eſt metallum*, *Non eſt arbor*, *Non eſt homo*, *etc.* Et quidem hujuſce generis Proprietates non ſolemus proponere in Diſciplinis; ſatis enim ex ſe ſolent eſſe manifeſtae; ſubinde tamen peculiare aliquid continet Proprietas Negativa, cui ſenſus refragari videntur, aut ipſa Proprietas Negativa Seminarium eſt Proprietatum Poſitivarum; atque talis Proprietas Negativa etiam in Diſciplinis proponitur. Qualis eſt iſta Proprietas in Phyſica: *Corpus eſt impenetrabile ab alio corpore*; videtur enim ſenſus contradicere, cum juſculum pani, et aquam ſpongiae ac cineribus inſinuari videamus; atque inſuper iſta Proprietas eſt ſeminarium hujus Proprietatis Poſitivae: *Corpus eſt palpabile.*

2. Secunda Species Proprietatis eſt Potentia, ſcilicet Abſoluta (nam Potentia Pura, item Impura, Proxima, item Remota, ſolent eſſe Accidentia ſtricte dicta ſuorum Subjectorum). Potentia enim ſemper profluit ex Eſſentia ſui Subjecti, atque illo poſterior eſt, cum prius ſit Eſſe quam Poſſe. In eo convenit Potentia cum Proprietate Negativa, quod ambae Modum aliquem a Copula praecedente mutuentur; Proprietas enim Negativa mutuatur a Copula Modum ſeu Adverbium *Non*; Potentia vero mutuatur a Copula Modum *Poſſibiliter.*

3. Tertia Species Proprietatis eſt Analogia, Proportio, Similitudo. Cujuſque enim Rei Eſſentiam infinitae Proprietates analogicae, Proportiones, et Similitudînes conſequuntur; ſic *Evertens Affirmationem* aut *Expungens Affirmationem* eſt Proprietas Analogica Negationis; Eſſentia enim Negationis infert aliquam Similitudinem ſeu Proportionem, penes quam dicere poſſumus, quod evertat Affirmationem, ſicut procella evertit navim, proportionate loquendo, aut expungat Affirmationem, ſicut ſpongia notas cretâ vel carbone deformatas expungit. Sic etiam *Praedicatum dare* ſeu *tribuere Subjecto* eſt Proprietas Analogica *Affirmationis*; habet enim ſe Affirmatio inſtar dantis,

et Praedicatum ſuo Subjecto largiri videtur; nam ſi dixeris: *Petrus eſt doctus*, *Doctum* ſeu Doctrinam quodammodo largitur *Petro* iſta tua Affirmatio. Sic etiam *Removere Praedicatum a Subjecto* eſt Proprietas Analogica *Negationis*, et *Continere Subjectum* eſt Proprietas Praedicati, etc. Has eſſe Proprietates convincitur facile, quia ſequuntur ex Eſſentia Subjecti, ut per ſe patet, atque ſunt ipſo poſteriores. Prius enim eſt eſſe, quam alteri alicui ſimile vel proportionatum eſſe; et licet harum Proprietatum ratio detur per Eſſentiam Subjecti, difficulter tamen ut-plurimum illa ratio protrahitur ad ſermonem; ex quo factum, ut multis hae Proprietates ipſiſſimae Eſſentiae videantur. Sed clarum eſt, eſſe duntaxat Proprietates; cum enim tantum Proportionem aliquam aut Similitudinem ſui Subjecti dicant, neceſſum eſt Subjectum ante ipſas eſſe; prius enim eſt eſſe quam alteri ſimile eſſe. Videtur etiam tertiae ſpeciei Proprietas Modum aliquem mutuari a Copula, ſcilicet Adverbium *Veluti* aut *Quaſi*, quod ſubinde quidem verbotenus ſubticetur, ſed tamen ſenſu ſemper ſubauditur; ſic dicas: *Negatio velut evertit Affirmationem*, *quaſi expungit Affirmationem*, *Affirmatio quaſi largitur Praedicatum ſuum ſuo Subjecto*, *etc.*

4. Quarta Species Proprietatis eſt Relatio, Reſpectus, Habitudo ad aliud quidpiam, quae ex Subjecti Eſſentia dimanat. Sic *De aliquo* eſt Proprietas relativa *Affirmationis*; Affirmatio enim eſt de aliquo. Ibi *De aliquo* habet vim Adjectivi. Sic etiam *Alicujus* eſt Proprietas Reſpectiva *Affirmationis*; ſiquidem Affirmatio eſt alicujus. Ibi ordo ac habitudo ad Praedicatum importatur, ſicut in praecedenti Proprietate importabatur habitudo ad Subjectum. Atque etiam hanc Speciem ſpectare ad Proprietates, facile probatur; quia prius eſt eſſe, quam ad alterum comparari ſeu alterum reſpicere; adeoque Relatio ſeu Praedicatum Relativum poſterius eſt ſuo Subjecto. Si jam Praedicatum hoc ex Eſſentiâ ſui Subjecti ſequatur, habebit omnia requiſita ad Proprietatem.

5. Atque hae ſunt quatuor Species Proprietatum per ſe. Licet enim quandoque fiant Formae, quando nempe comparantur ad Compoſita ex ſe et ſuo Subjecto, ſemper tamen comparari poſſunt ad Subjectum, in quo non ſunt, ſed quo poſteriores ſunt; ut circa ſingulas Species demonſtratum eſt. Subinde vero praeter haſce quatuor Species quaedam aliae ſunt Proprietates, ſed non ita per ſe, at quodammodo per accidens; ſic v. g. *Aequangulum* eſt proprietas, dimanans ex Differentia *Trianguli Aequilateri*, nempe ex *Aequilatero*, ſed et *Aequilaterum* eſt Proprietas dimanans ex Differentia *Trianguli Aequanguli*, et proprietas *Trianguli* eſt *Tres angulos duobus rectis aequipollere*, etc. Quae ac ſimiles proprietates non ſpectant ad ullum genus ex quatuor recenſitis.

SECTIO II.

De Affectionibus Terminorum.

Quatuor occurrunt Affectiones conſiderandae in Terminis, quarum ſingulae conſtant combinatione duarum: 1. Concordia et Diſcordia Terminorum, 2. Acceptio et Suppoſitio Terminorum, 3. Homonymia et Synonymia Terminorum, 4. Ordo et Diſſolutio Terminorum. Harum quaedam ſpectant ad Affectiones Logicas Argumentorum, de quibus infra, ſed non omnes.

Caput I.

De Concordiâ et Diſcordiâ Terminorum.

1. Terminus Concors eſt, qui habet Subjectum commune cum alio Termino, ad quem comparatur, ſeu tale Subjectum, de quo uterque eorum affirmari poteſt. Sic *Brutum* concordat cum *Bipede*; datur enim Subjectum utrique commune, nempe

Avis, de ea quippe et *Brutum* affirmatur et *Bipes*. Termini autem dicuntur concordare in Subjecto communi, ut *Brutum* et *Bipes* in *Ave*. Terminus Discors est, qui habet Subjectum sibi proprium, id est, tale Subjectum de quo ipse affirmatur, alius vero Terminus, ad quem comparatur, non affirmatur. Sic *Brutum* etiam discordat a *Bipede*, quia *Brutum* affirmatur de *Bove*, de quo non affirmatur *Bipes*. Terminus antem dicitur discordare ab alio Termino in Subjecto sibi proprio, ut *Brutum* discordat a *Bipede* in *Bove*.

2. Concordia Terminorum est mutua; id est, cum unus Terminus concordat cum alio Termino, tunc etiam alius concordat cum priori; unus enim non concordat cum alio, nisi affirmetur de aliquo, de quo et alter affirmatur; proinde hoc ipso alter etiam affirmatur de aliquo, de quo prior affirmatur, adeoque alter etiam concordat cum priori. Discordia vero Terminorum non debet esse mutua; potest enim fieri ut hic Terminus affirmetur de aliquo, de quo non affirmatur ille Terminus, sic tamen ut ille non possit affirmari de quoquam, quin de eodem affirmetur prior. Sic. v. g. *Brutum* discordat a *Bove* (potest enim affirmari de *Cane*, de quo affirmari non potest *Bos*), at *Bos* non discordat a *Bruto*; hic siquidem de nullo potest affirmari, de quo non possit affirmari *Brutum*. Atque inde fit, ut termini inter quos unus est Concors, absolute Concordes sint; sed Termini inter quos unus est Discors, non semper absolute Discordes sunt, ut patet in illis Terminis: *Bos*, *Brutum*.

3. His positis exsurgunt quatuor Combinationes Terminorum: Repugnantes, Convertibiles, Subalterni, et Disparati. Termini Repugnantes sunt, qui non concordant; ut *Brutum*, *Homo*, nullum enim utrique commune Subjectum est; quamvis bene detur Praedicatum utrique commune, v. g. *Animal*, item *Ens*, etc. Termini Convertibiles sunt, quorum neuter discordat ab altero, ut *Homo*, *Animal rationale*; neuter enim dicitur de

aliquo, quin de eodem dicatur alter. Termini Diſparati ſunt, qui concordant et diſcordant; ut *Brutum*, *Bipes*, concordant enim in *Ave*, et *Brutum* diſcordat a *Bipede* in *Bove*, et *Bipes* diſcordat a *Bruto* in *Homine.* Termini Subalterni ſunt, quorum unus tantum diſcordat ab altero, ut *Brutum*, *Bos*; quia *Brutum* diſcordat a *Bove*, ſed *Bos* non diſcordat a *Bruto.* Inter Terminos Subalternos ille dicitur Subalternans, qui diſcordat, ille Subalternatus, qui non diſcordat; v. g. inter hoſce Subalternos: *Brutum*, *Bos*, prior Subalternat, et poſterior Subalternatur.

4. Neceſſum autem eſt, quamlibet duorum Terminorum combinationem ſpectare ad unam ex quatuor recenſitis; ſumptis enim quibuſcunque duobus Terminis, vel concordant illi vel non concordant (quidlibet enim eſt vel non eſt). Si non concordant, ſunt Repugnantes (per definit. Repug.). Si autem concordant, ergo vel unus inſuper diſcordat ab altero, vel neuter diſcordat ab altero; ſi neuter diſcordat ab altero, ſunt Convertibiles (per defin. Convert.). Si vero concordent et unus ab altero diſcordet, ergo vel unus tantum diſcordat, vel uterque ab altero diſcordat; ſi prius fiat, ſunt Subalterni, ſi poſterius fiat, ſunt Diſparati. Quicunque autem Terminus Comparatione factâ ad alium quemcunque Terminorum, uno ex quinque modis ſe habet ad illum: nempe vel Repugnat illi vel Convertitur cum illo, vel Diſparatur cum illo, vel Subalternatur illi, vel Subalternat ſibi illum. Quia Terminus comparatus ad alium quemcunque Terminum, facit Combinationem incidentem in unam ex quatuor Combinationibus recenſitis. Si incidat in Combinationem Repugnantium, Convertibilium, aut Diſparatorum, neceſſum eſt, ut cum altero illo Termino Repugnet, Convertatur, aut Diſparetur. Si vero incidat in Combinationem Subalternorum, aut Subalternabit ibidem, aut Subalternabitur.

Caput II.

De Legibus Concordiae ac Discordiae.

1. Prima Lex: Subjectum et Praedicatum concordant. Demonstratur, quia Subjectum de se ipso dicitur (omne enim Substantivum de se ipso affirmari potest), et Praedicatum dicitur de Subjecto; ergo Subjectum et Praedicatum dicuntur de eodem, nempe de ipso Subjecto; adeoque concordant Subjectum et Praedicatum. Quod erat demonstrandum.

2. Secunda Lex: Termini Repugnantes non possunt se habere sicut Subjectum et Praedicatum. Demonstratur, quia Termini Repugnantes non concordant (per definit. Repug.); concordarent autem si se haberent sicut Subjectum et Praedicatum (juxta 1. leg.); igitur Termini Repugnantes non habent se etc. Quod erat demonstrandum. Oportet autem in hisce Legibus intelligere Subjectum et Praedicatum per dignitatem, ut famose solent intelligi.

3. Tertia Lex: Terminus, qui discordat ab alio Termino, semper habet Subjectum Repugnans cum alio illo Termino. Demonstratur. Terminus A discordet a Termino B; dico, Terminum A habere Subjectum repugnans cum Termino B. Si enim nullum Subjectum A repugnet cum B, ergo A quoad omnia sua Subjecta concordat cum B (si enim esset unum, secundum quod non concordaret, secundum illud repugnaret, juxta defin. Repug.). Atque A ultra omnia sua Subjecta nihil continet; ergo A secundum se totum concordat cum B; adeoque convertitur cum vel subalternatur illi B, adeoque non discordat a B; quod est contra suppositum, supponebatur enim, quod A discordaret a B. Igitur A habet Subjectum aliquod Repugnans cum B. Quod erat demonstrandum.

4. Hinc proprie loquendo non dicimus, Terminum discordare ab alio Termino, nisi in illo Subjecto, quod repugnat cum

alio Termino. Sic v. g. *Animal* diſcordat ab *Homine*, in *Bruto*, *Bove*, *Cane*, *etc.*, non autem proprie in *Bipede*; licet enim *Animal* dicatur de *Bipede*, et *Homo* non dicatur de *Bipede*, tamen *Bipes* non eſt Subjectum Repugnans cum *Homine*, ſed Subalternans. Similiter *Animal* diſcordat a *Bove* in *Homine*, *Cane*, *Equo*, *etc.*, non autem in *Bruto*, proprie loquendo, etc.

5. Quarta Lex: Terminus qui diſcordat ab alio Termino, non ſubjicitur illi. Demonſtro. Sint Termini A, B, et A diſcordet a B; dico quod A non ſubjiciatur ipſi B. A enim habet Subjectum Repugnans cum B (juxta leg. 3.), v. g. C; igitur ſi A ſubjiciatur ipſi B, jam B affirmabitur de C (quia, de quo affirmatur Subjectum, de eodem etiam affirmatur Praedicatum *ſect.* 1. *c.* 3. *n.* 4.); quod eſt abſurdum (juxta leg. 2.), C enim repugnat cum B. Igitur A non Subjicietur ipſi B; quod erat demonſtr.

6. Quinta Lex: Termini Diſparati non poſſunt ſe habere ut Subjectum et Praedicatum. Demonſtr. Quia uterque Diſparatorum diſcordat ab altero (per definit. Diſparat.), ergo ſi Diſparata haberent ſe ut Subjectum et Praedicatum, neceſſum eſſet Subjectum diſcordare a Praedicato, quod eſt contra 4. Legem. Eſt hoc Corollarium 4. Legis.

7. Sexta Lex: Terminus Subalternans non ſubjicitur Subalternato. Ratio eſt: quia Terminus Subalternans diſcordat a Subalternato (per defin. Subalternantis), ergo non poteſt Subalternato Subjici (per 4. Leg.); quod erat demonſtrandum.

8. Septima Lex: Subjectum debet ſubalternari Praedicato, vel converti cum illo. Ratio eſt: quia Subjectum non poteſt ſibi ſubalternare Praedicatum (per 6. Leg.), non poteſt diſparari cum Praedicato (juxta 5. Leg.), non poteſt repugnare cum Praedicato (juxta 2. Leg.), reſtat igitur ut Subjectum ſubalternetur Praedicato vel convertatur cum illo; quia tantum aliquo ex quinque modis poteſt ſe habere unus Terminus ad alium Terminum, ut demonſtr. cap. praeced. n. 4.

9. Octava Lex: Terminus qui convertitur vel ſubalternatur alii Termino, etiam alii iſti Termino ſubjicitur, modo ſcilicet prior iſte Terminus ſit Subſtantivum, aut ſi ſit Adjectivum, Subſtantivetur. Ratio Legis eſt: quia Terminus Convertibilis continet omnia Subjecta ſui Convertibilis, adeoque et ipſum Convertibilem Terminum; ſimiliter et Subalternans continet omnia Subjecta Subalternati, adeoque et ipſum Subalternatum continet quoad Affirmationem, et ſic etiam de ipſo, modo ad naturam Subjecti ſatis paratus ſit, affirmari poteſt; ſect. 1. cap. 2. n. 8.

10. Nona Lex: Terminus Convertibilis idem eſt quodammodo cum ſuo Convertibili. Continent enim ſe mutuo quoad omnia Subjecta; unde nihil eſt in uno Convertibilium, quod non ſit in altero, nec contra. Hinc ſequitur, quod Terminus Convertibilis cum Termino Repugnante etiam repugnet, cum Diſparato etiam diſparetur; ut ſi A, B ſint duo termini inter ſe repugnantes, C autem convertatur cum A, eo caſu etiam C, B repugnabunt: et ſi A, B ſint termini diſparati, C vero ſimiliter convertatur cum A, erunt etiam C, B termini diſparati, et ſic porro.

11. Decima Lex: Terminus Subalternans ſemper habet duo Subjecta inter ſeſe repugnantia. Demonſtr. Sit Terminus Subalternans quicunque, v. g. A, oportet ut is Subalternatum habeat (quia juxta definit. Subalterni non datur Subalternans ſine Subalternato). Sit igitur B Terminus Subalternatus ipſi A; erit igitur B Subjectum ipſius A (per 8. Leg.); ſed et A diſcordat a B (per definit. Subalternantis); igitur A habet Subjectum repugnans cum B (per 3. Leg.), v. g. C; igitur A habet Subjecta inter ſe repugnantia, nempe B, C; quod erat demonſtrandum.

12. Undecima Lex: Subjecta Repugnantia alicujus Termini neceſſario Subalternantur iſti Termino. Demonſtr. Sint Termini A, B inter ſe repugnantes, iidemque Subjiciantur ſinguli Ter-

mino C; dico, tam A quam B Subalternari ipſi C. Cum enim ſint Subjecta Termini C, ergo vel ſubalternantur ipſi C, vel convertuntur cum C, vel unum eorum convertitur et alterum ſubalternatur (per 7. leg.). Non poſſunt converti cum C, quia ſic etiam A, B converterentur; ſi enim A convertatur cum C, ergo A eſt idem Terminus cum C (per 9. leg.); ſed C convertitur cum B ex ſuppoſito, ergo A, idem cum C, etiam convertitur cum B, quod eſt abſurdum; ſupponebatur enim quod A, B repugnarent, igitur A, B non poſſunt converti cum C. Dico, quod non poſſit etiam unum eorum converti cum C et alterum ſubalternari cum C; quia, ſi v. g. A convertatur cum C, A erit idem Terminus cum C (per 9. leg.). Sed B ſubalternatur ipſi C (ex ſuppoſito), ergo etiam B ſubalternabitur ipſi A, quod eſt abſurdum, cum A, B repugnent: igitur A non convertitur cum C, B ſubalternato ipſius C. Eodem modo demonſtratur, quod B non poſſit converti cnm C, A ſubalternato ipſius C. Igitur reſtat ut A, B ambo ſubalternentur ipſi C; quod erat demonſtr.

Caput III.

De Toto et Parte.

1. Totum eſt plura ſimul ſumpta; Pars eſt unum ex pluribus ſimul ſumptis. Sic *Arbor* eſt totum, quia eſt radix, truncus et rami ſimul ſumpta; *Radix* autem eſt pars, quia eſt unum ex iſtis pluribus. Solet autem Pars ad Totum comparari; ut *Radix pars arboris eſſe* dicitur. Totum etiam ad Partem comparatur, ſed non tam expedite; unde *Arbor eſt totum radicis* duriuſculum eſt, et tantum circumlocutione aliquâ remolleſcit, hoc modo: *Arbor eſt totum comparatione factâ ad radicem ſuam.* Ex quibus etiam vides, Totum et Partem non eſſe in rerum natura, ſed fieri ea per operationem noſtrae Mentis, dum ſimul ſumit. Plura, inquam, ſunt in rerum natura et unumquodque iſtorum plurium; ſed nec hoc rationem Partis, nec illa rationem Totius

indipiſcentur, niſi accedat a Mente noſtrâ ſimul-ſumptio iſtorum plurium. Totum autem pro Termino aliquo capere, qui ſit plura ſimul ſumpta, opportunum eſt in Logica; ſimiliter et Pars pro Termino aliquo capi poterit.

2. Quia Totum eſt plura, hinc numeranda veniunt iſta plura. Poſſunt autem dupliciter enumerari: Copulative, nempe per *Et*, et Diſjunctive, nempe per *Vel.* Unde Totum etiam duplex eſt, Actuale et Potentiale. Totum Actuale eſt Totum copulatum, id eſt, plura ſimul ſumpta cum intercedente particulâ *Et;* ut *Arbor*, quatenus eſt *radix*, *trumcus et rami.* Totum Potentiale eſt Totum diſjunctum, id eſt, plura ſimul ſumpta cum intercedente particulâ *Vel*; ut *Arbor*, quatenus eſt *Laurus vel Quercus vel Ceraſus*, *etc.* Totum actuale uno nomine vocatur *Compoſitum*, diciturque ex Partibus ſuis componi; ſic *Arbor* dicitur componi ex ramis, radice, et caudice. Totum autem Potentiale non dicitur ex ſuis Partibus componi, ſed eas ſub ſe comprehendere cenſetur; ſic *Arbor* non dicitur componi ex Quercu, Tiliâ, Fraxino, etc. ſed *Arborem* dicimus Laurum, Quercum, Tiliam, etc. ſub ſe comprehendere. Atque hinc etiam Partes Totius Potentiales dicuntur Partes Subjectivae.

3. Compoſitum dividitur in Eſſentiale et Integrale. Eſſentiale eſt, in quo partes habent ſe ut Materia et Forma; ut *Homo albus*, et generatim omnia Subſtantiva Mixta, quatenus ex ſuâ materiâ et formâ componuntur. Compoſitum Integrale eſt, in quo partes habent ſe non ut materia et forma; ut *Arbor*, quatenus componitur ex ramis, trunco, et radice, item *Menſa*, quatenus componitur ex aſſeribus et palis; horum enim nihil aut materia eſt aut forma Compoſiti, cum nihil horum affirmetur ſeorſim de Compoſito, nam nec Arbor eſt ramus aut radix, etc. nec Menſa eſt aſſer aut palus, etc. Debent autem Forma et Materia de compoſito ſeorſim affirmari, cum ſint Praedicata de ipſo, ut patet Sect. 1. cap. 5. Sed dices: *Aes* eſt materia *Statuae*, et *Certa figura* eſt ejus forma; et tamen

nihil horum affirmatur de *Statuâ.* Reſpond. Sic paſſim loquuntur; at exiſtimo abuſum eſſe in phraſi, et Tropus ſubolet mihi, qui Subſtantivum in locum Adjectivi ſuffecerit. Nam, ut Aes certae ſtatuae materiam eſſe concedam (dicendo nempe, Statuam illam non eſſe aliud quam Aes certo modo figuratum), tamen *Certa illa figura* non poteſt dici ejus forma, ſi proprie loquendum ſit; ſed *Certo modo figuratum* aut Forma ejus eſt, aut illam deſignat. Frequens autem eſt iſte Tropus, qui Subſtantivum Adjectivi vicarium facit. Conſule Rhetores, confer et iſta hodie trita: *Tua Dominatio*, *Tua Reverentia*, *Celſitudo*, *Majeſtas*, *etc.*; ſubſtantiva vides loco Adjectivorum. Ut ut eſt, certe Materia et Forma non debent cenſeri Logicae conſiderationis, niſi affirmentur de Compoſito; in Logicam enim nihil recipi debet, quod non ex iſtâ radice, Affirmatione, pullulet.

4. Igitur Compoſitum Logicum, ſeu quod Logicae conſiderationis eſt, dividitur in Compoſitum-per-ſe, et Compoſitum-per-accidens; quae coincidunt cum Mixtis-per-ſe et per accidens, de quibus Sect. 1. cap. 7. n. 2. Totum Potentiale etiam dividitur in per-ſe et per-accidens. Totum Potentiale-per-ſe eſt totum potentiale, cujus partes ſubjectivae ſunt inferiora ejuſdem; ut *Metallum* reſpectu *Auri*, *Argenti*, *etc.*, item *Arbor* reſpectu *Quercus*, *Tiliae*, *etc.* Totum Potentiale-per-accidens eſt totum potentiale comparatum ad partes ſuas Subjectivas, quae non ſunt inferiora ſua, ſed compoſita ex ſe et diverſis formis-per-accidens: ut *Homo* reſpectu *Militis*, *Mercatoris*, *Nautae*, *etc.*

5. Totum Potentiale affirmatur de qualibet ſua parte. Continet enim ſuas partes ſubjectivas penes affirmationem ſeu diſjunctive, adeoque de qualibet earum affirmatur, juxta ea quae demonſtrata ſunt Sect. 1. cap. 2. n. 7. et 8. Unde ſi partes Subjectivae repugnent, Totum Potentiale erit etiam Subalternans earum; ut patet ex Demonſtratione ultimâ praeced. cap. Atque illud magis uſitatum eſt totum Potentiale; ſolemus enim ipſum comparare ad Partes Subjectivas repu-

gnantes. Sed et omne Subalternans comparatum ad plura ſua Subjecta Subalternata (ad quae ſemper comparari poſſe demonſtratur cap. praeced. n. 11.) eſt etiam Totum Potentiale reſpectu illorum; cum enim illa ſint Subjecta ejus, ergo continentur in illo diſjunctive, ut demonſtr. Sect. 1. cap. 2. n. 7. et 8., et ſic Subalternans eſt illa plura Subalternata intercedente particulâ *Vel*; adeoque Subalternans eſt Totum Potentiale, et Subjecta Subalternata partes Subjectivae, juxta definit. Tot. Poten.

Caput IV.

De Suppoſitione et Acceptione Terminorum.

1. Quid ſit Suppoſitio et Acceptio, non debemus dicere, niſi per exemplum; v. g. in reddendis rationibus, is qui calculos ponit loco nummorum et ſummarum, is Supponit, ille vero cui ratio redditur, Accipit eoſdem calculos pro nummis et ſummis. Unde eadem res eſt Suppoſitio et Acceptio, ſed reſpectu ad diverſas perſonas diſtinguuntur. Atque hactenus Suppoſitio etiam naturâ prior eſt Acceptione: prius enim eſt unum pro altero ſupponere, quam id ab alio quopiam ratum haberi. Porro hîc non de quavis Suppoſitione et Acceptione tractandum nobis fuerit, ſed de ea tantum, qua voces ſupponimus inter loquendum, et eaſdem accipimus inter audiendum, propter mutuum commercium ſeu cogitationum noſtrarum communicationem. Unde et haec non tam eſt Affectio Terminorum (ſicut Concordia et Diſcordia, Ordo et Diſſolutio) quam bene vocum, quibus conſtant Termini. Solet autem Loquens plerumque voces ſuas ſupponere pro certis rebus, et pro iiſdem accipiuntur ab Audiente (unde et *Voces* dictae videntur, quaſi *vices rerum*); v. g. *Albor eſt color*, *Albor non eſt ſonus* dicimus, et hoc dicendo videmur verum dixiſſe; quod utique non foret verum, ſi vox *Albor* ibi ſtaret pro ſe ipſâ: illa enim vox non eſt color ſed ſonus.

2. Haec igitur Acceptio, quae ſic voces concernit, quaeque proinde Logicae conſiderationis eſt, dividitur in Ordinariam et Extraordinariam. Acceptio Ordinaria eſt, qua vox accipitur nude pro re quam ſignificat; ſic accipitur vox *Mus*, quando dico: *Mus rodit caſeum*; hoc enim intelligitur nude de ipſo mure, nullo ad alia quaevis habito reſpectu. Haec Acceptio eſt omnium frequentiſſima, et fere dixerim perpetua; atque adeo Ordinariam vocavi. Acceptio Extraordinaria eſt Acceptio qua vox vel non pro re, vel non nude pro re ſumitur. Dividiturque in Acceptionem Grammaticam et Logicam. Acceptio Grammatica eſt acceptio vocis pro ſe ipſa; ſic Accipitur *Mus*, quando dico: *Mus eſt ſyllaba*; hoc enim intelligitur de nomine muris, quod ibi ſonat, non autem de ipſo mure; is enim nequit eſſe ſyllaba. Haec Acceptio frequens eſt in diſcurſibus Grammaticorum, atque ideo Grammaticam vocavi. Acceptio Logica eſt Acceptio vocis pro re quatenus certo modo ſignificatâ per vocem; ſic accipitur *Mus*, quando dico: *Mus ſubalternatur animali*; hoc enim non de nomine muris, nec de ipſo mure ſimpliciter intelligendum eſt, ſed de mure, quatenus iſta voce *Mus* ſignificatur: ſic enim et non alias ſubalternatur *Animali*.

3. Quod ut melius intelligas, Nota, res ſecundum ſe, ſeu nudas res, non ſubjici, non affirmari; ſed ut ſubjiciantur vel affirmentur, debent certis vocibus exprimi, ſeu debent certo modo dici (ore ſcilicet vel mente); praeveniendo autem iſtam dictionem, impoſſibile eſt de ipſis aliquid affirmare, aut ipſas de aliquo affirmare. Librum v. g. quem habes in manibus, potes ipſum paginatim pervolvere, potes eum projicere, potes eum diſcerpere; ſed ipſum affirmare de aliquo, aut de ipſo affirmare aliquid non potes, niſi prius ipſum dicas ſeu certo modo eum ſignifices, adeoque ipſum veſte quaſi idoneâ induas, ut prodeat in iſtam Scenam. Cum igitur res nuda, res ſecundum ſe, res, praeveniendo noſtras de ea cogitationes, affirmari ſubjicique non poſſit, certum eſt, etiam nullum ex iis Attributis ei com-

petere, quae ex ista radice (Affirmatione) pullulant; qualia sunt Converti, Subalternare, Essentia, Accidens, Proprietas, Superius, etc. Adeoque cum ista Attributa de aliquo dicuntur, non de ipso secundum se dicuntur, sed de ipso, quatenus certo modo per voces nostras significatur. Et sic in Subjecto fit Acceptio Logica.

4. Acceptio Ordinaria dividitur in Communem et Singularem. Acceptio Communis est Acceptio ordinaria pro pluribus Subjectis Termini. Sic accipitur vox *Homo*, cum dico: *Omnis homo est doctus*; ibi enim accipitur pro *Petro*, *Paulo*, *Joanne*, aliisque innumeris, qui sunt plura Subjecta istius Termini *Homo*. Acceptio singularis est Acceptio ordinaria pro unico Subjecto Termini. Sic accipitur *Petrus*, cum dico: *Petrus est doctus*; accipitur enim pro unico isto Subjecto, pro hoc homine, qui *Petrus* vocatur. Cum vox ordinariâ Acceptione accipi potest communiter, tunc efficit Terminum Universalem; adeo ut Universale non sit aliud quam quod communiter sumi potest; Singulare vero est Terminus, qui quidem ordinarie, sed non communiter sumi potest.

Caput V.

De Enumeratione.

1. Quia Acceptio Communis fit pro pluribus Subjectis Termini, hinc ei adhaeret Enumeratio, qua plura illa Subjecta Enumerantur. Est autem Enumeratio duplex, Copulativa scilicet et Disjunctiva, ut monui cap. 3. hac Sectione. Utraque ista Enumeratio aut Laxa est aut Pressa. Laxa Enumeratio est, qua Enumerata recedunt abs se invicem integrâ et perfectâ Sententiâ. Sic *Petrus* et *Paulus* hic Enumerantur Copulative Laxe: *Et Petrus est doctus*, *et Paulus est doctus*; hic vero Disjunctive Laxe: *Vel Petrus est doctus*, *vel Paulus est doctus*. Pressa Enumeratio est, qua Enumerata recedunt a se invicem

tantum parte Sententiae; non vero integrâ et perfectâ Sententiâ. Sic Copulative Preſſe Enumerantur *Homo* et *Brutum*, quando dico: *Homo et Brutum ſunt duo*; non eſt enim ſenſus: *Et Homo eſt duo et Brutum eſt duo.* Eadem Enumerantur Diſjunctive Preſſe, quando dico: *Homo vel brutum requiritur ad curſum.* Non eſt enim ſenſus: *Vel homo requiritur ad curſum*, *vel brutum requiritur ad curſum*; ſiquidem falſum eſt quod iſto ſenſu perhibetur (cum tamen Propoſitio, cujus ſenſus praetenditur, ſit vera); falſum enim eſt quod homo requiratur ad curſum (nam ſolum brutum ſufficit), falſum etiam eſt quod brutum requiratur ad curſum (nam ſolus homo ſufficit). Cum igitur ambae partes ſint falſae, neceſſum eſt ipſum totum falſum eſſe.

2. Nota, Enumerationem Preſſam aut Laxam non aeſtimari a nobis penes Expreſſionem, ſed penes Senſum; unde cenſeo hic Laxam Enumerationem fieri: *Petrus et Paulus eſt doctus*; licet enim *Petrus* et *Paulus* ibi ſe mutuo preſſe ſequantur, ſi attendamus ad verba quae jacent; tamen ſi voluerimus attendere ad Significationem et Senſum, videbimus Laxam Enumerationem fieri, cum ſenſus ſit: *Et Petrus eſt doctus*, *et Paulus eſt doctus.* Unde et Regula eſt, Enumerationem Laxam ſemper habere locum, niſi ſpecialis aliqua ratio militet pro Enumeratione Preſſa. An autem ſpecialis aliqua Ratio militet pro Enumeratione Preſſa, deſpiciendum eſt ex Regulis Acceptionum, et potiſſimum penes obvium ſenſum. Si enim Propoſitio in obvio ſenſu vera, efficiatur falſa per Laxam Enumerationem, et veritas ejus ſalvetur per Preſſam, judicandum eſt Enumerationem Preſſam in ea vigere. Sic ex veritate, quam in obvio ſenſu habet iſta Propoſitio: *Homo vel brutum requiritur ad curſum*, mox colligebam, *Hominem* et *Brutum* in ea Enumerari preſſe.

3. Notandum etiam, quod paſſim Enumerationem Preſſam et Laxam videantur aeſtimare penes eandem vel diverſas Propoſitiones, quas ingrediantur Enumerata; ſtatuunt nempe, Preſſe Enumerari, quae intra eandem conſiſtunt Propoſitionem, Laxe,

quae in diverſas propoſitiones recumbunt inter Enumerandum. Frequens quidem eſt, ut ea diſtinctio obtineat, ſed non eſt perpetuum. Si enim nodus in thorace tuo adhuc novo non poſſit adigi per foramen ei ex adverſo reſpondens, ſi eo caſu dixerim: *Vel quia nodus eſt nimis magnus*, *vel quia foramen eſt nimis parvum non poteſt fieri tranſitus*, ibi fit Enumeratio Preſſa *Nodi ut nimis magni* et *Foraminis ut nimis parvi*, et tamen conſiſtunt in diverſis Propoſitionibus iſta Enumerata. Cur igitur non Enumerantur Laxe? Quia non recedunt ab invicem integrâ et perfectâ Sententiâ; haec enim imperfecta ſententia eſt: *Quia nodus eſt juſto major* (quamvis contineat integram Propoſitionem), et pendet propter particulam *Quia*, quae inficit ſenſum iſtius Propoſitionis. *Vel quia foramen eſt juſto anguſtius*, iterum imperfecta ſententia eſt, et adhuc pendet; ſed hoc complemento perficitur: *Non poteſt fieri tranſitus.* Non licet autem iſto caſu laxam Enumerationem inſtituere, hoc modo: *Quia nodus eſt nimis magnus*, *non poteſt fieri tranſitus*; *vel quia pertuſio eſt nimis anguſta*, *non poteſt fieri tranſitus.* Falſa enim eſt iſta ſententia, cum utraque pars iſtius Disjunectionis ſit falſa, ſiquidem falſum eſt: *Quia nodus eſt juſto major*, *non datur tranſitus* (nodo enim eandem figuram et molem retinente, fiet tranſitus, ſi foramen fiat magis amplum); falſum etiam eſt: *Quia foramen eſt nimis anguſtum*, *non poteſt fieri tranſitus* (ſtante enim iſtâ foraminis auguſtiâ, fiet tranſitus ſi tantum nodus diminuatur). Sola igitur Preſſa Enumeratio hoc caſu rem tangit, et veram praeſtat Sententiam.

Caput VI.

De Acceptione Copulativa et Diſjunctiva.

1. Acceptio Communis dividitur in Copulativam et Disjunctivam. Acceptio Copulativa eſt Acceptio communis cum Enumeratione Copulativa Subjectorum, pro quibus fit Acceptio.

Sic accipitur Copulative *Homo*, quando dico: *Omnis homo eſt doctus*; ſenſus enim eſt: *Et Petrus eſt doctus et Paulus eſt doctus etc.* Ibi advertis Enumerationem Copulativam eorum pro quibus fit Acceptio. Acceptio Disjunctiva eſt Acceptio communis cum Enumeratione Disjunctiva Subjectorum, pro quibus fit Acceptio; ſic Accipitur *Homo*, cum dico: *Aliquis homo eſt doctus*, quia ſenſus eſt: *Vel Petrus eſt doctus vel Paulus eſt doctus etc.*

2. Acceptio Copulativa dividitur in Univerſalem et Quaſi-univerſalem. Acceptio Univerſalis, quae uno nomine vocatur *Diſtributio*, eſt Acceptio copulativa cum Enumeratione laxa Subjectorum, pro quibus fit iſta Accceptio. Sic accipitur *Homo*, cum dico; *Omnis homo eſt doctus*; ſenſus enim eſt: *Et Petrus eſt doctus et Paulus eſt doctus etc.* Ibi vides non tantum Enumetationem Copulativam, ſed etiam Laxam eorum pro quibus vox *Homo* accipiebatur. Acceptio Quaſi-univerſalis eſt Acceptio Copulativa cum Enumeratione Preſſa Subjectorum, pro quibus fit Acceptio iſta. Sic accipitur vox *Elementa*, quando dico: *Omnia Elementa ſunt quatuor*; ſenſus enim eſt: *Et ignis et aër et aqua et terra ſunt quatuor.* Ibi vides quidem Enumerationem Copulativam iſtorum Subjectorum, ſed Preſſam; non enim ſenſus eſt, quem Laxa Enumeratio faceret: *Et ignis eſt quatuor, et terra eſt quatuor etc.*

3. Acceptio Disjunctiva ſimiliter dividitur in Particularem (quae et Determinata dicitur) ac Quaſi-particularem (quae et Confuſa dicitur). Acceptio Particularis eſt Acceptio Disjunctiva cum Enumeratione Laxa. Sic accipitur *Homo*, cum dico: *Aliquis homo eſt doctus*; ſenſus enim eſt: *Vel Petrus eſt doctus vel Paulus eſt doctus etc.* Ibi vides Enumerationem et Disjunctivam et Laxam iſtorum Subjectorum, pro quibus vox *Homo* accipiebatur. Acceptio Confuſa eſt Acceptio Disjunctiva cum Enumeratione Preſſa; ſic accipitur *Navis*, quando dico: *Aliqua navis eſt neceſſaria ad navigandum*, ſenſus enim eſt: *Vel haec*

navis, vel illa navis, vel iſta, etc. eſt neceſſaria ad navigandum; non autem ſenſus eſt, quem faceret Enumeratio Laxa: *Vel haec navis eſt neceſſaria ad navigandum, vel iſta navis eſt neceſſaria ad navigandum, etc.*, quia falſum eſt, quod illo ſenſu dicitur, cum tamen Propoſitio, cujus ſenſum prae ſe fert, ſit vera.

4. Quod ut commodius intelligamus, ſupponamus, omnes naves eſſe tres numero, A, B, C (in parvo enim numero melius videmus, quod tamen in magno et immenſo obtinere pari pacto intelligitur). Dicamus jam Enumeratione Laxa: *Vel navis B eſt neceſſaria ad navigandum* (falſa eſt haec pars, quia poſſum navigare navi B), *vel navis B eſt neceſſaria ad navigandum* (falſa eſt et iſta pars, quia poſſum navigare navi C), *vel navis C eſt neceſſaria ad navigandum* (falſa tandem etiam eſt iſta pars, quia poſſum navigare navi A). Vides omnes partes iſtius Disjunctionis eſſe falſas, et per conſequens ipſam Disjunctivam Enunciationem, quae ibi exhibita fuit, etiam falſam eſſe. Sed contra haec jam dicta ſic ago: Sublatis omnibus, quae non ſunt neceſſaria ad navigandum, poterit adhuc inſtitui navigatio. Sed navis A non eſt neceſſaria ad navigandum; tollatur ergo. Navis B non eſt neceſſaria ad navigandum; tollatur et iſta. Navis C non eſt neceſſaria ad navigandum; tandem etiam iſta tollatur. Naviga jam, ſi potes, ſine navi; nulla enim, juxta ſuppoſitionem factam, amplius ſuppetit navis, et tamen ſuperflua tantum navigationis ablata ſunt. Reſpondeo, eorum quae neceſſaria non ſunt, ſingula quidem tolli poſſe, ſed non omnia ſimul. Sic v. g. *Stare me* non eſt neceſſarium, nec etiam neceſſarium eſt *Non ſtare me;* ſingula igitur iſta tolli poſſunt, utrumque ſimul tolli eſt impoſſibile. Similiter nulla eſt navis, quae non poſſit tolli ſalvâ potentiâ navigandi, ſed non omnes ſimul tolli poſſunt ſalvâ iſtâ potentiâ.

5. Acceptio Communis aliter dividitur in Communiorem, et ſimpliciter Communem. Acceptio Communior, ſeu frequentior inter Communes, eſt Acceptio Communis cum Enume-

ratione Laxa; cum Enumeratione Preſſa rariores ſunt Acceptiones. Ideoque Terminus qui communiter capitur, plerumque accipitur communius, raro autem communiter ſimpliciter.

Caput VII.

De Homonymiâ et Synonymiâ.

1. Homonymum (Latinis Aequivocum) eſt plures Termini ſub eodem nomine; ut *Gallus* in hoc Paralogiſmo: *Omnis Gallus eſt avis*, *Ludovicus eſt Gallus*, *ergo Ludovicus eſt avis.* Ibi enim ſub illo nomine *Gallus* uno ac alio loco alius atque alius Terminus velatur; priori enim loco continet Gallum gallinaceum, ſeu Gallum naturâ, poſteriori loco continet Gallum nativitate, quem hodie Francum dicimus. Synonymum (Latinus Univocum) eſt unus Terminus ſub pluribus nominibus; ut *Mulier* et *Femina.* Ibi enim duo quidem ſonant nomina, at unus ſub iſtis nominibus conſiſtit Terminus. Synonymum aliquando etiam capitur pro uno Termino pluribus locis recurrente, etiamſi forte recurrat ſub eodem nomine. Sic dicimus: *Homo* univoce affirmatur de *Petro* et *Paulo*, quia cum dicitur: *Petrus eſt homo*, *et Paulus eſt homo*, ibi *Homo* unus idemque Terminus eſt, quamvis bis occurrat. *Gallus* autem in praecedenti Paralogiſmo aequivoce capitur, quia licet utroque loco recurrat idem nomen, non tamen et idem Terminus.

2. Ex quo patet, Acceptionem etiam Univocam aut Aequivocam dici. Et quidem Acceptio univoca, quoad Terminum ſuum, ſeu quoad id pro quo fit Acceptio, una eſt; Acceptio autem Aequivoca, quoad Terminum ſuum, eſt multiplex, fit enim Acceptio pro aliis ac aliis, cum Terminus aequivoce accipitur. Sed num univoce, num aequivoce capiatur vox aliqua, quae pluribus locis recurrit, dijudicari debet ex eo, an eodem an diverſo ſenſu dicatur de illis Subjectis, ad quae uno ac alia loco comparatur. Hoc autem ipſum, diverſone an eodem

feufu uno ac alio loco dicatur, non eſt ſciendum ex alia ratione, ſed ex lumine Naturae. Sic v. g., *Gallum* aequivoce ſumi in praedicto Paralogiſmo, *Hominem* autem univoce ſumi in proxime allegatâ Sententiâ, hoc indicio ſcimus, quia *Gallus* alio ſenſu de *Ludovico* dicitur, ad quem comparatur in Minori, alio ſenſu de *Certa Ave*, ad quam comparatur in Majori. *Homo* autem de *Petro* ac *Paulo* dicitur eodem ſenſu; ſed cur *Homo* potius de *Petro* et *Paulo* dicatur eodem ſenſu, quam *Gallus* de *Ludovico* et *Certa Ave*, nulla ulterior dari poteſt ratio, ſed hoc per ſe patet omnibus, qui ſignificationem utriuſque vocabuli *Gallus*, *Homo* recte perceperint.

3. Aequivocum dividitur in Aequivocum Purum et Analogum. Aequivocnm Purum eſt plures Termini aequaliter venientes ſub eodem nomine, id eſt, unus tam proprie quam alius, unus tam famoſe quam alius: ut *Gallus* ſemel ſumptus pro Gallo Franco, et ſemel pro Gallo gallinaceo. Etiamſi in Annalibus per *Gallum* magis intelligere ſoleamus oriundum ex Gallia, et in Hiſtoria animalium magis intelligendus ſit Gallus gallinaceus, tamen abſtrahendo ab illis circumſtantiis, et per ſe loquendo, aeque unus ac alius illorum Terminorum venit ſub iſto nomine *Gallus*. Idem eſt de iſto nomine *Jus*, quod in Medicorum quidem libris jus ſignificat, quod ſorberi ſolet, in Jureconſultorum libris, jus quod in Curia dici ſolet. Analogum eſt plures Termini inaequaliter venientes ſub eodem nomine, nempe unus proprie, alter improprie, unus cum additâ vel ſubauditâ particulâ, alius abſolute et ſine tali particula: ut Magiſtratus et Nauclerus, quatenus veniunt diverſis locis intelligendi ſub iſto nomine *Gubernator*. Nauclerus enim proprie, Magiſtratus improprie ſeu metaphorice intelligitur iſto nomine.

4. Analogiae plures ſunt Species. Ac primo quidem, cum Terminus uno loco ſumitur proprie, et alio loco per Tropum Rhetoricum. Talis Analogia committitur in hoc Paralogiſmo: *Omne ridens eſt animal*, *Prata rident tempore veris*, *ergo Prata*

tempore veris ſunt animalia; ibi enim *Ridens* in Majori ſumitur proprie et in Minori metaphorice.

5. Secunda Species: cum Terminus, qui per Actum, per Habitum, per Potentiam, per Dignitatem capi poteſt, uno loco, hoc, alio, iſto modo capitur. Talis Analogia relucet in iſto Paralogiſmo: *Omne animal ſentit*; *qui profunde dormit*, *non ſentit*; *ergo*, *qui profunde dormit*, *non eſt animal*; ibi enim *Sentit* in Majori ſumitur per Potentiam, in Minori per Actum. Similis farinae eſt iſte: *Omnis bonus filius honorat ſuos parentes*; *ſed qui jam non cogitat de ſuis parentibus*, *non honorat illos*; *ergo qui jam non cogitat de ſuis parentibus*, *non eſt bonus filius*; ibi enim *Honorat* in Majori ſumitur per Habitum, in Minori per Actum. Item: *Quod honoratur eſt honeſtum*, *divitiae honorantur*, *ergo divitiae ſunt honeſtae*; ibi enim (Majorem admittendo tamquam veram) *Honoratur* priori loco ſumitur per dignitatem, ut idem ſit ac *Merito honoratur*, poſteriori autem loco per actum aut habitum capitur.

6. Tertia Species: quando Terminus uno loco accipitur certâ Acceptione, alio loco aliâ Acceptione; veluti ſi uno loco ordinarie, alio loco extraordinarie, aut uno loco Logice, ac alio loco Grammatice ſumatur, etc. Talis Homonymia apparet in hoc Parologiſmo: *Mus rodit caſeum*, *mus eſt ſyllaba*, *ergo ſyllaba rodit caſeum*; ibi enim *Mus* in Majori ordinarie, in Minori extraordinarie et grammatice ſumitur. Talis eſt etiam iſte Paralogiſmus: *Mus eſt ſyllaba*, *mus ſubalternatur animali*, *ergo ſyllaba ſubalternatur animali*; ibi enim *Mus* priori loco accipitur Grammatice et poſteriori loco Logice. Talis eſt etiam iſte: *Rationale eſt forma Logica*; *homo eſt rationalis*; *ergo homo eſt forma Logica*: *Rationale* enim primo ſumitur Logice, et deinde ordinarie.

7. Unde dimanavit Regula: Nullae Species Acceptionum poſſunt inter ſe permutari ſine aequivocatione, excepta Univerſali et Particulari. Hae enim duae Species, ſi nihil aliunde

accedat, permutari poſſunt ſine aequivocatione; ut etiam permutantur in hoc Syllogiſmo: *Omnis homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt animal.* Ibi enim *Homo* in Majori diſtribuitur ſeu accipitur univerſaliter, in Minori vero particulariter capitur, et tamen ſyllogiſmus bonus eſt; utique non eſſet bonus, ſi *Homo* aequivoce ſumeretur, quia eſſent quatuor Termini, cum Aequivocum ſit duo Termini, ut patet ex Definitione. Quoad caeteras Acceptiones, non poteſt unius earum in alteram fieri tranſmutatio in eodem vocabulo, ſine multiplicatione ipſius Termini; unde et peccat iſte: *Omnia elementa ſunt quatuor elementa*, *aër et ignis ſunt elementa*, *ergo aër et ignis ſunt quatuor elementa*; ibi enim *elementa* accipitur tantum quaſi-univerſaliter priori loco, poſteriori loco accipitur etiam particulariter.

Caput VIII.

Regulae generales Acceptionum.

1. Suprema Regula Acceptionum eſt mens loquentis. Nimirum cum loquens mentem ſuam abunde manifeſtat, pro quo vocabulum a ſe poſitum capi velit, ſtandum eſt iſti ejus voluntati. Unde ſi loquens velit iſtam vocem *Gallus* capi pro Gallo gallinaceo, quando dicit: *Ludovicus eſt Gallus*, accipiendum eſt ita, reclamante quantumvis obvio ſenſu Propoſitionis, et favore quem alias veritati deberemus; ſi enim velimus attendere ad obvium ſenſum iſtius Propoſitionis, *Ludovicus eſt Gallus*, oportebit nos *Gallum* accipere pro Gallo natione, quem hodie Francum dicimus; ſi velimus etiam favere Veritati iſtius Propoſitionis, idem praeſtandum fuerit. His tamen non obſtantibus obedimus loquenti, quiſquis ille ſit, et quantumcunque videatur vilis, dum advertimus aliud eum jubere; idque prompte facimus et pene inſcii, ſolo Naturae inſtinctu, quae nobis voluit tam ſanctum eſſe Commercium.

2. Secunda Regula: Acceptionem accommodamus obvio ſenſui

Propoſitionis; id eſt, ita accipimus vocem poſitam in certa Propoſitione, pro ut eam requirit accipi communis et obvius ſenſus iſtius Propoſitionis. Haec Regula; cum enim de mente loquentis aliunde ſpecialius non conſtat, utimur in eâ interpretandâ, hac ſecundâ Regulâ. Sic ſi quis dixerit: *Ludovicus eſt gallus*, nihil aliud innuendo, accipiemus *Gallum* pro oriundo ex Gallia; hoc enim requirit ſenſus obvius iſtius Propoſitiouis, cui nos conformamus, quamdiu loquens aliud non juſſerit.

3. Tertia Regula: In favorem Veritatis accipimus Vocabula; id eſt, eâ Acceptione accipimus Vocabulum, quae poteſt veram reddere Propoſitionem, in qua Vocabulum illud ponitur. Hac Regulâ nunquam utimur, niſi deficiente Primâ Regulâ, et vix unquam niſi ſimiliter in defectu Secundae Regulae. V.g. propoſito hoc Argumento: *Quid honoratur*, *eſt honeſtum*; *divitiae honorantur*, *ergo divitae ſunt honeſtae*, poterimus Majorem concedere, conformando nos huic Regulae, etiamſi neganda eſſet conformando nos Secundae Regulae, quae jubet attendere ad Senſum obvium, juxta quem Major eſt falſa. In obvio enim ſenſu eſt falſum, *quidquid honoratur*, *honeſtum eſſe*, cum multa etiam ſcelera hodie ac olim ſint in honore. Igitur ſi te Tertiae huic Regulae conformare volueris, capies *Honoratum* per dignitatem ſeu meritum in Majori, hunc apud te ſenſum faciens: *Quidquid merito honoratur*, *honeſtum eſt.* Si autem volueris conformare te Secundae Regulae, negabis Majorem, atque tunc *Honoratum* in Majori capies per habitum, ut ſenſus ſit: *Quidquid ſolent homines honorare*, *honeſtum eſt.*

4. Quarta Regula: Acceptionem accommodamus Conformitati locutionis. Veluti ſi loquens dixerit: *Omne animal ſentit*; *qui profunde dormit*, *non ſentit*; *ergo qui profunde dormit*, *non eſt animal*, ſi Majorem conceſſerimus (juxta tertiam Regulam, quae jubet favere veritati, non omnino abnuente Secundâ Regulâ, cum ille etiam ſit ſatis obvius ſenſus iſtius Propoſitionis, juxta quem *Sentiens* ſumitur per potentiam), poſtea negabimus Minorem inſiſtendo huic

Regulae, accipientes nimirum Terminum *Sentiens* iterum per potentiam, id eſt, accipientes illum Terminum conformiter ad Acceptionem qua accipiebatur in Majori. Quod ſi loquens in vertendo Praemiſſas dixerit: *Qui profunde dormit, non ſentit; omne animal ſentit; ergo nullum animal profunde dormit*, poterimus rurſum concedere Majorem (accipiendo Terminum *Sentiens* per actum) juxta Secundam et Tertiam Regulam, et negare Minorem (accipiendo eundem Terminum iterum per actum) juxta hanc Quartam Regulam; id enim poſtulabit conformitas locutionis. Ex quo patet, eandem vocem, etiam in eadem Propoſitione ſitam, diverſimode capi poſſe, variato ordine quem habet cum aliis Propoſitionibus; nempe quia aliud ac aliud, in uno ac alio ordine poſtulat Conformitas ſermonis. Subinde etiam arbitrii partes ſunt, quando ſecunda et Tertia Regula diverſum ſuadent; veluti ſi dictum fuerit: *Quod honoratur, honeſtum eſt*, fere arbitrarium eſt concedere ac negare, hoc Secundâ, illud Tertiâ Regulâ dictante; fere tamen ſtandum eſt ſecundae Regulae, praeſertim in Schola et inter Doctos. In Trivio autem et cum vulgo agentibus, ſtandum eſt ſaepe Tertiae Regulae, quia horum, utpote hac in parte imbecilliorum, dictis favendum eſt, et quantum fieri poteſt benignâ interpretatione ſublevandi ſunt; praeſertim cum in fines noſtros conceſſerunt, et Philoſophari nobiſcum pro modulo ſuo volunt; tunc enim benigne tractandi ſunt, tamquam peregrini in hac Regione Sapientium.

5. Hae quatuor ſunt Regulae Capitales, Generales, Naturales, ex dictamine Rectae Rationis emanantes. Atque hae omnes latae ſunt in favorem Loquentis. Prima quidem Regula loquenti favit; haec enim non aliud clamat, quam nutui Loquentis ac imperio parendum eſſe. Secunda Regula ſtudet facilitati Loquentis; facilius enim noviſſe praeſumitur, quod uſitatum, quod obvium et commune eſt; adeoque etiam facile accommodat ſe obvio et communi ſenſui ac ſermoni, quando aliud ei non lubet imperare. Tertia Regula veracem praeſumit Lo-

quentem, et vera velle profari. Quarta Regula aliter adhuc dignitati Loquentis conſulit, cum praeſumit eum non diſſoluta et vaga, ſed connexa et ſibi cohaerentia loqui. Adeo ut Imperii quandam imaginem hic conſpiciam, in quo Rex ſit qui loquitur, etiam cum ad genua provolvitur et ſupplex rogat, quia vel ſic etiam imperat in hac Republica humani commercii. Subditi ſunt quibus loquitur; Hoſtes et peregrini quodammodo ſunt de quibus loquitur.

Caput IX.

Regulae ſpeciales Acceptionum.

1. Regulae ſpeciales omnes derivantur ex Secunda Regula generali; haec enim poſt Primam ſumma eſt. Itaque Regulae Speciales tantum attendunt, quis ſit obvius et communis ſenſus Propoſitionis, quam vox aliqua ingreditur, eique accommodant Acceptionem. Unde hae Regulae Speciales non ſunt aliud quam particulares quidam caſus iſtius Legis generalis.

Prima Lex Specialis: Vox accipitur Grammatice, cum de ea dicitur attributum aliquod Grammaticum; Logice, cum Logicum. Sic accipitur Grammatice ſubjectum harum: *Mus eſt maſculini generis*, *Mus eſt tertiae declinationis*, *Mus eſt syllaba*, *etc.*, Logice vero ſumitur ſubjectum harum: *Mus ſubalternatur animali*, *Mus repugnat cum bove*, *Mus eſt ſuperius hujus muris*, *etc.*

2. Secunda Regula: Vox Logice vel Grammatice ſumpta inter ſcribendum ſubductâ lineâ, et in libris impreſſis diverſo a reliquis (plerumque minutiori) charactere denotatur. Hoc videre eſt in Logicorum et Grammaticorum libris, in quibus difformitas illa characterum paſſim conſpicua eſt. Interdum tamen etiam Regulae et Axiomata diverſo charactere depinguntur; ſed expedit his tertium aliquod genus characterum reſervare.

3. Tertia Regula: Acceptio Ordinaria eſt fere perpetua. Quia ſemper obtinet, praeterquam in Logicis ac Grammaticis

difcurfibus, et in his adhuc difcurfibus plurimum tenet, cum Praedicatum in illis fere femper accipiatur ordinarie, et multa infuper alia; ut facile colligitur ex Secunda Regula, quia in Grammaticorum ac Logicorum textu plura communi quam minuto charactere impreffa leguntur.

4. Quarta Regula: Acceptio Singularis aequipollet Diftributioni. Unde, cum Regula Syllogifmi jubeat Medium in altera Praemiffarum diftribui, fatiffit ifti Regulae etiam cum Medium Singulare accipitur; unde placet mihi, ut Acceptio Singularis etiam nomine Diftributionis in Regulis Syllogifticis et Argumentorum intelligatur.

5. Quinta Regula: Subjectum, cui expreffe vel implicite praefigitur Nota *Omnis* aut *Nullus*, diftribuitur. Sic diftribuuntur Subjecta harum: *Omnis homo eft doctus*, *Nullus lapis eft homo*, *Homo eft animal*; in illa enim poftrema Propofitione faltem implicite Nota *Omnis* praecedit Subjectum. Hinc iftae Notae, *Omnis*, *Nullus*, dicuntur Notae Diftributionis, item Notae Quantitatis Univerfalis. De Quantitate infra agitur.

6. Sexta Regula (et haec exceptionem aliquam continet a Regula Quinta): Subjectum pluralis numeri, cui expreffe vel implicite praefigitur Nota *Omnes*, et ex parte Praedicati tribuitur ei numerus, *Duo*, *Tria*, *Quatuor*, *etc.*, accipitur quafi-univerfaliter. Sic accipiuntur quafi-univerfaliter Subjecta harum: *Omnia elementa funt quatuor*, *Omnes planetae funt feptem*, *Planetae funt feptem*, *etc.*

7. Septima Regula: Praedicatum Propofitionis Negativae diftribuitur. Sic diftribuuntur Praedicata harum: *Petrus non eft lapis*, *Nullus homo eft brutum*; fenfus enim prioris eft: *Petrus non eft filex et Petrus non eft marmor et non eft later*, *et fic pergendo per reliquos lapides*; fimilis eft fenfus pofterioris. Cum vero Praedicatum Negationis fuerit Singulare, non quidem proprie diftribuitur; fed tamen Acceptio ejus, ut alias quandocunque, aequipollet Diftributioni.

8. Octava Regula: Subjectum, cui praefigitur Nota *Aliquis*, accipitur particulariter. Sic accipitur particulariter Subjectum harum: *Aliquis homo eſt doctus*, *Aliquis homo non eſt doctus*, *etc.* Atque hinc iſta Nota vocatur paſſim Nota Acceptionis Particularis, item nota Quantitatis Particularis.

9. Nona Regula (et haec exceptionem aliquam continet ab Octava Regula): Subjectum de quo, communiter ſumpto, affirmatur *Requiſitum ad etc.*, *Neceſſarium ad etc.*, accipitur confuſe. Sic accipiuntur quaſi-particulariter ſeu confuſe Subjecta harum: *Aliqua navis eſt neceſſaria ad navigandum*, *Calamus requiritur ad ſcribendum*, *etc.*

10. Decima Regula: Praedicatum Propoſitionis Affirmativae accipitur particulariter, quando ſcilicet capax eſt talis Acceptionis. Sic accipitur particulariter *Homo*, quando dico: *Petrus eſt homo*; ſenſus enim eſt: *Petrus eſt hic homo vel Petrus eſt iſte homo etc.* Dixi: quando capax eſt etc., quia ſi Praedicatum Affirmationis fuerit Singulare, cum illud ſit incapax Acceptionis Particularis (non poteſt enim accipi pro pluribus ſuis Subjectis, ſed tantum pro uno), non accipietur particulariter.

11. Dices: haec eſt Affirmatio: *Omnis bos eſt brutum*, et tamen Praedicatum non accipitur Particulariter, quia tunc ſenſus eſſe deberet hic: *Vel omnis bos eſt hoc brutum*, *vel omnis bos eſt iſtud brutum*, *et ſic porro*; non eſt autem iſte ſenſus, quia quod ſenſu iſto perhibetur, falſum eſt, cum nullum ſit determinate brutum, quod ſit omnis bos. Reſpondeo, nihilominus Praedicatum iſtius Affirmationis accipi particulariter; ſed non ſemel tantum (quod Objectio ſupponit), at ſaepius; ſenſus enim eſt: *Et hic bos eſt brutum* (ibi *Brutum* accipitur ſemel particulariter) *et iſte bos eſt brutum* (ibi adhuc ſemel accipitur particulariter) *et ſic porro*, adeo ut *Brutum* in iſta Propoſitione (*Omnis bos eſt brutum*) accipiatur toties particulariter, quot ſunt Subjecta, pro quibus diſtribuitur *Bos*; cum ſingulis enim eorum ſemel conjungitur ſemelque particulariter capitur.

Caput X.

Secundum Quadratum Logicum.

1. Primum Axioma: Quod affirmatur de Subjecto, affirmatur etiam de Praedicato particulariter ſumpto. Id quidem, quod de Subjecto affirmatur, non debet abſolute affirmari de Praedicato. *Rationale* enim affirmatur de Subjecto (*Homine*), et tamen non affirmatur abſolute de Praedicato (*Animali*), cum *Animal* non ſit rationale, abſolute loquendo, ſed indifferens ad *Rationale* et *Irrationale.* Hoc igitur tantum verum eſt: *Quod affirmatur de Subjecto, affirmari etiam de Praedicato particulariter ſumpto*; unde *Rationale* non quidem de *Animali*, ſed tamen de *Aliquo animali* dicitur. Et Ratio hujus Axiomatis eſt, quia affirmari particulariter de certo Termino nihil aliud eſt, quam de aliquo ejus Subjecto affirmari; igitur quod de Subjecto affirmatur, neceſſario etiam affirmatur de Praedicato particulariter ſumpto.

2. Secundum Axioma: Quod negatur de Praedicato diſtributo, negatur etiam de Subjecto. Ubi rurſum notari debet, quod de Praedicato negatur, non neceſſario negari de Subjecto; nam *Rationale* negatur de Praedicato (*Animali*), non ideo tamen negatur de Subjecto (*Homine*). Hoc igitur tantum eſt verum: *Quod negatur de Praedicato diſtributo, negari etiam de Subjecto*; nec mirum, quia praedicatum diſtributum non eſt aliud quam omnia ſua Subjecta. Sic, quia *Lapis* negatur de *Animali* diſtributo, negatur etiam de *Homine*, *Bruto*, et quovis alio Subjecto *Animalis.*

3. Tertium Axioma: Quod dicitur de Subjecto particulariter ſumpto, dicitur etiam de Praedicato particulariter ſumpto. Sic, quia *Bipes* dicitur de *Quodam Bruto*, hinc etiam dicitur de *Quodam Animali.*

4. Quartum Axioma; Quod negatur de Praedicato diſtributo, negatur etiam de Subjecto diſtributo. Secundum Axioma tantum importat, ſimpliciter negari de Subjecto, quod negatur de Prae-

dicato diſtributo. Hoc Axiomate plus dicitur, nempe etiam negari de Subjecto diſtributo; ſubinde enim negatur aliquid de Subjecto ſimpliciter et abſolute, quod tamen non negatur de Subjecto diſtributo. Ut *Rationale* ſimpliciter negatur de *Animali*, non negatur tamen de *Animali* diſtributo; licet enim *Animal ſimpliciter non ſit rationale*, non tamen *Nullum Animal eſt rationale.* Ex quo etiam patet diſcrimen inter Affirmari ſimpliciter et ſimpliciter Negari. Nempe ſimpliciter negatur, quod negatur de Subjecto, etiamſi tantum particulariter ſumpto; ſed quod de Subjecto ſic ſumpto tantum affirmatur, non ſimpliciter affirmatur de illo Subjecto. Non cenſetur enim Terminus abſolute affirmari de Termino, niſi affirmetur de quocunque Subjecto iſtius Termini; at de Termino negatur hoc ipſo, quo negatur de aliquo Subjecto Termini.

5. Appendix ad hocce Secundum Quadratum. Primum Axioma: Quod affirmatur de uno Terminorum Concordium, affirmatur etiam de altero particulariter ſumpto. Ratio eſt, quia Termini Concordes habent aliquod Subjectum idem; quod igitur ſimpliciter affirmatur de uno eorum, affirmatur hoc ipſo de aliquo Subjecto alterius, et per conſequens de illo altero particulariter ſumpto. Quod autem ſimpliciter affirmatur de uno Concordium, non debet affirmari ſimpliciter de altero Concordium. *Irrationale* enim affirmatur de *Bruto*, non tamen affirmatur ſimpliciter de *Bipede*, concordante cum *Bruto*, ſed tantum particulariter, hoc modo: *Aliquod bipes eſt irrationale.*

6. Secundum Axioma: Quod negatur de uno Terminorum Concordium diſtributo, negatur de altero. Ratio eſt, quia quod negatur de Termino diſtributo, negatur de quolibet ejus Subjecto, et per conſequens de aliquo Subjecto alterius Termini Concordis, per conſequens etiam de ipſo altero Termino. Quod enim de uno Subjecto alicujus Termini negatur, id ſimpliciter de ipſo Termino negatur. Hinc ſequitur: *Nullum brutum eſt rationale*, *ergo aliquod bipes non eſt rationale.*

Caput XI.

De Ordine et Diſſolutione Terminorum.

1. Ordo Logicus deſumitur penes Affirmationem veram, in quam plures aliqui Termini conjici poſſint. In Affirmatione autem Subjectum formaliter loquendo, ſeu Subjectum qua tale, ſenſu praecedit Praedicatum qua tale; licet Subjectum materialiter, ſeu id quod eſt Subjectum, ſaepe ſenſu ſequatur id quod eſt Praedicatum. V. g. in hac affirmatione: *Aurum eſt metallum*, id quod ibi Praedicatum eſt, nempe *Metallum*, ſenſu praecedit id quod ibi Subjectum eſt, nempe *Aurum*; nam cum *Aurum* non ſit aliud quam *Metallum tale*, conſtat, *Metallum* jam praeceſſiſſe, antequam complete dici poſſit *Aurum*.

2. Ordinem igitur Logicum inter eos Terminos eſſe dico, qui eandem Affirmationem veram ingredi poſſunt, eoſque Terminos Colligatos eſſe cenſeo; Diſſolutos vero, qui non poſſunt intra eandem Affirmationem veram commorari. Unde hi Termini ſunt Colligati: *Homo*, *Animal*; conjiciuntur enim in hanc Affirmationem veram: *Homo eſt animal.* Imo etiam iſti: *Animal*, *Rationale*; licet enim colligari non poſſint tamquam Subjectum et Praedicatum (quamdiu ſcilicet *Rationale* capitur in vim Adjectivi), poſſunt tamen colligari per modum Materiae et Formae intra idem Subjectum, ut hîc: *Homo ſentit*; ibi enim *Animal* et *Rationale* implicite conſiſtunt ex parte Subjecti. Iſti vero Termini: *Homo*, *Bos*, ſunt Termini Diſſoluti, quia non ſinunt ſe in eandem veram Affirmationem conſtrui, nec tamquam extrema, nec tamquam partes extremorum. Partes, inquam, eſſentiales; nec enim eos Terminos colligari cenſeo, qui in eodem aliquo Termino reperiuntur, aut velut Partes Subjectivae, aut veluti Partes Integrales; alioqui enim *Bos* etiam et *Homo* eſſent termini colligati, ſunt enim partes Subjectivae iſtius termini *Animal*; imo quaelibet Subſtantiva mixta eſſent colligata, quia haec omnia ſunt Partes Subjectivae *Entis*. Ex dictis patet,

Terminos dupliciter colligari, nempe ut Coëxtrema, et ut Compartes ejuſdem extremi.

3. Termini Colligati vel ſunt ſimul in Ordine Logico, vel unus eorum prior, alter poſterior eſt. Simul ſunt iſti Termini, qui in eandem Affirmationem veram Colligati, ſic ſe habent, ut neuter alterum praecedat ſenſu. Ut *Homo*, *Animal rationale*; ſi enim duos illos Terminos intra eandem Affirmationem conjicias, nullus alterum praecedet quoad ſenſum; v. g. hîc: *Homo eſt animal rationale*, licet *Homo* qua Subjectum praecedat, non poteſt tamen dici quod etiam abſolute et ſecundum ſe ſpectatus praecedat, cum ſic ſpectatus ſit idem cum altero Termino, qui obtinet locum Praedicati. Terminorum autem unus prior, alter poſterior dicitur, qui intra eandem affirmationem veram conjuncti, ſic ſe habent, ut unus alterum praecedat quoad ſenſum. Ut *Homo*, *Animal*; ſic enim colligantur: *Homo eſt animal*; ibi *Animal* ſenſu praecedit, quia Terminus *Animal* conſiſtit ex parte Subjecti, ante ipſum Subjectum complete poſitum, cum ſit Materia iſtius Subjecti.

4. Ex quibus patet primo, quod Materia ſit Logice prior ſuo Subjecto; priuſquam enim Subjectum poſſit integre poni in Affirmatione aliqua, jam ſenſu praeceſſit ejus Materia. Veluti ſi dicam: *Aurum eſt metallum*, aut: *Aurum eſt quodcunque*, antequam complete dicatur *Aurum*, jam implicite dictum erat *Metallum*; cum enim *Aurum* non ſit aliud quam *Metallum tale*, patet, hoc complete non dici, niſi jam ante dictum ſit *Metallum*.

5. Patet ſecundo, Materiam etiam Formâ priorem eſſe; cum enim de Subjecto affirmatur aliquid, praecedit Materia Subjecti (quando nempe Subjectum eſt compoſitum) et ſenſu ſequitur Forma, complens Subjectum et abſolvens, quod a Materiâ tantum fuerat inchoatum. Sic cum dico: *Aurum eſt hoc vel illud*, ex parte Subjecti, quod non eſt aliud quam *Metallum tale*, praecedit Subſtantivum *Metallum*, tamquam Materia, et ſubſe-

quitur quoad ſenſum Adjectivum deſignatum per *Tale*, tamquam Forma *Auri*.

6. Patet tertio, Formam etiam Logice priorem eſſe ſuo Subjecto; antequam enim complete nanciſcamur Subjectum compoſitum ex Materiâ et Formâ, haberi debet et Materia et Forma. Interim in ipſo quaſi momento, quo Forma accedit ad Materiam, jam habetur Subjectum; unde Forma fere ſimul eſt cum ſuo Subjecto, et quodam modo ambigit inter anteceſſum et comitatum; Materia vero perſpicue praejacet, et Compoſitum perſpicue ſubſequitur. Unde ambiguitas illa Formae in favorem ejus deciditur, et Forma etiam inter priora computatur.

7. Patet quarto, Eſſentiam totalem eſſe ſimul cum ſuo Subjecto; quia in Affirmatione vera, in qua Subjectum ejus ponitur, nec eſt prior ſuo Subjecto, nec poſterior, ſed eadem et ſimul.

8. Patet quinto, Accidens eſſe poſterius ſuo Subjecto; quia cum in eandem veram Affirmationem cum Subjecto ſuo colligatur, nunquam praecedit Subjectum, ſed neceſſario tantum ſequitur. Nam ſive colligetur cum ſuo Subjecto tamquam Coëxtremum, tantum conſiſtit ex parte Praedicati poſt Copulam, Subjecto praecedente Copulam; ſive colligetur tamquam Compars ejuſdem Extremi, conſiſtit a tergo ejus tamquam Forma, Subjecto praeſtante vices Materiae.

9. Ex his expeditus eſt Ordo Logicus. Primo loco occurrit Materia Subjecti (quando ſcilicet Subjectum eſt compoſitum). Secundo loco Forma. Tertio loco ipſum Subjectum ex Materia illa ac Formâ compoſitum. Quarto loco Accidens Subjecti.

10. Inter Materias ejuſdem Subjecti, Materia Materiae praecedit Materiam ipſam, eodem jure quo haec praecedit ipſum Subjectum. Sicut enim *Aurum* praecedit *Hoc aurum*, ſic *Metallum* prius eſt *Auro*, et *Metallo* prius eſt *Corpus*, et *Corpore* prius eſt *Ens*. Si enim dixero: *Hoc aurum eſt etc.*, antequam dictum ſit integrum Subjectum dicitur ejus Materia, nempe *Aurum*; et antequam haec Materia dici potuerit, prius dicta

fuit ejus Materia, nempe *Metallum* (cum dicere *Aurum* non ſit aliud quam dicere *Metallum tale*); et antequam rurſum haec Materia dici potuit, prius dici debuit ejus Materia, nempe *Corpus* (cum dicere *Metallum* non ſit aliud quam dicere *Corpus tale*); et priuſquam haec Materia dici poterat, prius dici debuit ejus Materia, nempe *Ens.* Ex quo etiam vides, omnem Affirmationem inchoari ab *Ente*, ſeu *Ens* primo loco conſiſtere in omni Affirmatione. Nam ſive de *Ente* dicatur aliquid, *Ens* conſiſtit primo loco quoad ſenſum; ſive de Subjecto Compoſito dicatur aliquid, *Ens* etiam primo loco reperitur, tamquam Materia, quae neceſſario dicatur antequam ipſum Subjectum Compositum dici queat. Ideo *Ens* eſt Primum Logicum.

11. Inter Formas ſimiliter Forma Materiae (cum ſcilicet Materia rurſum Compoſita eſt) prior eſt Formâ Subjecti. Materia enim non eſt ante ſuam Formam componentem, et tamen Materia prior eſt Formâ componente Subjectum. Unde neceſſario evenit, Formam Materiae Formâ Subjecti priorem eſſe. V. g. cum *Metallum* ſit *Corpus tale*, Adjectivum, quod deſignatur per *Tale*, quodque eſt Forma *Metalli*, prius eſt Adjectivo, quod deſignatur per *Tale*, cum dico: *Metallum tale*, putans *Aurum*, quia *Metallum* eſt ante hoc *Tale*, et eſt poſt illud *Tale.* Igitur etiam illud *Tale* praecedit hoc *Tale.*

12. Inter Accidentia, Proprietates, quae ſunt Potentiae, praecedunt Accidentia ſtricte dicta. Cum enim in eandem Affirmationem veram colligantur, praecedunt Potentiae et ſequuntur Accidentia ſtricte dicta. Potentiae enim tenent ſe ex parte Copulae tamquam Modi Copulae; Actus vero earum, qui ſunt Accidentia ſtricte dicta, tenent ſe ex parte Praedicati; jam autem Copula ſenſu praecedit Praedicatum. *Vide ſupra Sect.* 1. *cap.* 6. V. g. cum dico: *Petrus eſt ambulativus*, ibi *Potens ambulare* et *Ambulans* colligantur, nempe tamquam Potentia et Actus ejus; at Potentia praecedit ad Copulam, et Actus *Ambulans* illam ſequitur ex parte Praedicati, tamquam Terminus et Finis quidam iſtius Potentiae.

PARS II.

SECTIO I.

De Enunciationibus.

Agitur in Logica de Enunciationibus propter Argumentationes. Argumentatio enim eſt quaedam Enunciatio, item partes Argumentationis, nempe Antecedens et Conſequens, ſunt quaedam Enunciationes.

Caput I.

De Enunciatione in genere.

1. Enunciatio eſt verum vel falſum. Quidquid ergo verum eſt, hoc Enunciatio eſt, ut: *Duo et tria ſunt quinque*, *Carolus eſt rex*, *etc.*; quidquid falſum eſt, hoc Enunciatio eſt, ut: *Duo et tria non ſunt quinque*, *Carolus eſt exſul*, *etc.* Quinimo hoc: *Arenae maris ſunt numero pari*, Enunciatio eſt; quia ſaltem verum id eſt falſumve, licet nemo facile dixerit, falſumne ſit an verum.

2. A definiendo Vero ac Falſo excuſari videor; diſtincte eorum ſatis clara, ſatis explorata nobis indita ſit notio. Sed, inquis, diſtingue ergo, *Arenae maris ſunt numero pari*, verum hoc ſit an falſum. Lubens fateor, non poſſe me quod nemo poteſt; ſed hoc non arguit neſcire me, quid ſit verum, aut quid ſit falſum, ſed tantum neſcire me, num quod proponitur, verum ſit, num falſum. Alioqui ſatis ſuperque ſcire me quid ſit verum, et quid ſit falſum, hoc argumento eſt, quod clariſſime firmiſſimeque ſciam, verum eſſe vel falſum, quod proponebatur; quod utique non poſſem perfecte ſcire, niſi ſcirem perfecte, quid ſit verum et quid ſit falſum. Verum etiam *Veritas*,

et Falſum *Falſitas* vocatur. Unde ipſas etiam Enunciationes Veritates Falſitateſque conſuevimus appellare.

3. Sed eſtne *Aurum* etiam Enunciatio, cum ſit verum aurum, aut *Aurichalcum*, cum ſit falſum aurum? Reſpondeo, non eſſe; quia *Aurum* non eſt ſimpliciter verum (ſicut *Duo et tria ſunt quinque* ſimpliciter verum eſt), ſed eſt verum aurum; et *Aurichalcum* non eſt ſimpliciter falſum (ſicut *Petrus eſt bos* ſimpliciter falſum eſt), ſed eſt falſum aurum. Quamvis nec iſtae locutiones ſine abuſu ſint: *Aurum eſt verum aurum*, *Aurichalcum eſt falſum aurum*: Adjectiva enim ibi irrepſerunt in locum Adverbiis debitum; quia potius dicendum fuerat: *Aurum vere eſt aurum* et *Aurichalcum falſo eſt aurum*; ibi Adverbia, *Vere*, *Falſo*, ſignificant veritatem falſitatemque harum reſpective Enunciationum: *Aurum eſt aurum*, *Aurichalcum eſt aurum*. Verum igitur ac Falſum quomodocunque non cadunt niſi in Enunciationes.

4. Omnis autem Enunciatio, ſive ipſa Verum ſit, ſive ipſa Falſum ſit, verum ſe eſſe dicit. Sumamus in exemplum quamlibet Enunciationem, v. g. iſtam: *Sto*; illa, inquam, dicit ſe eſſe veram. Si enim ſtarem, eſſet vera; atqui ipſa dicit me ſtare, ergo ipſa ſe veram eſſe dicit. Cum enim hoc totum eſſe dicat, quod ad ſui veritatem requiritur (nihil autem aliud requiritur, niſi ut ſtem), hoc ipſo quodammodo ſe veram eſſe dicit; unde et ſi *Sto* dixerim, et dixerim *Verum eſt me ſtare*, idem dixiſſe videor.

5. Omnis Enunciatio quodammodo eſt Affirmatio. Omnis enim Enunciatio dicit ſic eſſe, ita rem ſe habere, hoc vel illud verum eſſe; hoc, inquam, quodammodo dicit, et in aequivalenti; hoc autem dicere, affirmare eſt. V. g. *Non ſto*, quamvis formaliter et expreſſe ſit Negatio, tamen dicit in aequivalenti, hoc ita eſſe, hoc verum eſſe, *Quod non ſtem*, atque adeo ſuo modo Affirmatio eſt. Simili ratione facile videbis, hanc: *Et ſto et loquor*, etiamſi componatur ex pluribus Affirmationibus, quo-

dammodo tamen unam Affirmationem esse. Cum ergo omnis Enunciatio dicat quodammodo: *Ita est*, si ita sit, vera est Enunciatio, si secus, falsa; adeo ut *Est* in Dicto, et *Est* in Re, verum faciant; sed *Est* in Dicto, et *Non est* in Re, falsum faciunt.

Caput II.

De Enunciatione Possibili et Impossibili.

1. Enunciatio possibilis est, quae potest esse vera, sive interim sit vera, sive non. Unde Enunciatio Possibilis comprehendit sub se omnem Enunciationem veram, et insuper aliquam Falsam, nempe illam Falsam, quae vera est potest, v.g. hanc: *Carolus non est Rex.* Enunciatio Impossibilis est, quae non potest esse vera, atque ea comprehenditur sub Enunciatione Falsa; necessum est enim, eam Enunciationem esse falsam, quae non potest esse vera, quandoquidem Enunciatio debeat esse alterutrum, nempe verum vel falsum. Sed tamen non omnis Enunciatio falsa est Impossibilis, sed quaedam talis est Possibilis, ut mox ostendi. Exemplum Enunciationis Impossibilis est: *Duo et tria non sunt quinque*, *Petrus est bos*, *etc.*; haec enim et similia non possunt esse vera.

2. Enunciatio Possibilis dividitur in Necessariam et Contingentem. Enunciatio Necessaria est Enunciatio Possibilis, quae non potest esse falsa; ut *Duo et tria sunt quinque*, *Petrus est homo*, *etc.* Enunciatio Possibilis, quae potest esse falsa, ut *Carolus est rex*, *Carolus est exsul*, *etc.* Ex his patet, omnem Enunciationem aut Impossibilem aut Necessariam aut Contingentem esse; posita enim quacunque Enunciatione, vel illa Enunciatio potest esse vera, vel non potest esse vera (juxta Princip.: *Quodlibet est vel non est*); si non possit esse vera, est Impossibilis; si vero possit esse vera, vel insuper potest esse falsa, vel non potest esse falsa; si hoc fiat, Contingens; si illud, Necessaria erit.

3. Contingentia autem omnis eſt ex Tempore. Cum enim omnis Enunciatio quodammodo ſit Affirmatio, Affirmatio nunquam eſt Contingens, niſi fiat in tempore, id eſt, cum Adverbio temporis expreſſe vel implicite adhaerente Copulae. Quae vero extra tempus ſeu in aeternitate fiunt Affirmationes, omnes ſunt aut neceſſariae aut impoſſibiles; v. g.: *Carolus eſt homo*, hoc neceſſarium eſt; *Carolus eſt lapis*, hoc impoſſibile eſt; tandem *Carolus eſt rex*, hoc contingens eſt, quia in tempore praeſenti fit Affirmatio iſta. Quod ſi in hac poſtremâ ſine tempore volueris affirmare, impoſſibilem Affirmationem exhibebis. Siquidem *Carolus eſt rex*, abſolvendo, ut loquuntur, Verbum a tempore, tam eſt impoſſibilis quam illa: *Animal eſt homo.* Quam enim neceſſario animal non eſt homo, ſed indifferens ad hominem ac aliud quoddam animal, tam neceſſario Carolus, ſecundum ſe et extra tempus conſideratus, non eſt rex, ſed indifferens ad regiam ac alias vitae conditiones.

4. Neceſſitas autem videtur ex Eſſentiâ provenire. Affirmatio enim Eſſentialis, ſeu in qua Eſſentia affirmatur de ſuo Subjecto, ſemper eſt neceſſaria, et aliarum Enunciationum nulla neceſſaria eſt, niſi ex Affirmatione Eſſentiali ſequatur. Quinimo videmur Enunciationem aliquam pro Contingenti habere hoc ipſo, quo non poſſumus ipſam aut ejus Contradictoriam ex Eſſentia aliqua deducere; v. g. *Pluit* aut *Sudum eſt*, aut *Ille lapis cadit*, aut *Petrus ambulat*, *etc.* Ideo Contingentia dicere videmur, ideoque perſuaſi, illa ſic et aliter ſe habere poſſe, quia nec illas Enunciationes, nec earum Contradictorias deducere poſſumus ex aliqua Eſſentia. Similiter, qui in Geometricis minus verſatus fuerit, facile habebit pro Contingenti, ſi interſecantibus ſe duabus rectis lineis, angulos ad verticem aequales fieri judicio ſenſus deprehenderit (v. g. circumducendo circinum ex puncto interſectionis; videbit enim aequales portiones Circuli angulis oppoſitis ſubtendi); nam facile ſibi perſuadebit, interſectionem iſtam linearum ſic poſſe accommodari, ut anguli

non fiant aequales. Unde et tentabit aliter ac aliter illas lineas decuſſare; quod provenit ex ignorantia Demonſtrationis; nam Geometra non habet hoc pro Contingenti, ſed pro ſumme neceſſario; is enim novit hanc Propoſitionem: *Interſecantibus ſe duabus rectis, anguli ad verticem oppoſiti aequales ſunt*, ex Eſſentia Lineae rectae derivare.

5. Ex quo etiam clare patet, Multa forte pro Contingentibus haberi a nobis, quae vel Impoſſibilia ſint vel Neceſſaria. Solemus enim ad ferendum judicium de Contingentia Enunciationis alicujus, ignorantiâ contenti eſſe, judicantes eam eſſe Contingentem, quando nec ipſam, nec ejus Contradictoriam ex Eſſentia novimus elicere; cum potius ex Scientia procedendum fuiſſet, qua certo ſciremus, nec ipſam Enunciationem, nec ejus Contradictoriam ex Eſſentia deduci poſſe.

Caput III.

De Enunciatione Simplici et Compoſitâ.

1. Enunciatio Simplex et Propoſitio idem ſunt. Propoſitio autem comprehendit ſub ſe Affirmationem et Negationem, ut initio hujus Libelli diximus. Hae non ſunt aeque Simplices; Affirmatio enim Negatione ſimplicior eſt, quia Negatio componitur ex Affirmatione et Adverbio negandi. Quia tamen neutra in ratione ſua importat plures Enunciationes, hinc ambae Simplices Enunciationes vocantur. Affirmatio enim unico ſimplicique Vero vel Falſo contenta eſt; Negatio autem non ſuperaddit ei aliud Verum Falſumve, ſed Modum negandi, quo appoſito adhuc remanere poteſt ſimplex Verum Falſumve, licet eo appoſito non maneat idem verum vel falſum.

2. Et videntur quidem ſola Affirmatio ac Negatio ut ſic Simplices Enunciationes eſſe; quia ut ſic unico et ſimplici Vero vel Falſo contentae ſunt. In individuo autem non datur Enunciatio ſimplex, cum quaevis Enunciatio plura dicat, ſive for-

maliter five confequenter, five expreffe five implicite; nam et dicit hoc quod formaliter dicit, et infuper in confequenti dicit fe effe veram; et rurfum quae hanc veram effe dixerit, etiam fe veram effe dicit, idque in infinitum; adeo ut omnis Enunciatio dictione fit infinita, ficut Phyfici demonftrant, omne Corpus divifione infinitum effe. Ultra haec, quaevis Enunciatio adhuc varia dicit; v. g. illa Propofitio: *Ens eft ens*, quae quibufdam fimpliciffima videtur, hoc dicit: *Et hoc ens eft ens*, *et illud ens eft ens*, et fic in infinitum. Haec, quae forte fimplicior quibufdam videbitur: *Petrus eft petrus*, hoc in confequenti dicit: *Aliquis homo eft petrus*; quod etiam difjunctione infinitum eft, nempe: *Vel hic homo eft petrus*, *vel ifte homo eft petrus*, *etc.*

3. Et quamvis hoc ita fit, ac nulla prorfus Enunciatio detur, in qua non lateant infinitae aliae Enunciationes; illa tamen paffim cenfetur Enunciatio fimplex, quae formaliter et expreffe tantum praefert unam Enunciationem; ut *Sto*, item *Homo eft animal*; illae enim ac fimiles formaliter unum tantum dicunt, quantumcunque multa dicant in confequenti. Enunciatio autem Compofita cenfetur, quae expreffe et formaliter plures Enunciationes ingerit, ut *Veni*, *vidi*, *vici*; ingerit enim tres ad minimum Enunciationes, idque ad oculum, expreffe, et primâ fronte. Enunciationes Compofitae ultimo refolvuntur in Simplices; quamvis enim Enunciatio Compofita poffit habere partem aliquam, quae et ipfa rurfum fit Enunciatio Compofita (qualis eft ifta *Veni*, *vidi*, *vici*, in qua ifta pars *Veni*, *vidi* rurfum compofita), tamen ultimo deveniendum eft ad Enunciationes fimplices.

4. Partes Enunciationis Compofitae, item Membra, cenfentur illae Enunciationes, quas formaliter et expreffe ingerit; ut in Compofita jam dicta, tres partes funt totidem Propofitiones in illa contentae. Partes ergo Enunciationis Compofitae non cenfentur quaevis quae in Enunciatione Compofita reperiuntur, fed tantum Enunciationes quae expreffe in illa ponuntur velut

ejus partes; Praedicata vero vel Subjecta iſtarum Enunciationum, nequaquam dicuntur Partes Enunciationis Compoſitae, quamvis latiori ſignificatu revera ſint partes ejus.

5. Pars Enunciationis Compoſitae vel eſt Proxima vel Remota. Pars Remota eſt pars partis; Pars Proxima eſt pars Enunciationis Compoſitae, ſed non partis ejus. Ideoque Enunciationem Compoſitam ſemper ut bimembrem conſideramus; v. g. iſtam: *Veni*, *vidi*, *vici*, ſic conſidero, ut unum ejus Membrum ſit *Veni*, alterum Membrum *Vidi*, *vici*, atque eâ conſideratione iſta Membra ſunt partes proximae praedictae Enunciationis; *Vidi* autem et *Vici* ſingulae tantum ſunt partes Remotae, quandoquidem ſub ea conſideratione tantum ſint partes poſterioris Membri ſeu partis.

6. Atque hinc etiam oritur Diviſio Enunciationis Compoſitae in Primo et Secundo Compoſitam. Primo Compoſita eſt quae non habet Partes Remotas, ſeu cujus nulla Pars rurſum eſt Enunciatio Compoſita; ut *Sto et loquor*; habet enim duas tantum Partes, eaſque proinde Proximas, ac nullas Remotas. Enunciatio autem Secundo Compoſita eſt, quae habet partes Remotas, ſeu cujus rurſum pars aliqua eſt Enunciatio Compoſita; ut *Veni*, *vidi*, *vici*; item iſta: *Omnis homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt animal*; illa enim Enunciatio ſic eſt Compoſita, ut Pars ejus, quae praecedit particulam *Ergo*, rurſum ſit Enunciatio Compoſita ex duabus aliis Enunciationibus.

Caput IV.

De Enunciatione Copulativa et Diſjunctiva.

1. Quia Enunciatio Compoſita plures exhibet Enunciationes, quae Partes ejus dicuntur, hinc etiam Enunciationi Compoſitae adjacet Enumeratio, quâ Partes illae enumerentur; quae Enumeratio vel eſt Copulativa vel Diſjunctiva. Enumeratio Copulativa fit mediante particula *Et*, conſtituitque Enunciationem

Copulativam; Enumeratio Diſjunctiva fit mediante particulâ *Vel*, conſtituitque Enunciationem Diſjunctivam. Aliter plura aliqua Enumerare non datur; atque ideo, cum plura numeramus, nec tamen diſjungimus, hoc ipſo ſatis copulaſſe videmur: ut hîc: *Veni*, *vidi*, *vici*, quod ideo idem eſt ac *Et veni*, *et vidi*, *et vici.*

2. Igitur Enunciatio Copulativa eſt, cujus Partes proximae Copulative enumerantur, ut *Sto et loquor*; et nempe Partes proximae, quia quomodo enumerentur Partes Remotae, non refert. Unde haec etiam eſt Copulativa: *Et vel ſto vel non ſto*, *et vel loquor vel non loquor*, licet partes ejus remotae non connectantur copulative. Enunciatio Diſjunctiva eſt, cujus Partes Proximae diſjunctive enumerantur, ut *Vel ſto vel loquor*, imo etiam iſta: *Vel et ſto et loquor*, *vel aut non ſto aut non loquor*, licet quaedam ejus partes remotae non enumerentur diſjunctive ſed copulative. Diſjunctiva non eſt tam proprie Enunciatio Compoſita quam Copulativa; quia Diſjunctiva non ſervat Partes ſuas integras et idem in ipſa valentes, quod alibi et ſeorſim poſitae valerent; ſiquidem qui dicit: *Sto vel loquor*, non dicit: *Sto*, quod tamen diceret, ſi partes illas extra Enunciationem Diſjunctivam ſeorſim et per ſe efferret. Proinde Enunciatio Diſjunctiva potius eſt Mixta Enunciatio quam Compoſita; partes enim in ipſa velut inter ſe miſcentur et refringuntur, ſecus atque contingit in Copulativâ, quae partes ſuas illibatas integraſque conſervat.

3. Particula *Et*, qua Partes proximae in Enunciatione Copulativa enumerantur, cenſetur Copula iſtius Enunciationis, et ſimiliter particula *Vel* cenſetur Copula Enunciationis Diſjunctivae. Sicut nimirum Verbum in Propoſitionibus eſt Copula, ſic in Enunciationibus Compoſitis *Et* aut *Vel*, quo partes earum proximae connectuntur, cenſetur earum Copula. Extrema autem Enunciationum Compoſitarum ſunt Partes earum proximae, inter quas illae particulae intercedunt. Solent autem Copulae

Compofitarum non tantum interponi inter fua Extrema, fed et praeponi; ut *Et fto et loquor*, ubi *Et*, quod agit ibi Copulam, non tantum interjicitur inter ifta Extrema, *Sto*, *Loquor*, fed etiam praeficitur.

4. Sed quid de Enunciatione Rationali, Caufali, Condicionali, Relativa, etc.: nonne funt etiam Compofitae? Refpondebo hic de Enunciatione Condicionali; de reliquis quid judicandum fit, patebit fequentibus Capp. Dico igitur, Enunciationem Condicionalem non effe proprie Compofitam; primo, quia non fervat Partes fuas integras. Ut patet hîc: *Si fto, ftare poffum*; qui enim hoc dixerit, nec ideo fe ftare dicet, nec ideo dicet fe poffe ftare, quod tamen diceret fi partes illas alibi et feorfim efferret. Hinc igitur fequitur, Enunciationem Condicionalem non effe proprie Compofitam, fed ad fummum Mixtam effe, ficut dictum eft de Enunciatione Difjunctiva. His accedit, quod Enunciatio Condicionalis habeat Copulam Impuram, imo nihil aliud directe infinuet quam Copulam; unde cum dico: *Si fto, ftare poffum*, non aliud dico quam: *Ex fto fequitur ftare poffum*, id eft: *Stare poffum eft confequens ex fto*; quod fane non eft aliud quam fimpliciter affirmare. Subjectum enim ibi eft *Stare poffum*, Copula *Eft*, Praedicatum *Confequens ex fto*, atque ideo nihil ibi obfervare eft praeter fimplicem Affirmationem.

5. Sed quidquid fit, et quamvis liquido mihi conftet, Enunciationem Condicionalem (de Difjunctiva idem cenfeo) effe fimplicem Enunciationem; habetur tamen paffim a Logicis pro Enunciatione Compofita; atque nos ipfi eandem inter Compofitas recenfemus par. 3. ubi de Argumen. Et Definitio Enunciationis Compofitae pridem data non excludit Condicionalem; fiquidem Enunciationem Compofitam definivi Enunciationem expreffe plures Enunciationes exhibentem; quod fane etiam praeftat Enunciatio Condicionalis.

Caput V.

De Copulâ Grammaticali.

1. Enunciationis Compoſitae velut anima quaedam eſt Copula Grammaticalis; habetque ſe in Enunciatione Compoſita ſicut Verbum in Propoſitione. Copula Grammaticalis eſt particula, quae juncta Propoſitioni, ſenſum inficit, reſarciendum appoſitione alterius Propoſitionis; ut particula *Et.* Sumptâ enim v. g. illâ Propoſitione: *Sto*, ſenſum perfectum habes; ſed ſi ei praedictam particulam adjunxeris hoc modo: *Sto et*, inficitur ſenſus atque imperfectus redditur, aſt adjunctâ altera Propoſitione, v. g. *Loquor*, ſenſus denuo perficitur, hoc modo: *Sto et loquor.* Simile quid facile obſervabis in illa particula: *Vel*, *Ergo*, *Si*, *etc.*

2. Sex igitur vel ſeptem Copulas Grammaticales deprehendo. Copulativam, *Et*, Diſjunctivam, *Vel*, Condicionalem, *Si*, Illativam, *Ergo*, Cauſalem, *Quia*, Similarem, *Sicut*, Temporalem, *Quando*; quarum tamen aliquae ſaepe ſunt aequivalentes. Atque hinc totidem oriuntur ſpecies Enunciationum Compoſitarum iiſdem nominibus gaudentium; nempe Enunciatio Copulativa, cujus Copula eſt *Et*, ut *Sto et Loquor*; Enunciatio Diſjunctiva, cujus Copula eſt *Vel*, ut *Vel ſto vel loquor*; Condicionalis, cujus Copula eſt *Si*, ut *Si ſto*, *loquor* (quamvis haec falſa ſit; quod equidem eſt impertinens ad Enunciationem hujus aut illius ſpeciei); Illativa, cujus Copula eſt *Ergo*, ut *Sto*, *ergo ſtare poſſum*; Cauſalis, cujus Copula eſt *Quia*, ut *Quia curro*, *laſſor*; Similaris, cujus Copula eſt *Sicut*, ut *Affirmatio eſt in Negatione*, *ſicut navis eſt in naufragio*; Temporalis denique, cujus Copula eſt *Quando*, ut *Eclipſis fit*, *quando Terra interponitur inter Solem et Lunam.* Copula Grammaticalis cenſetur eſſe Copula hujus aut illius Enunciationis Compoſitae, quando intercedit inter partes proximas illius; quae enim tantum inter partes remotas intercedit (quod contingit in Secundo Compoſitis),

non cenſetur Copula ipſius Enunciationis, ſed Partis ejus.

3. Inter haſce Copulas quaedam ſunt Purae, quaedam Impurae. Pura Copula eſt, quae non aliud eſt quam Copula Impura Copula eſt, quae ſic copulat, ut implicite etiam Propoſitionem aliquam contineat. Copulae purae ſunt ſolum *Et* et *Vel.* Reliquae omnes ſunt impurae et continent implicite aliquam Propoſitionem, adeoque non copulant tantum, ſed ut plurimum etiam copulantur; ut *Ergo*, v. g. hic: *Sto*, *ergo loquor*; ſenſus enim eſt: *Et ſto et loquor*, *et ex ſto recte ſequitur loquor*, quae ultima Propoſitio in ſenſu, continetur implicite in Copula *Ergo* praecedentis Enunciationis. Idem apparet in Copula *Quia* hîc: *Quia curro*, *laſſor*, ſenſus enim eſt: *Et curro et laſſor*, *et curſus meus eſt cauſa laſſitudinis mea.* Ibi rurſum poſtrema Propoſitio continetur in *Quia* praecedentis Cauſalis. Hoc autem ſpeciale eſt in Copula Condicionali, quod illa non tam partem aliquam contineat, quam integram Enunciationem Condicionalem, ita ut a partibus tantum determinetur. Ut ſatis patet ex dictis praeced. Cap. ſub finem.

4. Copulae Purae hoc habent peculiare, quod in quibuſdam aliis Notis Subjectum praecedere conſuetis includantur, ſcilicet in iſtis Notis: *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*, quia *Omnis* et *Nullus* includunt Copulam *Et*; *Aliquis* autem includit Copulam *Vel.* Atque ea eſt differentia inter *Omnis* et *Nullus*, quod *Omnis* includat *Et* ſimpliciter; *Nullus* autem includit *Neque*, quod eſt *Et non.* V. g. *Omnis homo eſt doctus*, id eſt, *Et Petrus eſt doctus et Paulus eſt doctus*, *etc.*, ubi illud *Et* expreſſe redditum in ſenſu, implicite continebatur in Notâ *Omnis*, praefixâ Subjecto praecedentis Propoſitionis. *Nullus homo eſt doctus*, id eſt, *Et Petrus non eſt doctus*, *etc.* Vide ſupra de Acceptione. Hoc etiam peculiare eſt Copulis Puris, quod geminari ſaepe ſoleant, ac Extremis, quae connectunt, et praefigi, et ſimul etiam interponi; ut hîc: *Et ſto et loquor*, item *Vel ſto vel loquor.* Quod in aliis Copulis Grammaticalibus non habet locum, quae

vel praefiguntur tantum, vel tantum intercedunt inter Extrema ſua; ut *Quia curro, laſſor*, aut *Laſſor quia curro.*

5. Et quidem naturalis locus Copulae eſt medius inter Extrema; atque inde etiam Copula dicta eſt, quia velut vinculum quoddam intercedat. Hinc et omnes Copulae Grammaticales illum locum admittunt, imo exigunt ſi ſenſum ſpectes. Sic v. g. Copula *Et* occupat hîc ſolum locum medium: *Sto et loquor*, Diſjunctiva hîc: *Sto vel loquor*, Condicionalis hîc: *Stare poſſum, ſi ſto*, Illativa hîc: *Sto, ergo ſtare poſſum*, Cauſalis hîc: *Laſſor quia curro*, etc. Tres etiam ſunt Copulae, quae medio loco aſtrictae ſunt: *Et*, *Vel*, *Ergo*, quarum priores tamen per ſui geminationem in anteriora diffundi poſſunt, poſtrema, tantum in medio conſiſtit. Reliquae Copulae ſinunt ſe antrorſum revelli; ut Condicionalis hîc: *Si ſto, ſtare poſſum*, Cauſalis hîc: *Quia curro, laſſor*, Temporalis hîc: *Quando curro, laſſor.* Similaris autem non revellitur e medio, niſi relicto aliquo ſui veſtigio v. g.: *Sicut navis eſt in naufragio, ſic Affirmatio eſt in Negatione.* Ibi veſtigium *Sic* relinquitur in medio. Porro, cum Copulae ſic revelluntur in anteriora, mutandus eſt ordo Extremorum; quod enim poſtremum erat inter Extrema, Copulâ locum medium occupante, id eâdem ſurſum retractâ, fit primum; ut in Exemplis propoſitis ſatis patet.

6. Fiunt autem illae Revulſiones Copularum, ut facilior ſit Contradictio. Si enim dixeris: *Quia curro, laſſor*, facile formabitur Contradictoria: *Non quia curro, laſſor.* Sed ſi dixeris: *Laſſor quia curro*, non perinde expedita erit Contradictio; nam haec: *Laſſor non quia curro* non eſt Contradictoria ejus, ſed multo minus haec eſt Contradictoria ejus: *Non laſſor quia curro*, niſi forte ſumas Adverbium *Non*, ut cadat in totum (pro ut loqui ſolent), quod tamen difficultatem et obſcuritatem parit in ſenſu. Hinc Enunciationi Rationali difficilis eſt Contradictio, et in eâ negandâ potius per partes procedimus, ut patet inter diſputandum.

Caput VI.

De Enunciatione Formaliter, et Aequivalenter Copulativâ.

1. Omnis Enunciatio quodammodo Aequivalenter Copulativa eſt. Continet enim quaevis Enunciatio per bonam Conſequentiam plures imo infinitas Enunciationes, et eas Copulative continet hoc ipſo, quo non diſjungit illas; haec ſatis clara ſunt ex ante dictis. Strictius ſumo Enunciationem Aequivalenter Copulativam pro ea, quae ratione certae ſuae particulae praeciſe continet plures Enunciationes Copulative enumerandas; ut *Omne animal praeter hominem eſt irrationale*; continet enim, ratione iſtius particulae *Praeter*, tres Propoſitiones Copulative enumerandas, hoc modo: *Et homo eſt animal, et homo non eſt irrationalis, et omne animal diſtinctum ab homine eſt irrationale.* Strictiſſime capio Enunciationem Aequivalenter Copulativam pro illa Enunciatione Compoſita, quae ratione Copulae Impurae continet aliquam partem, cum reliquis ſuis partibus Copulative enumerandam; ut: *Sto, ergo ſtare poſſum*; haec enim ratione Copulae *Ergo* continet implicite iſtam partem: *Ex ſto ſequitur ſtare poſſum*, copulative enumerandam cum reliquis partibus hoc modo: *Et ſto, et ſtare poſſum, et ex ſto recte ſequitur ſtare poſſum.*

2. Aequivalenter Copulativa ſic ſumpta comprehendit quatuor Species Enunciationis Compoſitae: Rationalem, Cauſalem, Similarem et Temporalem. Rationalis eſt, in quâ Copula *Ergo* continet aliquam partem, cum caeteris partibus Copulative enumerandam; ut *Sto, ergo ſtare poſſum.* Et Nota, Enunciationem Rationalem non coincidere cum Enunciatione Illativâ, ſed eſſe quandam ejus Speciem; quia Enunciatio Illativa eſt cujus Copula eſt *Ergo*, adeoque comprehendit etiam ſub ſe certam Condicionalem, v. g. hanc: *Si ſto, ergo ſtare poſſum*, aut etiam: *Si ſto, ſtare poſſum* (*ergo* enim in hac poſteriori perinde ponitur implicite, ſicut in priori expreſſe); etiamſi enim

Copula ibi fit *Si*, adeoque Enunciatio fit Condicionalis, tamen etiam Copula eft *Ergo*, adeoque Enunciatio etiam eft Illativa. Igitur Condicionalis Illativa non eft Aequivalenter Copulativa; etfi enim Copula ejus implicite contineat aliquam Propofitionem, non tamen haec Propofitio cum aliis partibus Enunciationis Condicionalis copulative enumeranda venit. Siquidem fenfus iftius: *Si fto*, *ftare poffum*, non eft hic: *Et fto et ftare poffum*, *et ex fto fequitur ftare poffum* (cum qui prius illud dicit, nec fe ftare, nec fe poffe ftare dicat), fed fimpliciter fenfus eft: *Ex fto fequitur ftare poffum.*

3. Enunciatio igitur Illativa dividitur in Rationalem et Condicionalem Illativam; quae in eo differunt, quod illa fit Aequivalenter Copulativa, haec minime: quia haec Aequivalenter non eft nifi Enunciatio Simplex feu Propofitio. Dico autem, Enunciationem Illativam dividi in Rationalem et Condicionalem (non fimpliciter, at) Illativam; quia non omnis Enunciatio Condicionalis continetur fub Illativa, fed tantum illa Condicionalis, in qua Copula *Si* admittit confortium Copulae *Ergo.* At Condicionalis, in qua Copula *Si* refpuit confortium Copulae *Ergo*, non eft Illativa, fed pure Condicionalis, ut: *Si bene ftudueris*, *dabo tibi pulchrum equum;* fenfus enim non permittit eam fic efferri: *Si bone ftudueris*, *ergo dabo tibi pulchrum equum.*

4. Enunciatio Caufalis eft Enunciatio Aequivalenter Copulativa, in qua Copula *Quia* implicite continet aliquam partem cum caeteris partibus Copulative enumerandam. Ut: *Quia curro*, *laffor*; ibi enim Copula *Quia* implicat hanc Propofitionem: *Curfus meus eft caufa laffitudinis meae*, quae Propofitio cum aliis praedictae Enunciationis Caufalis Copulative enumeranda fit hoc modo: *Et curro et laffor et Curfus meus eft caufa laffitudinis meae.* Simile quid facile deprehendes in Enunciatione Temporali et Similari; Prolixitatis evitandae caufa fuperfedeo.

5. Atque ita patet Categoria Enunciationis Compofitae. Nempe

ea primo dividitur in Compofitam ftricte dictam et Mixtam. Compofita ftricte dicta eft quae partes fervat integras et idem in eâ, quod alibi et feorfim pofitae, valentes. Mixta eft, quae partes fuas confundit et refringit, ita ut non idem in ipfâ, quod extra ipfam et feorfim pofitae, valeant. Enunciatio Mixta dividitur in Difjunctivam et Condicionalem. Enunciatio ftricte Compofita coincidit cum Copulativâ late dictâ; dividiturque in Copulativam Formaliter, cujus nulla partium in Copula Grammaticali implicatur, et Aequivalenter Copulativam. Sub qua funt Rationalis, Caufalis, Similaris et Temporalis.

Caput VII.

De Enunciatione Relativa.

1. Enunciatio Relativa ambigit quodammodo inter Enunciationem Simplicem et Compofitam. Enunciatio Relativa eft, in cujus Subjecto vel Praedicato reperitur particula *Qui*, infequente Verbo puro vel modificato; ut: *Petrus qui eft doctus*, *eft probus*; ibi particulam *Qui* infequitur Verbum purum. Item: *Petrus*, *qui non eft doctus*, *eft probus*; ubi particulam *Qui* infequitur Verbum modificatum Adverbio negandi, feu ifto Modo: *Non.* Hoc Verbum, quod fic proxime fequitur particulam *Qui*, in Enunciatione Relativa, vocant Logici *Copulam implicationis*; ego malim dicere *Copulam relationis*, fequitur enim proxime particulam *Qui*, quae Relationem defignat. Ultra Copulam implicationis agnofcunt in Enunciatione Relativa *Copulam principalem*; ego malim dicere *Copulam propofitionis*, quia nempe partes principales Propofitionis Relativae, Subjectum, inquam, et Praedicatum, integra conjungit; ut hîc: *Petrus*, *qui eft doctus*, *eft probus*; prius *Eft* eft Copula Relationis, pofterius *Eft* eft Copula Propofitionis.

2. Relativa, alia eft relati Subjecti, alia relati Praedicati. Relati Subjecti eft, in qua Copula Relationis continetur in

Subjecto, atque adeo Copula Relationis praecedit Copulam Propofitionis; tales funt hactenus affignatae. Relativa relati Praedicati eft, in qua Copula Relationis continetur in Praedicato; atque ea rarior eft; ut: *Petrus eft animal quod eft rationale.* Aliter dividitur in expreffe et implicite Relativam, pro ut fcilicet Copulam Relationis expreffe vel implicite involvit; haec enim etiam eft Relativa: *Non-animal non poteft effe homo;* etiamfi enim expreffe non fonet ibi nec particula *Qui*, nec Copula Relationis, implicite tamen ibi adfunt; fenfus enim eft: *Id quod non eft animal*, *non poteft effe homo.*

3. Propofitionem implicite Relativam, in qua Copula Relationis afficitur Adverbio negandi *Non*, vocant Logici *Propofitionem infinitam*; quales funt iftae: *Non poteft effe animal*, *Aliquod non brutum eft homo*, *Aliquod non brutum non eft homo*, dando hunc fenfum, qui et obvius eft in praedictis Propofitionibus: *Id quod non eft homo*, *poteft effe animal*, *Aliqua res quae non eft brutum*, *eft homo*, *Aliqua res quae non eft brutum*, *non eft homo.* Ibi quidem priores Propofitiones Infinitas dicunt; pofteriores vero, quae fenfum earum exacte reddunt, non dicerent Infinitas; quod equidem fcio ex quo eorum errore proveniat, et infra dicam, Cap. 11.

4. Quaeftio jam fit, An Enunciatio Relativa fit Compofita, an fimplex. Refpondeo: juxta definitionem Enunciationis Compofitae ante datam (nempe: Enunciatio Compofita eft, in qua expreffe plures exhibentur Enunciationes) Relativa inter Compofitas recenfenda non videtur; quia in ea non reperiuntur expreffe plures Enunciationes, fed una Enunciatio, imperfecto quopiam intercedente, diftincta. Ut: *Petrus qui eft doctus*, *eft probus*, ubi habetur integra illa Enunciatio, *Petrus eft probus*, eaque interpolatur circa Subjectum fuum hoc imperfecto themate, *Qui eft doctus.* Sunt qui definiant Enunciationem Compofitam: *Cujus Copula eft Copula Grammaticalis*; fed nec juxta eos Enunciatio Relativa debet dici Compofita, cum particula *Qui*

non ſit Copula Grammaticalis; etiamſi enim addita Propoſitioni inficit ſenſum, is tamen non reſarcitur ſubſequente Propoſitione, ſed Copulâ cum Praedicato.

5. Hoc interim verum eſt, Enunciationem Relativam aequivalere Enunciationi Copulativae ex duabus Propoſitionibus, quarum una conſtat Copulâ Relationis, et altera Copulâ Propoſitionis. V. g.: *Petrus, qui eſt doctus, eſt probus*, id eſt: *Et Petrus eſt doctus et Petrus eſt probus.* Item: *Omne animal quod non eſt rationale, eſt brutum*, id eſt: *Quoddam animal non eſt rationale, et omne tale animal eſt brutum*, etc.

Caput VIII.

De Propoſitione Quanta.

1. Propoſitio Quanta eſt, quae conſtat Subjecto communius ſumpto, id eſt ſumpto pro pluribus laxe enumerandis. Dividiturque in Propoſitionem Univerſalem, quae conſtat Subjecto univerſaliter ſumpto ſeu diſtributo, et Particularem, quae conſtat Subjecto particulariter ſumpto; prioris generis eſt iſta: *Omnis homo eſt doctus*, item iſta: *Nullus homo eſt doctus*; poſterioris generis eſt iſta: *Aliquis homo eſt doctus*, item iſta: *Aliquis homo non eſt doctus.* Adeo ut Quantitas Propoſitionis non ſit aliud quam certa Acceptio Subjecti Propoſitionis, nempe Acceptio communior; ex quo et hoc ſequitur, quod Quantitas non ſit Affectio Propoſitionum, ſed Terminorum, et nominatim Subjectorum.

2. Cenſentur autem Propoſitiones ejuſdem Quantitatis eſſe, quae vel ambae ſunt Univerſales, vel ambae ſunt Particulares; ut iſtae: *Omnis homo eſt doctus*, *Nullus homo eſt doctus*, ejuſdem Quantitatis ſunt quia ſunt ambae Univerſales; item iſtae ſunt ejuſdem Quantitatis: *Aliquis homo eſt doctus*, *Aliquis homo non eſt doctus*, quae ſunt ambae Particulares. Propoſitiones diverſae Quantitatis dicuntur, quarum una eſt Univerſalis et altera Par-

ticularis; ut utralibet duarum priorum ſumpta cum utrâlibet duarum poſteriorum. Caeterae Propoſitiones, licet non ſint ejuſdem Quantitatis, non tamen proprie dicuntur diverſae Quantitatis; v. g. iſtae: *Omnis homo eſt doctus*, *Hic homo eſt doctus*, licet non ſint ejuſdem Quantitatis, non ſunt tamen diverſae Quantitatis, cum poſterior earum nullius ſit Quantitatis.

3. Propoſitio Univerſalis vel eſt Affirmativa, ut *Omnis homo eſt doctus*, vel Negativa, ut *Nullus homo eſt doctus*; quamvis poſterior illa non ſit formaliter Negativa, ſed tantum aequivalenter, quod patebit infra. Similiter Propoſitio Particularis alia eſt Affirmativa, ut *Aliquis homo eſt doctus*, alia Negativa, ut *Aliquis homo non eſt doctus.* Et quidem in Univerſali Negativa utrumque Extremum diſtribuitur; in Univerſali Affirmativa ſolum ſubjectum diſtribuitur; in Particulari Negativa ſolum Praedicatum diſtribuitur; in Particulari Affirmativa neutrum Extremum diſtribuitur. Item in Particulari Affirmativa utrumque Extremum accipitur particulariter; in Particulari Negativa ſolum Subjectum accipitur particulariter; in Univerſali Affirmativa ſolum Praedicatum accipitur particulariter; in Univerſali Negativa neutrum Extremum accipitur particulariter. Hae Regulae diligentiſſime ſunt obſervandae; ex iis enim ſtatim patebit, an in Argumento aliquo fiat proceſſus a non diſtributo ad diſtributum, qui proceſſus eſt Argumentorum velut quaedam Scylla. Supponunt autem hae Regulae Propoſitiones uſitatas et obvias.

4. Praeter Univerſalem et Particularem, omnes reliquae Propoſitiones dicuntur non-Quantae; et ſiquidem Subjectum accipiatur ſingulariter, Propoſitio dicitur Singularis; ut *Petrus eſt doctus.* Et pari licentiâ poſſemus Propoſitionem Logicam, Grammaticam, Quaſi-univerſalem, et Quaſi-particularem dicere, pro ut ſcilicet Sudjectum ejus hac vel illâ Acceptione capitur. Sic iſta eſt Propoſitio Logica: *Mus ſubalternatur animali*, iſta eſt Propoſitio Grammatica: *Mus eſt tertiae declinationis*, etc. Sed

quid de Propofitione Indefinita cenfemus? Haec non eft aliud, quam Propofitio Quanta, cujus tamen Subjecto nota Quantitatis non praefigitur expreffe; ac proinde illa neceffario vel Univerfalis eft vel Particularis, ut non fit neceffe Propofitionem Indefinitam tamquam tertiam Speciem inter Quantas reponere. Propofitio autem Indefinita, cum eft Affirmativa, habet fenfum propofitionis Univerfalis; ut: *Animal eft homo;* haec enim in obvio fenfu eft falfa; effet tamen vera fi haberet fenfum Propofitionis Particularis. Si vero Propofitio Indefinita fuerit Negativa, habet fenfum Propofitionis Particularis; ut *Animal non eft homo;* haec enim vera eft in obvio fenfu (quia proxime praecedens falfa eft), non foret autem vera fi haberet fenfum Propofitionis Univerfalis.

5. Inquirendum reftat, fitne Propofitio Quanta revera Propofitio, an non potius Enunciatio Compofita. Refpondeo: juxta eos qui diftinguunt Propofitionem et Enunciationem Compofitam mere penes fuas Copulas, Propofitioni Verbalem et Enunciationi Compofitae Grammaticalem Copulam addicentes, fatendum fane eft, Propofitiones Quantas non effe revera Propofitiones, fed Enunciationes Compofitas, Univerfalem quidem Copulativam, Particularem vero Difjunctivam. Copula enim Enunciationis Univerfalis continetur in Nota *Omnis* aut *Nullus*, Subjecto expreffe vel implicite praefixâ, quae Copula eft *Et.* Similiter Copula Enunciationis Particularis continetur in *Aliquis.* Nullâ autem ratione ftatui poteft, Copulam iftarum Enunciationum effe Copulam Verbalem, cum illa tantum fit Copula partium in ipfis, ut clariffime conftat ex fenfu; adeo ut *Eft* in Propofitione Quanta non fit aliud quam multiplex Copula partium; *Et* autem aut *Vel*, quod Notae Quantitatis includitur, fit Copula ipfius Propofitionis Quantae, partes illas inter fe connectens.

Caput IX.

De Propoſitionibus Inuſitatis et Inordinatis.

1. Duorum generum Inuſitatas Propoſitiones deprehendo. Primi generis ſunt Quantae conſtantes Praedicato ſingulariter ſumpto; ut: *Omnis homo eſt Petrus*, *Nullus bos eſt Petrus*, *Aliquis homo eſt Petrus*, *etc.* Huc etiam revocari poſſunt omnes Propoſitiones Quantae, quarum Praedicata non accipiuntur Univerſaliter vel Particulariter, etiamſi etiam non accipiantur ſingulariter; ut: *Aliqua quatuor ſunt omnia elementa*, *Aliquod neceſſarium ad navigandum eſt aliqua navis*, *Aliquod Subalternum animalis eſt homo.* Siquidem Acceptio talis Praedicatorum aequiparatur Acceptioni Singulari.

2. Secundi generis Inuſitatae ſunt, quarum Praedicatis praefigitur proxime Nota Quantitatis; v. g.: *Petrus eſt omnis homo*, *Aliquod animal eſt omnis homo*, *Nullus homo eſt omne animal*, *etc.* Atque hujus generis Propoſitiones magis Inuſitatae ſunt quam Propoſitiones prioris generis. Propoſitiones Inuſitatas non ſuppono; cum enim nullius ferme ſint uſus in ſeriis Argumentationibus, multas tamen exceptiones et mutationes inducunt in Logicorum Regulas apud eos qui illas etiam in cenſum admittunt.

3. Propoſitio Inordinata eſt, in cujus expreſſione aliquid extra ordinem illum, quem ſenſus requirit, deturbatum eſt. Senſus autem Propoſitionis requirit Subjectum primo loco ſtare, ſuccedere Copulam cum praefixis Modis, ſi qui adſint, et tandem ultimo loco Praedicatum ſubſiſtere. Unde haec Propoſitio eſt Inordinata: *Animal eſt homo*, ſi hic ei ſenſus reſervetur: *Homo eſt animal*, atque eo ſenſu vera eſt. Alias prior illa Propoſitio non eſt inordinata, ſi capiatur ut falſa, ut nempe Subjectum ejus ſit *Animal*, et Praedicatum ejus ſit *Homo* (quod pauci videntur advertiſſe); ſed eſt inordinata, quando *Animal*, etſi non exprimatur loco Praedicati, pro Praedicato tamen compu-

tatur in ſenſu, et ſimiliter *Homo*, etſi non ponatur loco Subjecti, quoad expreſſionem, computatur tamen in ſenſu pro Subjecto. Propoſitionibus Inordinatis utimur ſaepe elegantiae cauſa: eo enim ventum eſt, ut quod diſtortum ac perverſum eſt, feſtivum ac argutum videatur.

Caput X.

De Enunciatione Modali.

1. Modus Logicus coincidit cum Adverbio ſtricte ſumpto. Eſtque Dictio, quae ſenſu cohaeret cum Copula, aliter tamen cohaeret quam velut Extremum ejus. V. g. cum dico: *Petrus eſt homo*, ibi *Petrus* et *Homo* cohaerent cum Copula; non ſunt tamen Modi Logici iſtius Copulae, quia cohaerent cum Copula tamquam Extrema Copulae. Sed ſi dixero: *Petrus neceſſario eſt homo*, ibi *Neceſſario* ita cohaeret quoad ſenſum cum Copula Verbali, ut tamen non cohaereat cum illa velut Extremum ejus; adeoque illa dictio *Neceſſario* eſt Modus Logicus. Tales Modi etiam ſunt *Impoſſibiliter*, *Poſſibiliter*, *Contingenter*, *Forſitan*, *Veriſimiliter*, *Certo*, et Modus frequentiſſimus, *Non*, *etc.*; hae enim omnes Dictiones poſſunt cohaerere quoad ſenſum cum Copulis aliter quam ut Extrema Copularum. *Celeriter* autem, *Sapienter*, *Docte*, *Valde*, *Nimis*, *etc.*, non ſunt Modi Logici, quia non cohaerent unquam cum Copulâ quoad ſenſum, ſed tantum cum Extremo Copulae, nempe cum aliquo Adjectivo vel Participio. V. g.: *Petrus celeriter currit*; ibi *Celeriter* non cohaeret cum *Eſt*, incluſo in *Currit*, ſed cum *Currens*, quod ibidem includitur. Similiter in his: *Petrus ſapienter agit*, *Valde garrulus eſt*, *Nimis levis*, *etc.*, illa Adverbia Grammatica (non ſunt enim Adverbia Logica) cohaerent cum Praedicatis iſtarum Propoſitionum, non cum Copulis.

2. His poſitis facile dicitur, quid ſit Enunciatio Modalis; nempe Enunciatio cujus Copula afficitur Modo, ſeu cum cujus

Copula quoad ſenſum cohaeret aliquis Modus Logicus. Non cenſetur autem cohaerere Modus Logicus cum certâ Copulâ, niſi eam quoad ſenſum proxime praecedat. Sic iſtae ſunt Enunciationes Modales: *Petrus neceſſario eſt homo*, *Petrus poſſibiliter eſt rex*, *Arenae maris forſitan ſunt numero pari*, *etc.*, quia Copulas earum proxime praecedit Modus aliquis, tum quoad ſenſum, tum etiam (quod in Exemplis convenit) quoad expreſſionem. Hae vero non ſunt Modales: *Et contingenter ſto et contingenter ſedeo*, *Vel impoſſibiliter ſum homo vel impoſſibiliter ſum brutum*, *Si non poſſum ſtare non ſto*; licet enim in iis reperiantur Modi, illi tamen non afficiunt earum Copulas, ſed Copulas partium. Hoc igitur diligenter curandum eſt in Modalibus Quantis ac Compoſitis, ut Modus cadat in earum Copulas Grammaticales, et eas ſenſu ac, quantum fieri poteſt, expreſſione proxime praecedat. Si enim afficiat in illis tantum Copulas Verbales, non efficiet Enunciationes Modales, cum illae ſint tantum Copulae partium, non vero Copulae iſtarum Quantarum aut Compoſitarum. Unde neque iſtae ſunt Enunciationes Modales: *Aliquod animal impoſſibiliter eſt homo*, *Omnis homo poſſibiliter eſt Romae.* Sic Modales facies: *Impoſſibiliter aliquod animal eſt homo*, *Poſſibiliter omnis homo eſt Romae*; jam enim Copulae iſtarum Quantarum afficiuntur Modo. Similiter et haec Compoſita non eſt Modalis: *Et impoſſibiliter ſto, et impoſſibiliter ſedeo* (eſtque falſa); ſic Modalem facies: *Impoſſibiliter et ſto et ſedeo*, quod jam verum eſt.

3. Enunciatio Modalis habet duas partes, Modum et Enunciationem Modificatam. Quid ſit Modus, dixi; Modificata eſt reſtantia Enunciationis Modalis, quae ſupereſt ablato ex ea Modo. V. g. haec eſt Enunciatio Modalis: *Petrus neceſſario eſt homo*; Modus in ea eſt *Neceſſario*, quo ablato, quod reſtat, eſt Enunciatio Modificata, nempe *Petrus eſt homo.* Quod ego *Modificatum* voco, Logici communiter vocant *dictum* Enunciationis Modalis; ſed nomenclaturam iſtam non fero. Etiamſi

enim non ſit altercandum de nomine, et mihi etiam probetur ille Logicorum Verſiculus: *Cum de re conſtat, non ſit de nomine pugna*, ibi tamen nomenclatura nata eſt confuſionem et perverſum intellectum ingenerare; ſane caſtiganda eſt. Nempe Modificata non dicitur ſemper ab Enunciatione Modali, imo vix unquam ab illa dicitur. V. g. *Petrus non eſt brutum*, *Petrus impoſſibiliter eſt brutum*, *Arenae maris forſitan ſunt numero pari*, ſunt Enunciationes Modales, et tamen non dicunt ſuas Modificatas; nec enim ibi dicitur Petrum eſſe brutum, aut Arenas maris eſſe numero pari, ſed illud non eſſe, aut impoſſibile eſſe, hoc forſan eſſe, ſeu dubium eſſe dicitur. Unde, ſi poſtea germano ſenſu dixerimus, Petrum non poſſe eſſe brutum, dicitur ab illa Enunciatione: *Petrus impoſſibiliter eſt brutum*, ſeu iſtud eſt Dictum hujus Enunciationis, orietur ex Homonymo mala confuſio.

4. Modi inventi ſunt, ut de ipſis Enunciationibus poſſimus affirmare. Modus enim eſt velut Praedicatum, quod affirmatur de Modificata. Cum enim Modificata minus apta ſit ut occupet locum Subjecti, ſubſequente aliâ Copulâ et Praedicato (velut iſta locutio eſt incommoda: *Carolus eſt rex*, *eſt contingens*), hinc inventi ſunt Modi, quibus appoſitis ad Copulam, de ipſa Enunciatione affirmaſſe cenſemur, quod ejus Copulae adverbialiter affiximus. V. g. hanc Propoſitionem: *Carolus eſt rex*, contingentem eſſe, ſic commode et breviter dicimus: *Carolus contingenter eſt rex.* Eundem in finem inventus videtur Modus Infinitivus apud Grammaticos, qui commodior adhuc fuiſſet, ſi per Caſus Declinabilem feciſſent, ſicut reliqua nomina. Unde hoc pacto etiam ſatis commode de Enunciationibus affirmamus, v. g.: *Carolum eſſe regem eſt contingens*, *Carolum eſſe hominem oportet.* Et hinc adducor ut credam omnem eam Enunciationem eſſe Modalem, quae de alia Enunciatione affirmat; eo enim tantummodo ſpectant Modi, eo ſolum fine efformati ſunt, ut de ipſis Enunciationibus commoda ſit Affirmatio. Exteriorem

tamen Formam conſiderando, quam Logici magis conſiderare ſolent, eas ſolummodo Modales eſſe dicerem, quarum Copula afficitur Adverbio. Ex quo etiam clare patet, cur iſtae non ſint Modales: *Petrus ſapienter agit*, *Eleganter ſcribit*, *etc.*; nihil enim ibi de Enunciationibus affirmatur, cum non ſit ſenſus: *Petrus agit*, *eſt Enunciatio ſapiens*, aut: *Petrus ſcribit*, *eſt Enunciatio elegans.* Hîc vero: *Petrus neceſſario eſt homo*, *Petrus non eſt brutum*, ſenſus reddi poteſt: *Petrus eſt homo*, *eſt Enunciatio neceſſaria*, *Petrus eſt brutum*, *eſt Enunciatio falſa;* atque adeo ibi de ipſis Enunciationibus inſtituitur Affirmatio, et ſic efficiuntur Modales.

5. Modalis ſic realiter ſumpta dividitur in Modalem de Modo nominali, de Modo verbali, de Modo adverbiali. De Modo Nominali ſunt iſtae: *Carolum eſſe hominem eſt neceſſarium*, *Carolum eſſe regem eſt contingens*, *Eſſe exſulem eſt poſſibile*, *Bellaturum eſt incertum*, *Egere eſt falſum*; ibi enim Modi, qui de Modificatis affirmantur, exprimuntur nominaliter, nimirum ut Adjectiva. De Modo Verbali ſunt iſtae: *An Carolus bellaturus ſit dubitatur*, *Carolus poteſt eſſe exſul*, *Contingit Carolum eſſe regem*, *Oportet eſſe hominem*; ibi enim Modi cum Copulâ, mediante qua affirmantur, complicantur in verbis Grammaticis *Oportet*, *Contingit*, *etc.* De Modo Adverbiali ſunt iſtae: *Carolus neceſſario eſt homo*, *Carolus contingenter eſt rex*, *Poſſibiliter eſt exul*, *Forſitan bellabit*, *Carolus non eget.* Atque hae poſtremi generis tantum ſunt Modales proprie dictae et formaliter loquendo. Ex quibus Exemplis conſtat, ſubinde hujus aut illius Speciei Modalem ſuppetere, cum non ſuppetit Modalis alterius Speciei de eodem Modo. V. g. haec eſt Modalis de Modo Adverbiali: *Petrus non eſt doctus*, haec ei correſpondet de Modo Nominali: *Petrum eſſe doctum eſt falſum.* At nulla ei correſpondet de Modo verbali, penuriâ vocum; ſi enim eſſet Verbum Grammaticum, quod eodem modo diceret *Falſum eſſe*, ſicut *Oportet* dicit *Neceſſum eſſe*, jam etiam haberemus Mo-

dalem de Modo Verbali correſpondentem iſtis Modalibus de Modis Adverbiali et Nominali.

6. Ad veritatem Enunciationis Modalis requiritur et ſufficit, ut Modificata ſit talis, qualis eſt Modus, id eſt, ut Modus nominaliter expreſſus vere affirmetur de Modificata infinitive expreſſâ. V. g. iſta eſt vera: *Petrus neceſſario eſt homo*, quia exprimit infinitive Modificatam hoc modo: *Petrum eſſe hominem*; de ea ſic expreſſâ affirmatur Modus nominaliter expreſſus hoc modo: *Petrum eſſe hominem eſt neceſſarium*, atque ea Affirmatio eſt vera. Similiter et iſta Modalis eſt vera: *Petrus non eſt brutum.* Exprime enim Modum nominaliter, habebis *Falſum* (ſiquidem *Non* et *Falſo* idem ſunt); exprime jam Modificatam per Infinitivum, habebis *Petrum eſſe brutum*; de hoc Infinitivo vere affirmatur iſte Modus, hoc pacto: *Petrum eſſe brutum eſt falſum.* Ad Falſitatem Enunciationis Modalis requiritur et ſufficit, ut Modificata non ſit talis, qualis eſt Modus; quod facile intelligitur ex dictis in Simili.

7. Videntur porro omnes Propoſitiones Contingentes eſſe Modales; in illis enim ſemper adhaeret Copulae Adverbium temporis, non quidem ſemper expreſſe, ſemper tamen implicite. Ut *Currit*, id eſt: *Jam eſt currens*; item *Cucurrit*, id eſt: *Tunc eſt currens*, ſumendo *Tunc* ut deſignet tempus praeteritum; et *Curret*, id eſt, *Tunc eſt currens*, ſumendo *Tunc* ut deſignet tempus futurum. Imo cenſeo ego, omnes Propoſitiones Contingentes habere Copulam praeſentis temporis; nam quod ſubinde Praeteritum vel Futurum in illis ſonat, ad Praedicatum pertinet. V. g. *Petrus erit amans*, id eſt: *Petrus eſt amaturus*; item: *Petrus erit ſenex*, id eſt: *Petrus eſt ſeneciturus*, ſeu: *Petrus eſt erens ſenex*, item: *Petrus fuit puer*, id eſt: *Petrus eſt fuens puer*; ubi ſumo mihi licentiam formandi participia, *Erens*, ab *Ero*, et *Fuens*, a *Fui.* Tantum enim ſunt duae Copulae Verbales, Pura, quae Aeternitatis eſt, et ei analoga, Praeſentis temporis. Sed quae hujuſce generis ſubtiliora ſunt, et myſterium videntur, alio a me opportunius reſervantur.

Caput XI.

De Modo Negandi.

1. Inter Modos uſu frequentiſſimus eſt Modus ſeu Adverbium *Non.* Ideoque, cum caeteri omnes Modi ſint anonymi, hic ſolus accepit nomen, et *Negatio* paſſim vocatur. Sed nomen Negationis eſt aequivocum, nam aequivoce et Modum certum et certam Propoſitionem deſignat; haec enim Propoſitio: *Non ſto*, Negatio dicitur, ut pridem vidimus, et Modus ſeu Adverbium *Non*, in eadem Propoſitione repertum, etiam Negatio dicitur, ut jam inculcamus. Quae Diſtinctio bene notanda eſt, ne obtineat ille Logicorum Verſiculus: *Erroris mater fuit Aequivocatio ſemper.* Nos igitur hîc agemus de Negatione ſumptâ poſteriori modo, nempe pro Modo ſeu Adverbio *Non*, cui nominaliter correſpondet Modus *Falſum*, nam *Non ſto* et *Me ſtare falſum eſt* idem ſunt.

2. Negationi ſolenne eſt in aliquâ aliâ Dictione complicari; ut in *Neque*, quod idem eſt ac *Et non*, quia *Neque ſto neque ſedeo*, id eſt *Et non ſto et non ſedeo*; in *Niſi*, quod idem eſt ac *Si non*, quia *Niſi poſſum ſtare*, *non ſto*, id eſt *Si non poſſum ſtare*, *non ſto*; in *Nullus*, quod idem eſt ac *Neque* ſaepius repetitum, quia *Nullus homo eſt doctus*, id eſt *Neque Petrus eſt doctus neque Paulus etc.*; in *Nunquam*, quod idem eſt ac *Nullo tempore*; in *Impoſſibili*, quod idem eſt ac *Non poſſibile*; in *Indoctus*, quod quidem non ſimpliciter idem eſt quod *Non doctus* (menſa enim eſt non docta, ſed indoctam menſam dicere ridiculum eſt), ſed *Non doctus et tamen capax doctrinae.* Similiter *Non* includitur in iſtis: *Coecus*, *Surdus*, *Nudus*, *etc.*, quae paſſim privationes dicuntur.

3. Negatio dividitur etiam in Negantem et Infinitantem. Negationem Infinitantem video eſſe illam quae cadit in Copulam Relationis; ut hîc: *Non homo poteſt eſſe animal*, Negatio eſt

Infinitans; cadit enim in Copulam Relationis, cum hic fit fenfus: *Id quod non eft homo, poteft effe animal.* Sed non agnofcunt Negationem, quae ponitur in pofteriori Propofitione, ut Infinitantem, at bene eam, quae ponitur in priori. Quod ex errore fit, quo exiftimant, Negationem Infinitantem cadere in Subftantiva vel Adjectiva; quod eft impoffibile, cum Negatio fit Adverbium ftricte dictum feu Modus Logicus, ac proinde non magis poffit in Subftantivum aliquod aut Adjectivum cadere, quam lapis in coelum; unicum quippe Centrum Modi eft Copula.

4. Negatio Negans eft Negatio cadens in Copulam diftinctam a Copula Relationis; ut Negatio hîc: *Petrus non eft doctus*, imo etiam hîc: *Petrus eft non doctus*; revellenda enim eft Negatio a Praedicato et praefigenda Copulae, ut patebit infra.

5. Sed dices: fi Negatio non poffit cadere nifi in Copulam, dic ergo in quam Copulam hîc cadit: *Adam potuit non peccare*; non poteft enim ibi etiam revelli a Praedicato et praefigi Copulae, cum fenfus non fit: *Adam non potuit peccare.* Refpondeo, Enunciationem propofitam effe Modalem de Modo Verbali *Poteft*, fic refolvendam in formaliter Modalem: *Adam poffibiliter non peccavit.* Ibi clarum eft, Negationem cadere in Copulam Verbalem inclufam in Verbo Grammatico *Peccavit.*

Caput XII.

De Enunciatione Negativa.

1. Enunciatio Negativa eft fpecies Enunciationis Modalis, inter Modales longe frequentiffima; quippe quae non fit aliud quam Enunciatio cujus Copula afficitur Negatione; ut *Non fto.* Vocatur etiam Enunciatio Negans, quidam et *Negatam* vocant; fed poftrema haec nomenclatura difplicet. Negata enim potius fonat Modificatam Enunciationis Negativae; veluti cum dico:

Non fto, Negativa feu Negans eft quae ibi jacet; Negata autem eft *Sto*, illa enim ibi negatur. Enunciationi Negativae correfpondet Enunciatio Affirmativa, Affirmans, imo etiam Affirmata (illa enim hîc funt idem: cum Enunciatio fe affirmet, quando affirmat; non perinde tamen fe negat, quando negat, fed negat fuam Modificatam). Eft autem Enunciatio Affirmativa Modificata Enunciationis Negativae, feu id quod ablatâ Negatione reftat ex Enunciatione Negativa; ficut ex *Non fto*, ablato *Non*, refiduum eft *Sto*. Imo etiam ifta eft Affirmativa: *Petrus non non eft doctus*, quia duae Negationes tollunt fe mutuo, adeoque relinquunt Copulam liberam a Negatione; ut infra patebit.

2. Quod Enunciatio aliqua fit Affirmans vel Negans, cenfetur ad Qualitatem ejus pertinere. Unde Enunciationes ejufdem Qualitatis dicuntur, quae ambae funt Affirmativae vel ambae Negativae; Diverfae autem Qualitatis cenfentur, quarum una Affirmat et altera Negat. Sic iftae funt diverfae Qualitatis: *Sto*, *Non fto*; hae autem funt ejufdem Qualitatis: *Sto*, *Loquor*, item iftae: *Non fto*, *Non loquor*.

3. Circa Compofitas et Quantas diligenter obfervandum (quod in Modalibus ante generatim monui), fi Negativas eas effe volueris, Modum praefigendum effe earum Copulae, id eft Copulae Grammaticali patenti in Enunciationibus Compofitis, et eidem Copulae Grammaticali contectae Notâ Quantitatis in Enunciationibus Quantis. Unde haec non eft Negativa: *Non fum homo et non fum bos*; Negatio enim non cadit in Copulam ejus, fed tantum in Copulas partium ejus. Imo ne quidem ifta eft Negativa: *Neque fum homo neque fum bos*; eadem enim eft cum priori, quandoquidem *Neque* idem fit quod *Et non.* Sic igitur Negativam facies: *Non et homo fum et bos fum*; quae fane non aequivalet prioribus, cum priores illae fint falfae, haec autem vera fit. Similiter nec ifta eft Negativa: *Nifi ftare poffum, non fto*; cum enim Copula fit *Si*, Negatio inclufa in *Nifi* eam fenfu non praecedit, fed fequitur hoc modo: *Si non*

possum stare, *non sto*; sic igitur efformabis Condicionalem Negativam : *Non si stare possum sto.* Idem esto judicium de reliquis Compositis.

4. Et quidem circa Compositas Negativas aliquid viderunt Logici; circa Quantas Negativas non item. Unanimiter enim dicunt has esse Negativas: *Nullus homo est bos*, *Aliquis homo non est bos*, quae profecto sunt Affirmativae, cum Negatio non cadat in Copulam contentam in Non Quantitatis, sed retro in Copulas Verbales partium. Sensus enim prioris est: *Et Petrus non est bos*, *et Paulus non est bos*, *etc.*, et similis est sensus posterioris. In Excusationem eorum hoc comminiscebar, Tales Quantas, etiamsi Affirmativae sint, Negativis tamen aequipollere; quia *Nullus homo est bos* (quod patebit ex Schemate Reductionum) aequivalet huic: *Non aliquis homo est bos*, et *Aliquis homo non est bos* aequivalet huic: *Non omnis homo est bos.* Sed Excusationem hanc facile explodat solertior quispiam, et dicat, pari fundamento statuendum fore has etiam Negativas esse: *Omnis homo est bos*, *Aliquis homo est bos*; aequivalent enim etiam Negativis, prior quidem huic: *Non aliquis homo non est bos*, posterior illi: *Non nullus homo est bos*, quas quidem Negativas esse clarum est, cum Negatio cadat in earum Copulas *Et*, *Vel*, contentas in *Nullus*, *Aliquis.* Et quamvis sciolus aliquis putaret se rem restituisse, ingerendo Axioma: *Duplex Negatio facit Affirmationem*, adeoque contendendo jam proxime allegatas Propositiones non esse Negativas, sed Affirmativas; tamen hic nihil ad rem, et Axioma non militat in hoc casu. Tantum enim habet locum, quando duae Negationes se mutuo quoad sensum proxime sequuntur, ut infra patebit; quod non fit in casu posito; ibi enim inter Negationes illas, in eadem Propositione repertas, mediat aliquid quoad sensum, nempe Subjectum cum praefixa Nota Quantitatis. Unde fatendum est, proxime praedictas Propositiones absolute Negativas esse, et quidem ita Negativas, ut etiam partes earum sint Negativae.

Senſus enim prioris, nempe: *Non aliquis homo non eſt bos*, eſt hic: *Non vel hic homo non eſt bos*, *vel iſte homo non eſt bos etc.*; ſenſus autem poſterioris eſt hic: *Non et hic homo non eſt bos*, *et iſte homo non eſt bos etc.*

5. Cum igitur ad Negativas non ſufficiat quod Negativis aequivaleant, reſtat ut concedam, totam Logicorum Rempublicam, Copulam Verbalem Propoſitionibus Quantis contumaciter aſſerere. Cum enim Copulae Verbales hîc: *Nullus homo eſt bos*, *Aliquis homo non eſt bos*, Negatione afficiantur, conſequenter dicunt eas eſſe Negativas Enunciationes, quia apprehendunt Copulas Verbales etiam Quantarum Copulas eſſe, cum tamen tantum ſint Copulae partium earum. Nequit enim eſſe Copula alicujus Enunciationis, quod eſt Copula alicujus quod in iſta Enunciatione rurſum alteri copulatur, ſed hoc eſt Copula partis iſtius Enunciationis. Et inſuper haec eorum perſuaſio difficultatem et confuſionem invehit circa efformationem Contradictoriarum, quae tamen unum eſt ex Logicae capitibus. Contradictio enim fit per Ajentem ac Negantem; cum haec Ajat: *Omnis homo eſt bos*, ſi etiam iſta Neget: *Nullus homo eſt bos*, oportebit ibi Contradictorias agnoſcere; quod eſt abſurdum. Et quamvis ipſi jactent, Univerſali Affirmanti non quamlibet Negantem contradicere, ſed Negantem Particularem, tamen haec tantum Verba ſunt; conſtat vero, unius ac ejuſdem Affirmantis unam tantum ac ſimplicem Negantem eſſe.

6. Sed etiamſi haec ita ſunt, infra tamen Part. 3. ubi de Forma Argumenti tractabimus, obtemperandum erit Logicis, et ſtatuendum has ac ſimiles Quantas eſſe Negativas: *Nullus homo eſt bos*, *Aliquis homo non eſt bos*; ſine enim tali ſuppoſitione Forma Argumentorum recepto more tradi non poſſet. Supponemus igitur ibi, Copulas Quantarum Verbales eſſe; hic ab eo ſuppoſito tantiſper liberi erimus.

SECTIO II.

De Affectionibus Enunciationum.

Affectiones Enunciationum quatuor potiſſimum invenio: nempe Reductionem, Similitudinem, Conſequentiam, et Probationem. Agam hîc tantum de tribus prioribus; nam Probationem reſervo in Partem 4. Sect. 2. tanquam Proprietatem Rationis.

Caput I.

De Reductione Enunciationum.

1. Reductio iſta eſt Enunciationis per aliam Enunciationem, ut aequivalentem, declaratio. Duae in eam concurrunt Enunciationes: Reducta, quae per aliam tamquam aequivalentem declaratur, et Reducens, quae ſic declarat. Hae ſunt Extrema Reductionis, et conjunguntur in Reductione mediante particulâ *Id eſt*, quae obtinet vim Copulae in Reductione. V. g. hoc modo: *Solum animal ſentit*, *id eſt: Et animal ſentit*, *et nihil diſtinctum ab animali ſentit*; ibi quidem Propoſitio, quae praecedit particulam *Id eſt*, reducitur, eſtque Subjectum Reductionis; Copulativa vero eandem particulam inſecuta reducit, et agit veluti Praedicatum Reductionis. Particula *Id eſt* habet ſe inſtar Copulae, importatque, Enunciationis per Enunciationem non ſimpliciter, ſed per Enunciationem, ut aequivalentem ac quodammodo eandem, fieri declarationem. Et hinc Similitudo ac Probatio excluduntur; quas aliquando per aequivalens aliquod fieri nihil vetat, ſed non fiunt per aequivalens qua tale; unde Probatio et Similitudo etiam diverſas Copulas a Copula Reductionis ſortiuntur.

2. Hinc igitur Capitalis Regula Reductionis eſt, *ut Reducta ac Reducens aequivaleant.* Cum autem impoſſibile ſit Verum ac Falſum aequivalere, ut infra demonſtro, hinc etiam malam eſſe Reductionem oſtenſum eſt hoc ipſo, quo Extremorum ejus unum verum, alterum falſum eſſe demonſtratur, idque vel in ſe vel in ſimili. Unde non valet iſta Reductio: *Petrus eſt brutum non album*, *id eſt*, *Petrus non eſt brutum album*, quia Reducens eſt vera, et Reducta falſa; nec iſta Reductio valet: *Bos eſt animal non rationale*, *id eſt*, *bos non eſt animal rationale*, quia licet ibi Reducta et Reducens verae ſint, tamen in ſimili ante una earum vera, et altera falſa erat.

3. Reductionis quatuor ſpecies eſſe videntur: Expoſitio, Contractio, Reformatio, et Reſumptio. Expoſitio eſt Reductio in qua Reducens explicat Reductam. Explicare eſt ſeorſim et ſigillatim plura proponere, quae alibi conjunctim et ſimul ingeruntur. V. g. *Ego nunc ſum ſtans* explicat *Sto*; cum enim *Sto* Subjectum, Praedicatum, Copulam, et Modum temporis praeſentis cohaerentem Copulae, omnia ſimul et ſemel oggerat, prior illa Propoſitio eadem illa ſigillatim perhibet, unum ante, et alterum poſt. Adeoque hoc eſt Exemplum Expoſitionis: *Sto*, *id eſt*, *ego nunc ſum ſtans.*

4. Contractio et Reductio, in qua Reducens conſtringit Reductam. Ea enim, quae nimis laxa ſunt ac diffuſa, ſubinde hoc ipſo ſunt obſcuriora, et conſequenter compendio clareſcunt, et ſui coadunatione fortius feriunt ſenſum. Hujus generis Reductio ſtatui poteſt iſta: *Ex iſta enunciatione: ego nunc ſum ſtans*, *ſequitur iſta enunciatio: ego nunc ſum exiſtens*; *id eſt*, *ex ſto ſequitur ſum.* Huc ſpectant Argumenta Poëmatum et Orationum, Tituli et Summaria Capitum, quae unuſquiſque videt magnam lucem adferre ſuis Subjectis. Et quamvis haec ita ſint, judico tamen, hanc ſecundam Speciem Reductionis magis ad Memoriam facere quam ad Intellectum. Intellectus enim magis juvatur Expoſitione, utpote cui proprium ſit melius faciliuſque

plura ſigillatim, quam conjunctim objecta percipere; Memoria vero Compendiis et Summariis, velut in unum collectis viribus magis roboratur.

5. Reformatio eſt Reductio collapſum ordinem reſtituens. Nempe Reducta continet expreſſionem non eo ordine digeſtam, quam Senſus requirit, Reducens vero ordinem illum reſtituit. V. g.: *Non eſt e terris mollis ad aſtra via*, *id eſt*, *via e terris ad aſtra non eſt mollis.* Senſus enim Propoſitionis requirit, Subjectum primo loco, Copulam cum ſuis Modis ſecundo, et tertio loco Praedicatum reponi; quo quidem ordine hîc reponuntur in Reducente, cum extra iſtum ordinem deturbata legerentur in Reducta.

6. Reſumptio eſt Reductio, in qua Reducta Sermonem exoletum continet, aut aliter minus uſitatum vel notum, Reducens vero reponit communem ſermonem; ut: *Petrus eſt bovinator*, *id eſt*, *Petrus eſt deriſor*; item: *Prata rident*, *id eſt*, *prata ſunt amoena.* Huc ſpectat etiam Interpretatio, qua quod uno idiomate dictum eſt, in aliud idioma transferimus.

Caput II.

De Reductione penes Negationes.

1. Reductio ſpeciatim ſumpta diſtinguitur contra Expoſitionem; comprehenditque ſub ſe tres poſteriores Species: Contractionem, Reformationem et Reſumptionem; iiſque Logica potiſſimum occupatur circa Reductiones Negativarum. Nam Regula Logices eſt, Negationes non ſinere, at, quantum fieri poteſt, ad Affirmationem reducere; unde juxta hanc Regulam non ſinimus inter Enunciationes Compoſitas ullam Negativam, quam non illico reducamus ad Affirmativam aequivalentem. V. g.: *Non et ſto et loquor*, quae eſt Copulativa Negativa, reducitur ad hanc: *Vel non ſto*, *vel non loquor*, quae eſt Diſ-

junctiva Affirmativa, quamvis conſtet ex partibus Negativis. Et iſta: *Non vel ſto, vel loquor*, quae eſt Diſjunctiva Negativa, reducitur ad hanc: *Et non ſto, et non loquor*, quae eſt Copulativa Affirmativa ex partibus Negativis. Eâdem de cauſâ Quantas Negativas non ſinimus, ſed reducimus ad Affirmativas; ut: *Non omne animal eſt homo, id eſt, aliquod animal non eſt homo*; etiamſi etiam Reducens ibi habeatur ut Negativa juxta communem apprehenſionem, ut ſupra notavi.

2. Circa Contractionem in Negativis occurrit iſtud Axioma: Duplex Negatio facit Affirmationem. Cujus hic eſt ſenſus: Duae Negationes (et per conſequens, quotquot numero pari) ſe mutuo quoad ſenſum proxime ſequentes, ſe mutuo tollunt, et perinde eſt ac ſi nulla Negatio fuiſſet poſita. Juxta hanc Regulam procedit iſta Reductio: *Petrus non non eſt doctus*, id eſt, *Petrus eſt doctus.* Dixi: ſe mutuo proxime ſequentes quoad ſenſum, quia Negationes ſe mutuo, aliquo intercedente ſequentes, non tollunt ſe mutuo, niſi cum juxta alias Regulas eo redigi poſſunt, ut ſe invicem proxime ſequantur; tunc enim, poſtquam eo redactae ſunt, ſe mutuo etiam tollunt. Sic v. g. hîc: *Petrus, qui non eſt doctus, non eſt etiam probus*, duae Negationes non faciunt Affirmationem, nec licet hunc ſenſum reddere: *Petrus, qui eſt doctus, eſt etiam probus*; etiamſi enim duae Negationes ibi reperirentur, non ſequebantur tamen ſe invicem quoad ſenſum, niſi aliquo interjecto. Sic neque Negationes hîc repertae ſe mutuo ſimpliciter tollunt: *Petrus non neceſſario non eſt doctus*; ſed tamen hae tollunt ſe mutuo, ſi primum eo fuerint redactae, ut ſe invicem proxime ſequantur; nimirum ſi *Non neceſſario* juxta Schema ſubjicendum reducatur ad *Poſſibiliter non*, et adjectâ alterâ Negatione, quae poſtponebatur Modo *Neceſſario*, fiat hic ſenſus: *Petrus poſſibiliter non non eſt doctus*; ubi jam Negationes ſe mutuo tollunt, adeoque prima Propoſitio mediate huc reducitur: *Petrus poſſibiliter eſt doctus.*

3. Ex quo jam etiam patet, quod duae Negationes, quarum una eſt Negans et altera Infinitans, nunquam ſe mutuo tollant ſeu nunquam faciant Affirmationem; quia nunquam ſe mutuo proxime ſequuntur quoad ſenſum, cum cadant in diverſas Copulas. Eſto quod ſe invicem ſubinde quoad Expreſſionem proxime ſequantur; v. g. hîc: *Non non-animal poteſt eſſe homo*, ſumendo priorem Negationem ut Negantem, et poſteriorem ut Infinitantem; quia tunc ſenſus eſt: *Id quod non eſt animal*, *non poteſt eſſe homo*, adeoque tantum intercedente aliquo quoad ſenſum, ſequuntur ſe mutuo Negationes iſtae.

4. Reformatione utimur circa Negationes; cum Negatio aliqua praecedit integrum Praedicatum, illam revellimus a Praedicato et praefigimus Copulae. V. g. *Petrus eſt non doctus* huc per Reformationem reducitur: *Petrus non eſt doctus.* Dixi: cum Negatio praecedit integrum Praedicatum, quia cum Negatio tantum praecedit aliquam partem Praedicati, non revellimus eam modo jam dicto, ſed apponimus ei Copulam Implicationis. V. g. *Petrus eſt brutum non album* non poteſt huc reduci: *Petrus non eſt brutum album*, ſed huc: *Petrus eſt brutum*, *quod non eſt album.*

5. Reſumptione circa Negationes praecipue utimur juxta Schema ſubjiciendum, quamvis juxta ipſum contingat ſubinde Reductio ſecundum Contractionem aut Reformationem.

Caput III.

Continet Schema Reductionum.

1. Schema jam pridem machinatus ſum quoddam, Reductionibus plerisque, quae circa Negationes inſtituuntur, peropportunum, ex quo primo ſtatim intuitu vides, quo unumquodque hujus generis reducendum ſit. Atque ita ſe habet:

| Quantitas |
| Quantitas Univerſalis |

Omnis Neceſſario Semper Et	poſt	Nullus Impoſſibiliter Nunquam Neque
prae et poſt prae et poſt	prae prae prae prae	prae et poſt prae et poſt
Vel Aliquando Poſſibiliter Aliquis	poſt	Vel non Aliquando non Poſſibiliter non Aliquis non

| Quantitas Particularis |
| Quantitas |

| Qnalitas | | Qualitas Affirmativa |
| Qualitas Negativa | | Qualitas |

Hocce Schema eſt; ſed jam etiam Clavem ejus accipe, ſine qua haec tota Forma ſit inutilis et clauſa:

Poſt Qualem; *prae et poſt Quantum*; *prae mutat utrumque.*

Conſtat clavis iſta, Memoriae et Compendii cauſâ in Verſiculum redacta, tribus partibus, quarum explicatio haec eſt.

2. *Poſt Qualem*, ſeu Qualitatem (ſupple) *mutat*; id eſt: ſumpto aliquo ex ſedecim vocabulis hujus Schematis, ſi unam Negationem ei poſtpoſueris, fiet compoſitum ex iſto vocabulo et Negatione poſtpoſitâ aequivalens Vocabulo oppoſitae Qualitatis in Schemate (habentur autem vocabula oppoſitae Qualitatis dextrorſum et ſiniſtrorſum). V. g. ſumpto illo vocabulo: *Omnis*, ſi ei unicam Negationem poſtpoſueris, habebis compoſitum *Omnis non*, quod compoſitum aequivalet vocabulo conſiſtenti ſub oppoſitâ Qualitate cum vocabulo *Omnis*; aequivalebit ergo vocabulo *Nullus*; unde *Omnis homo non eſt doctus* huc reducitur: *Nullus homo eſt doctus.* Si jam vice verſâ ſumpſeris tibi Vocabulum *Nullus*, eique unam ſaltem Negationem poſtpoſueris, fiet Compoſitum *Nullus non*, quod juxta hanc primam partem Verſiculi, aequivalebit vocabulo oppoſitae qualitatis cum *Nullus*,

id eſt, aequivalebit vocabulo *Omnis.* Adeoque *Nullus homo non eſt doctus*, huc reducitur: *Omnis homo eſt doctus.* Eodem modo *Neceſſario non* aequivalet *Impoſſibiliter*, et *Petrus neceſſario non eſt brutum* id eſt, *Petrus impoſſibiliter eſt brutum*; et vice verſâ, *Impoſſibiliter non* idem eſt ac *Neceſſario*, et *Petrus impoſſibiliter non eſt homo* idem eſt ac *Petrus neceſſario eſt homo.* Item *Semper non* idem eſt quod *Nunquam*, et *Nunquam non* idem eſt quod *Semper.* Item *Et non* idem eſt quod *Neque*, nam *Et non ſto et non ſedeo* perinde eſt ac *Neque ſto neque ſedeo* et *Neque non* idem eſt quod *Et*, nam *Neque non ſto neque non ſedeo*, id eſt, *et ſto et ſedeo.*

3. Atque ita ſe res habet in Vocabulis ſupernis. In infernis autem obtinet quidem etiam prima pars Verſiculi, ſed nullum ibi effectum notatu dignum depromit. Nam ſi vocabulis infernis ac dexteris (ſcilicet vocabulis *Aliquis*, *Poſſibiliter*, *Aliquando*, *Vel*) unica Negatio poſtponatur, mutantur profecto in vocabula inferna ſiniſtra; ſed nulla Reductio eſt, cum illa ſiniſtra vocabula nihil aliud ſint quam expreſſe compoſita ex dexteris vocabulis et ſubſequente Negatione. Similiter ſi Vocabulis infernis et ſiniſtris unicam Negationem poſtpoſueris, mutantur quidem in Vocabula inferna dextera, ſed ſine ambage Schematis et Clavis, at aperte et regiâ viâ, juxta Axioma: *Duplex Negatio facit Affirmationem.*

4. Seeunda pars Clavis erat iſta: *Prae et poſt Quantum*, ſeu Quantitatem (ſupple) *mutat.* Senſus eſt: ſi Vocabulo hujus Schematis duas Negationes appoſueris, unam ante Vocabulam et alteram poſt, Compoſitum ex Vocabulo et iſtis Negationibus aequivalebit Vocabulo oppoſitae Quantitatis in Schemate (vocabula autem oppoſitae Quantitatis in Schemate ſurſum ac deorſum habentur). V. g. ſumpto illo Vocabulo *Omnis*, ſi ipſum inter duas Negationes interjeceris, habebis *Non omnis non*, quod aequivalet Vocabulo *Aliquis*, et proinde *Non omnis homo non eſt doctus*, id eſt, *aliquis homo eſt doctus.* Eâdem ratione *Non*

aliquis non idem eft quod *Omnis*. Item *Non neceffario non* idem eft quod *Poffibiliter*, et *Non poffibiliter non* idem quod *Neceffario*. Et porro fic pergendo furfum deorfumque, non tantum in Vocabulis dexteri lateris, fed etiam finiftri; quia *Non nullus non* idem eft quod *Aliquis non*, et *Non aliquis non non* idem eft quod *Nullus*. Et fic deinceps pergendo. Haec pars eft quidem difficilior intellectu, quam pars prima vel pars tertia, ideoque fola primâ et tertiâ parte Verficuli poteramus effe contenti; haec tamen fecunda pars faltem pro Memoriâ eft.

5. Tertia pars Verficuli: *Prae mutat utrumque*, fcilicet Quantum et Quale feu Quantitatem et Qualitatem. Id eft: fi Vocabulo hujus Schematis unicam Negationem praepofueris, Compofitum ex Vocabulo et ifta Negatione, aequivalebit Vocabulo oppofitae quantitatis qualitatifque (habentur autem vocabula quantitate fimul ac qualitate differentia in angulis oppofitis fecundum Diametros Schematis). V. g. fumpto Vocabulo *Omnis*, unâ Negatione Praefixâ, habes *Non omnis*, quod aequivalet Vocabulo *Aliquis non*, quia *Omnis* et *Aliquis non* diftant inter fe Diametro Schematis. Itaque *Non omnis homo eft doctus*, id eft, *aliquis homo non eft doctus*. Item fumpto Vocabulo *Aliquis non*, praefixâ ei Negatione, habes *Non aliquis non*, quod idem eft ac *Omnis*. Et fic porro pergendo non tantum per Diametrum vergentem ab angulo fuperno dextero in angulum infernum finiftrum, fed etiam per Diametrum quae hanc decuffat, vergitque a finiftro fuperno in dexterum infernum; aequivalent enim pari pacto *Non nullus* et *Aliquis* et contra *Non aliquis* ac *Nullus*, et fic porro.

6. Poffumus autem expedire fufficienter has Reductiones juxta primam et tertiam partem Clavis (omiffâ fcilicet fecundâ parte, quae intellectu difficilior eft), coöperante tamen fubinde ifto Axiomate: *Duplex negatio etc.* V. g. *Non omnis non* fic reducam: fumam ex ifto Compofito partem, *Non omnis*, et alteram Negationem, quae fequebatur, refervabo feorfim, ut fumam eam

et apponam, cum tempus erit. Igitur, *Non omnis* idem eſt quod *Aliquis non*, juxta tertiam partem Clavis; ſumo jam Negationem poſteriorem quam reſervaveram, et nanciſcor *Aliquis non non*; expungo igitur utramque Negationem, juxta Regulam: *Duplex negatio etc.*, et remanet *Aliquis.* Adeoque eodem recidit Reductio, quo recidiſſet, ſi facta fuiſſet per ſecundam partem Clavis. Aliter: ex *Non omnis non* capio illam partem *Omnis non*; hoc juxta primam partem Clavis, idem eſt quod *Nullus.* Jam praefigo Negationem, quam reſervaveram, et habeo *Non nullus*, quod juxta tertiam partem Clavis idem eſt quod *Aliquis.*

7. Notandum aliquid circa illa vocabula Schematis: *Et*, *Vel*, et eorum Oppoſita. Imprimis cenſetur illis unica Negatio poſtponi, etiam tunc, cum duplex Negatio poſtponitur hoc pacto, ut in unâ earum partium, quas connectunt, una, et in alterâ, altera Negatio reſideat. V. g.: *Non ſto et non ſedeo*; hîc cenſetur Vocabulum *Et* comparere cum unica Negatione poſtpoſitâ, atque adeo juxta primam partem Clavis huc reducitur: *Neque ſto neque ſedeo.* Secundo non cenſetur illis vocabulis poſtponi Negatio, niſi immediate poſtponatur, ita ut Negatio cadat in Copulas partium, nec ſufficiat eam cadere in partes partium. Unde cum vocabula iſta connectunt Propoſitiones Quantas, non cenſetur Negatio vocabulis poſtponi, niſi cadat in Copulas Quantarum, ſeu niſi ſenſu praecedat illas Notas: *Omnis*, *aliquis*, *etc.* Subjectis Quantarum praefixas. Quapropter hîc: *Et aliquis homo non eſt doctus*, *et aliquis homo non eſt probus*, non cenſetur vocabulum *Et* reperiri cum Negatione poſtpoſitâ, juxta ſenſum Clavis, adeoque non licet juxta primam partem Clavis praedictam Enunciationem huc reducere: *Neque aliquis homo eſt doctus*, *neque aliquis homo eſt probus*; ſiquidem Reducens eſt falſa, Reductâ verâ. Sed ſi ita dicatur: *Et non aliquis homo eſt doctus*, *et non aliquis homo eſt probus*, jam licebit eo reducere; quia jam Negatio proxime ſeu immediate ſequitur

vocabulum *Et.* Eâdem de cauſâ *Non et omnis homo eſt doctus, et omnis homo eſt probus* non poteſt huc reduci: *Vel omnis homo eſt doctus, vel omnis homo non eſt probus*; ſiquidem Reductâ verâ, Reducens eſt falſa; ſed huc: *Vel non omnis homo eſt doctus vel non omnis homo eſt probus*, quae ulterius, Reductione concernente Vocabulum *Non omnis*, huc reducitur: *Vel aliquis homo non eſt doctus, vel aliquis homo non eſt probus.*

Caput IV.

De Speciebus Expoſitionum.

1. Primo Exponimus illas Propoſitiones, in quibus Extrema cum Copulâ ac Modo omnia ſimul, aut eorum aliqua, complicantur in unam dictionem; eaſque reducimus ad Propoſitiones eadem haec diſerte et expreſſe reddentes. Ut: *Sto, id eſt, ego nunc ſum ſtans*; item: *Ego ſto, id eſt, ego nunc ſum ſtans*, etc.

2. Secundo Exponimus Propoſitiones Quantas per Copulativas aut Diſjunctivas aequivalentes; ut: *Omnis homo eſt doctus, id eſt, et Petrus eſt doctus, et Paulus eſt doctus, et porro.* Huc referri poteſt omnis Expoſitio, quae fit circa Acceptiones Communes; ut: *Omnia Elementa ſunt quatuor, id eſt, et ignis et aër et aqua et terra ſunt quatuor, etc.*

3. Tertio Exponimus per Definitionem, nempe loco Definiti in Expoſita, ponendo Definitionem ejus in Exponente; ut: *Homo eſt Eſſentia Petri, id eſt, homo eſt tale Praedicatum de Petro, ut cum de ipſo affirmatur, praecedere debeat ex parte Subjecti antequam veniat ad locum Praedicati.*

4. Quarto Exponimus Excludentes, quae nempe conſtant illâ particulâ: *Solus*, aut *Tantum.* Et quae quidem conſtant particulâ *Tantum*, excludunt a Praedicato; ut: *Petrus tantum ſtudet*, quae ſic exponitur: *Petrus ſtudet et Petrus nihil aliud agit (quantum ſcilicet ſpectat ad actiones ex propoſito factas).*

Quae vero conſtant particulâ *Solus*, excludunt a Subjecto; ut: *Solum animal ſentit*, *id eſt*, *animal ſentit et nihil diſtinctum ab animali ſentit.* Huc etiam ſpectant illae Propoſitiones, quae conſtant particula *Unicus*, nam *Unicus* idem eſt quod *Quidam iſque ſolus*; v. g. *Unicus catellus eſt domi meae*, *id eſt*, *Quidam catellus eſt domi meae*, *iſque ſolus* (*quantum ſcilicet ad canes*) *eſt domi meae.* Ex quo patet, Propoſitiones excludentes, quantumcunque videantur Affirmativae, continere in ſe ſemper aliquam Negationem.

5. Quinto Exponimus Excipientes, quae nempe conſtant illâ particulâ: *Praeter*; quae rurſum Affirmativae ſunt vel Negativae. Affirmativa v. g. eſt iſta: *Omne animal praeter hominem eſt irrationale*, quae ſic exponitur: *Et homo eſt animal*, *et homo non eſt irrationalis*, *et omne animal diſtinctum ab homine eſt irrationale.* Negativa eſt v. g. iſta: *Nullum animal praeter hominem eſt rationale*, quae ſic exponitur: *Et homo eſt animal*, *et homo eſt rationalis*, *et nullum animal diſtinctum ab homine eſt rationale.*

6. Sexto Exponimus Comparativas, in quibus nempe reperitur vox Comparativi gradus. Atque ea proprie ſumpta ſic exponitur: *Silex eſt durior latere*, *id eſt*, *ſilex eſt durus*, *et later eſt durus*, *et ſilex ſuperat laterem in duritie.* Improprie autem ſumpta, aliquando ſic exponitur: *Furtum eſt melius homicidio*, *id eſt*, *furtum eſt minus malum quam homicidium*; interdum ſic: *Melius eſt pati ſcelus quam facere*, *id eſt*, *pati ſcelus non eſt malum*, *et facere ſcelus eſt malum.*

7. Septimo Exponimus Enunciationes, in quibus vox aliqua Superlativi gradus invenitur. Ea dum proprie capitur, ſic procedit Expoſitio: *Adamas eſt duriſſimus inter lapides*, *id eſt*, *adamas eſt durus*, *et ſunt alii lapides duri*, *ac inter eos quidam aliis duriores*, *ſed hos omnes in duritie ſuperat adamas.*

8. Octavo aſſignant multi inter Exponendas, illas Propoſitiones, in quibus reperitur particula *Qua*, *Quatenus*, *Ut*, *In*

quantum, *etc.*, quas vocant *Reduplicantes*; v. g. *Homo non qua homo cadit*, *Homo quatenus gravis eſt cadit*, *Homo ut homo ratiocinatur*, *etc.* Sed falſum eſt, Propoſitiones illas ratione iſtarum particularum exponendas eſſe; important enim ratione iſtarum particularum Conceptum praeciſivum ut vocant, qui eſt res nobis per Experientiam et Conſcientiam, qua ejus in nobis conſcii ſumus, quam clariſſima. Atque proprius iſtius Conceptus Character et Nota eſt particula Reduplicans, v. g. *Quatenus*, *In quantum*, etc.; ita ut quoad illam particulam Propoſitio Reduplicans ſit tam clara, ut declarari amplius non poſſit. Vide de his ac ſimilibus infra Part. 4. Sect. 1. cap. 6.

9. Atque ita obiter et dumtaxat in Exemplis percurrimus aliquot Species Expoſitionum. Non eſt haec res tam abjecta quam vulgo aeſtimetur; imo Expoſitio Enunciationum eſt velut ſpecies quaedam Definitionis, adeoque ſpectare eam cenſeo ad Primarium Objectum Logices. De hac ego aliquid, de qua plerique nihil; potiora reſervavi alio.

Caput V.

De Aſſimilatione.

1. Aſſimilatio eſt unius Enunciationis per aliam, tamquam Similitudinem ſuam, declaratio. Quid ſit Similitudo, non teneor dicere; res exemplo ſatis innoteſcit. Ad Aſſimilationem concurrunt duae Enunciationes tamquam ejus Extrema: Aſſimilans et Aſſimilata. Haec eſt Subjectum Aſſimilationis, illa velut Praedicatum; Copula eſt iſta particula: *Sicut.* Ut in hac Aſſimilatione: *Affirmatio eſt in Negatione*, *ſicut navis eſt in naufragio*, Subjectum Aſſimilationis ſeu Aſſimilata eſt *Affirmatio eſt in Negatione*, Aſſimilans eſt iſta: *Navis eſt in naufragio.* Aſſimilata quidem ſenſu praecedit Aſſimilantem; ſed in Rhetorum ſuggeſtu frequenter invertitur ille ordo, et Aſſimilans praecedit Aſſimilatam, et tunc dupla connexione colligantur,

Sicut praecedente et *Sic* interjecto; v. g. *Sicut naufragium non poteſt eſſe ſine navi, ſic Negatio non poteſt eſſe ſine Affirmatione.*

2. Aſſimilatio nonnihil deducta vocatur *Allegoria*; v. g. *Sicut in Naufragio neceſſario praeſupponitur navis, ſic et in Negatione Affirmatio; at in naufragio perit navis, et ſuo modo in Negatione perit Affirmatio, velut everſa per Adverbium negandi.* Latius adhuc, et ultra quam res poſtulet, nimirum animi gratiâ, diducta Aſſimilatio, induit naturam Fabulae. Veluti, ſi quis in Negatione conſideret Affirmationem ut navim, in qua Subjectum ſit prora, Praedicatum puppis, Verbum malus, Adverbium autem negandi conſideretur velut procella illiſa malo eumque diffringens, is Fabulam feciſſe videbitur.

3. Proprietas Aſſimilationis eſt: Omnis Similitudo claudicat, Et primo quidem vehementer luxata Similitudo, quod, cum divaricatis quaſi cruribus in Aſſimilatâ conſiſtat, in illâ proprie quidem, genuine et regie ſe habeat, in hac vero impedite, accommodate, et ſolummodo cum proportione procedat. V. g.: *Sicut qui a ſomno excitat, non largitur ſenſum, ſed tantum ſolvit retinaculum ſenſus; ſic qui docet non infundit Scientiam, ſea tantum aufert impedimenta ſciendi; Atqui qui a ſomno excitat, levi ſtipendio contentus eſt pro iſtâ operâ, ergo ſimili ſtipendio contentus ſit qui docet.* Ingens Rationis, cum manca Similitudine cujus humeris inſederat, lapſus. Ad haec in eo non nulla quoque Similitudinis Claudicatio eſt, quod quae ſecundum proprium ſermonem in Aſſimilante reperiuntur, non ſemper, ne quidem ſervatâ proportione, transferri poſſint aut debeant in Aſſimilatam. Sic perſiſtendo in Fabulâ ante poſitâ, in qua Affirmatio navis erat, difficulter forte Nauclerum et Remiges, et Mare, per quod fertur iſta Navis, aliaque his, proportione ſervatâ, ſimilia reperies. Qui interim in his inveniendis facilior eſt, is bonus Poëta eſt, etiamſi forte non tam apte faciat Verſus ſeu Carmina.

Caput VI.

De Conſequentiâ.

1. Quid ſit Conſequentia, non debet dici niſi per Exemplum. Hic igitur Conſequentiam audis: *Sto*, *ergo ſtare poſſum*; et audis eam praecipue in *Ergo*; hic enim ejus character eſt, ſicut *Non* eſt character Negationis, et *Eſt* eſt character Affirmationis, etc. Ex Conſequentiâ duo Surculi naſcuntur: id quod ſequitur (vocaturque *Conſequens*, item *Concluſio*), et id ex quo aliquid ſequitur (vocaturque *Antecedens*). Sic in iſta Conſequentia: *Sto*, *ergo ſtare poſſum*, Antecedens quidem eſt *Sto*, ex eo enim ſequitur altera Propoſitio; Conſequens eſt *Stare poſſum*, hoc enim ſequitur ex priori illa Propoſitione.

2. Conſequentia Analogiam habet cum Continentiâ, qua quid ſe aut ſuam partem continere dicitur. Sicut Numerus ternarius continet tres unitates ſimul, et earum ſingulas, ſic etiam Antecedens quodammodo continet in ſe ſuum Conſequens; videmus enim in *Sto* quodammodo contineri *Stare poſſum*, ita ut qui primum dixerit, etiam poſterius hoc fateri videatur. Continet autem ſe ipſam quaevis Enunciatio, ſe ipſam dicendo; ſic et continet aliud quodcumque ſuum Conſequens, ipſum nempe dicendo. Illa enim Enunciatio: *Sto*, dicit, *Me ſtare*, id eſt, ſe ipſam dicit, et hoc ipſo dicit etiam, *Me ſtare poſſe*, quod eſt aliud Conſequens ab ipſa. Adeo ut Conſequentia ſit dictio, qua una Enunciatio dicit aliam Enunciationem, ſeu qua una Enunciatio dicit totum hoc quod dicitur ab alia Enunciatione; ſed Conſequentia ſic ſumpta reſpicit principaliter Antecedens, illud enim dicit ſuum Conſequens, ſeu ſuam Concluſionem, cum interim Conſequentia iſto nomine *Conſequentia* prolata reſpiciat Conſequens; hoc enim eſt quod ſequitur ex Antecedente.

3. Hinc patet, quod Antecedens dicat ſuum Conſequens eſſe verum. Cum enim Conſequens ſit Enunciatio, profecto Con-

ſequens dicit ſe eſſe verum, ut ante demonſtravi; ſi porro Antecedens dicat totum hoc, quod dicitur a Conſequente, neceſſum eſt ut Antecedens etiam hoc dicat, Conſequens ſuum eſſe verum.

4. Sed dices: ſi Conſequentia non ſit aliud quam Continentia, qua una Enunciatio in ſe continet aliam Enunciationem, debebit iſta Conſequentia valere: *Petrus eſt homo vel Petrus eſt brutum, ergo Petrus eſt brutum* (cum tamen iſta Conſequentia ſit omnino nulla); in priori enim Enunciatione, nempe quae praecedit particulam *Ergo*, continetur poſterior Enunciatio, tamquam Pars in toto, ut patet ad oculum. Reſpondeo, Conſequentiam eſſe veram Continentiam, qua nempe Enunciatio Enunciationem illibatam et integram continet, idem prorſus valentem, quod alibi et ſeorſim poſita valeret. Jam autem Enunciatio Diſjunctiva non continet tali pacto ſuas partes, ut pridem monui. Quia vero Enunciatio Copulativa continet ſuas partes illibatas et non fractas, hinc ex Copulativa etiam quaelibet ejus pars ſequitur; v. g.: *Sto et loquor*, *ergo ſto*, item, *ergo loquor*, bonae Conſequentiae ſunt.

5. Hactenus de Conſequentia Neceſſaria, quae ſola vera et proprie dicta Conſequentia eſt. Praeter quam tamen agnoſcunt communiter etiam Conſequentiam Contingentem, quae non eſt Conſequentia, ſed dumtaxat quoddam ejus ſimulacrum; qualis hic ſonat: *Diteſcit*, *ergo ſuperbiet*, item, *Erubuit*, aut, *Expalluit*, *ergo eſt ſibi male conſcius*, *etc.* Et ſicut Conſequentia proprie dicta eſt dictio qua una Enunciatio dicit aliam Enunciationem eſſe veram abſolute, ſic Conſequentia Contingens eſt dictio, qua una Enunciatio aliam Enunciationem dumtaxat veriſimilem eſſe dicit; ſicut *Diteſcit* dicit, veriſimile eſſe quod *Superbiet*, et *Nubes denſae ſupra nos coëuntes* dicunt, veriſimile eſſe quod *Sequetur pluvia.* Hae igitur et ſimiles non ſunt verae Conſequentiae, nec ſortiuntur Proprietates verae Conſequentiae; ſicut Accidens ſtricte dictum non eſt verum Praedicatum.

6. Nota, ad Contingentiam Conſequentiae impertinentem eſſe

Contingentiam Extremorum; haec enim Confequentia eft neceffaria: *Sto, ergo non fedeo*, et tamen ambo ejus Extrema, Antecedens inquam et Confequens, funt tantum Contingentia.

Caput VII.

De Proprietatibus Confequentiae.

1. Prima Proprietas: Ex vero nil nifi verum; id eft, ex vero Antecedente non poteft fequi ullum Confequens, nifi et ipfum verum fit. Si enim ex vero Antecedente fequeretur Confequens non verum, diceret ergo verum Antecedens, id effe verum, quod non eft verum; quod eft impoffibile; quod enim verum eft, non poteft dicere aliquid ita effe, quod tamen non ita fit.

2. Secunda Proprietas: Falfum non nifi ex falfo, id eft, Falfum Confequens non poteft fequi nifi ex falfo Antecedente. Antecedens enim tale dicit, Confequens fuum verum effe; cum tamen ex fuppofito falfum fit Confequens, adeoque Antecedens ipfum eft falfum. Quod enim dicit aliquid ita effe, cum tamen non ita fit, id falfum effe neceffum eft.

3. Tertia Proprietas: Verum ex quolibet, id eft, verum Confequens fequi poteft tum ex vero, tum ex falfo Antecedente. V. g. *Sum homo, ergo fum animal*; hîc verum Confequens fequitur ex vero Antecedente. *Sum bos, ergo fum animal*; hîc verum Confequens fequitur ex falfo Antecedente. Atque fic fufficienter demonftratum eft hoc Theorema; cum enim Potentiam aliquam ponat, illa fufficienter demonftratur per unum ejus Actum.

4. Quarta Proprietas: Ex falfo quidlibet, id eft, ex falfo Antecedente, fequi poteft tum verum Confequens, tum falfum. V. g. *Sum bos, ergo fum beftia*; ibi ex falfo Antecedente fequitur falfum Confequens. *Sum bos, ergo fum animal*; ibi ex falfo Antecedente fequitur verum Confequens.

5. Quinta Proprietas: Ex Neceſſario nil niſi neceſſarium, id eſt, ex Anteeedente neceſſario non poteſt ſequi Conſequens, niſi et ipſum pariter neceſſarium ſit. Si enim Conſequens non foret neceſſarium, ergo (cum Conſequens ſit Enunciatio) erit Impoſſibile vel Contingens (ſicut demonſtratur hac Parte 2. Sect. 1. cap. 2. n. 2.). Si Impoſſibile, jam ex vero ſequetur Falſum. Neceſſarium enim eſt verum, et Impoſſibile eſt falſum, ut patet ex eorum definitionibus. Non poteſt etiam ex Antecedente neceſſario ſequi Conſequens Contingens; quia Contingens poteſt eſſe falſum; eo ipſo igitur Antecedens ejus poſſet eſſe falſum (quia falſum non niſi ex falſo); quod eſt abſurdum, cum Antecedens ſupponatur eſſe neceſſarium.

6. Sed dices: Recte ſequitur: *Petrus eſt homo, ergo Petrus aliquando ridet*, ex Neceſſario Contingens. Reſpondeo: Conſequentia quae ibi importatur eſt Contingens; de qua nos hic non loquimur, at ſolum de Conſequentia proprie dictâ ſeu Neceſſariâ, quae nempe eſt dictio, qua una Enunciatio aliam Enunciationem dicat; Impoſſibile autem eſt ut Neceſſarium dicat aliquid Contingens. Iterum dices: Sequitur per Conſequentiam Syllogiſticam adeoque neceſſariam: *Omnis homo albus eſt albus, omnis homo albus eſt homo, ergo quidam homo eſt albus.* Ibi Antecedens eſt neceſſarium, utpote adaequate conflatum ex duabus Praemiſſis eſſentialibus, et tamen Concluſio eſt contingens. Reſpondeo: In iſto Syllogiſmo ſunt quatuor Termini. *Albus* enim, prout affirmatur in Antecedente, et prout affirmatur in Conſequente, non eſt idem Terminus; in Antecedente enim affirmatur abſolute, in Conſequente cum Adverbio Temporis praeſentis; quod licet Copulae praefigatur, tamen Copula, cum ſuis Modis quibus afficitur, reducenda eſt ad Praedicatum. Simile vitium hîc committitur: *Petrus poſſibiliter eſt albus, Petrus eſt homo, ergo quidam homo eſt albus*, ubi rurſum Antecedens eſt Neceſſarium et Conſequens Contingens.

7. Sexta Proprietas: Ex Contingenti Neceſſarium atque Con-

tingens, ſed non Impoſſibile. Prima pars demonſtratur, quia ſequitur *Sto*, *ergo ſtare poſſum*, ex Contingenti Neceſſarium. Secunda pars demonſtratur, quia ſequitur *Sto*, *ergo non ſedeo*, ex Contingenti Contingens. Tertia pars demonſtratur, quia ſi ex Contingenti ſequeretur Impoſſibile, jam Contingens diceret id eſſe verum, quod eſt Impoſſibile, quod fieri nequit, cum ſic ipſum Contingens etiam eſſet Impoſſibile. Quod enim dicit verum eſſe, quod verum eſſe non poteſt, profecto nec ipſum verum eſſe poteſt.

8. Septima Proprietas: Ex Impoſſibili quidlibet, id eſt, ex Impoſſibili et Impoſſibile, et Neceſſarium, et Contingens ſequi poteſt. V. g. hoc eſt Impoſſibile: *Sum bos*; ex quo ſequitur hoc Impoſſibile: *Sum beſtia*; ſequitur hoc Contingens: *Non ſum Logicus*; ſequitur tandem hoc Neceſſarium: *Non ſum lapis.*

9. Octava Proprietas: Neceſſarium ex quolibet; nempe ex Neceſſario, ut: *Sum homo*, *ergo ſum animal*; ex Impoſſibili, ut: *Sum bos*, *ergo ſum animal*; ex Contingenti, ut: *Sto*, *ergo ſum animal.*

10. Nona Proprietas: Contingens ex Contingenti atque Impoſſibili, ſed non ex Neceſſario. Contingens ex Contingenti: *Sto*, *ergo non ſedeo*; Contingens ex Impoſſibili: *Non ſum animal*, *ergo non ſedeo.*

11. Decima Proprietas: Impoſſibile non niſi ex Impoſſibili. Non enim ex Neceſſario, quia *ex Neceſſario nil niſi Neceſſarium*, ut habet quinta Proprietas; non ex Contingenti, quia *ex Contingenti Contingens ac Neceſſarium ſed non Impoſſibile*, ut habet ſexta Proprietas.

Caput VIII.

Tertium Quadratum Logicum.

1. Primum Axioma: Ex quo ſequitur Antecedens, ex eodem ſequitur et Conſequens. Antecedens enim quoad Sequelam continet in ſe ſuum Conſequens; ſi rurſum ipſum Antecedens

quoad Sequelam contineatur in aliquo, neceſſum eſt etiam Conſequens in illo contineri. Quia in quo Continens, in eo continetur et Contentum; ut quia dolium continetur in cella, hinc etiam vinum dolio contentum continetur in cella.

2. Secundum Axioma: Ex quo non ſequitur Conſequens, ex eodem nec Antecedens. Si enim Antecedens ſequeretur ex illo, jam etiam Conſequens ex eodem ſequeretur juxta Primum Axioma; ſed falſum eſt, ex ſuppoſito, quod Conſequens ex illo ſequatur, ergo etiam falſum eſt quod Antecedens ex illo ſequatur, quia Falſum non niſi ex falſo.

3. Tertium Axioma: Quod ſequitur ad Conſequens, ſequitur ad Antecedens; quia quod continetur in Contento, continetur etiam in Continente.

4. Quartum Axioma: Quod non ſequitur ad Antecedens, non ſequitur etiam ad Conſequens. Si enim ſequeretur ad Conſequens, jam etiam ſequeretur ad Antecedens juxta Tertium Axioma.

5. Poſſumus in gratiam Tironum haec Axiomata Exemplis incorporare et velut tactui ſubjicere. Sint tres iſtae Enunciationes: 1. *Sto*, 2. *Stare poſſum*, 3. *Sum animal.* Conſidera ſecundam, nempe *Stare poſſum*; haec eſt Antecedens, et tertia, nempe *Sum animal*, eſt ejus Conſequens; at quia Antecedens illud ſequitur ex primâ, nempe ex *Sto*, hinc etiam ex primâ illâ ſequitur Conſequens; nam recte ſequitur *Sto*, *ergo ſum animal.* Rurſum 1., *Sto*, eſt Antecedens et 2., *Stare poſſum*, eſt ejus Conſequens, et 3., *Sum animal*, recte ſequitur ad 2. (Conſequens); proinde etiam ſequitur ad 1. (Antecedens). Atque ita duo Axiomata Affirmativa in Exemplis poſita fuerunt. Rurſum quia 2., *Stare poſſum*, eſt Conſequens ad 1., *Sto*, atque. 2. (Conſequens) non ſequitur ex 3. (non enim ſequitur *Sum animal*, *ergo ſtare poſſum*), hinc etiam Antecedens 1., *Sto*, non ſequitur ex 3.; nec enim ſequetur *Sum animal*, *ergo ſto.* Et ſic Secundum Axioma in Exemplo poſitum eſt. Rurſum quia 1.,

Sto, non ſequitur ad Antecedens 2., *Stare poſſum*, hinc etiam non ſequitur ad 3., quod eſt Conſequens ejus. Atque ita denique Quartum Axioma Exemplo inveſtitum eſt.

6. Hoc Quadratum analogum eſt cum Primo Quadrato; fundatur enim hoc Quadratum in Continentia, qua Antecedens continet ſuum Conſequens penes Illationem ſeu Conſequentiam, ſicut Primum Quadratum fundatur in Continentia, qua Praedicatum continet ſe in ſuum Subjectum quoad Affirmationem. Praedicatum continet ſuum Subjectum in genere Totius Potentialis; Antecedens vero continet ſuam Concluſionem in genere Totius Actualis; quotquot enim in Antecedente ſunt Concluſiones, continentur in illo penes *Et*, ſeu Copulative; Subjecta vero continentur in Praedicato penes *Vel*, ſeu Diſjunctive.

Caput IX.

De Comparatione Enunciationum.

1. Enunciationes quoad Conſequentiam inter ſe comparantur, vel tamquam ipſa Extrema Conſequentiae (et hinc reſultant Enunciationes Convertibiles ac Subalternae), vel tamquam unum Extremum et Contradictorium alterius Extremi (et hinc nanciſcimur Contrarias ac Subcontrarias). Atque adeo haec poſterior Comparatio ſupponit Contradictorias. Tandem his accedunt Diſparatae, quae ſcilicet extra Comparationem ſunt.

2. Enunciationes Convertibiles (quae etiam Aequivalentes dicuntur) ſunt Enunciationes quae ſe mutuo inferunt, ſeu ex earum una ſequitur altera, et contra. Ut: *Non neceſſario ſto*, *Poſſibiliter non ſto*; recte enim ſequitur *Non neceſſario ſto*, *ergo poſſibiliter non ſto*, et contra etiam ſequitur *Poſſibiliter non ſto*, *ergo non neceſſario ſto.* Et paſſim hujus generis quamplurimas videre potes, ubi de Reductione et Expoſitione egimus; Reducens enim et Reducta ſemper aequivalent.

3. Enunciationes Subalternae ſunt, quarum una infert alteram,

ſed non contra. Ut: *Sto*, *Stare poſſum*; recte enim ſequitur *Sto*, *ergo ſtare poſſum*, ſed non ſequitur vice verſâ *Stare poſſum*, *ergo ſto*. Inter ſubalternas Enunciationes una dicitur Subalternans, altera Subalternata. Subalternans eſt quae infert eam ad quam comparatur, ſed ab ea non infertur, ut Enunciatio *Sto*, reſpectu Enunciationis *Stare poſſum*. Subalternata vero dicitur quae infertur ab aliâ Enunciatione, ad quam comparatur, ſed eam non infert, ut *Stare poſſum* reſpectu *Sto*.

4. Enunciationes Contradictoriae ſunt Enunciatio Negans et ejus Modificata ſeu ejus Negata; ut *Non ſto*, *Sto*; item *Omnis homo eſt doctus*, *Non omnis homo eſt doctus*. Iſtae vero: *Omnis homo eſt doctus*, *Aliquis homo non eſt doctus*, ſunt aequivalenter Contradictoriae, non vero formaliter; poſterior enim non negat priorem formaliter, ſeu prior non eſt Modificata poſterioris, quamvis ei aequivaleat juxta Schema Reductionum. Interim quae aequivalenter contradicunt, paſſim habentur pro abſolute Contradictoriis. Hae vero non contradicunt: *Omnis homo eſt doctus* et *Nullus homo eſt doctus*; nec iſtae: *Aliquis homo eſt doctus* et *Aliquis homo non eſt doctus*; quia non habent ſe ut Negans et Negata, cum neutra in iſtis combinationibus ſit Negans, ut nuper oſtendebam praeced. Sect. cap. 12. n. 4. et 5.

5. Enunciationes Contrariae ſunt Subalternans et Contradictoria Subalternatae ejus. V. g. hae ſunt Subalternae: *Sto*, *Stare poſſum*; capio Subalternantem, nempe *Sto*, et capio Contradictoriam Subalternatae, nempe *Non poſſum ſtare*, et nanciſcor has Contrarias: *Sto*, *Non poſſum ſtare*.

6. Enunciationes Subcontrariae ſunt Subalternata et Contradictoria Subalternantis ejus. V. g. hae ſunt Subalternae: *Sto*, *Stare poſſum*; capio Subalternatam, nempe *Stare poſſum*, et Contradictoriam Subalternantis, nempe *Non ſto*, habeoque has Subcontrarias: *Stare poſſum*, *Non ſto*.

7. In Communi Doctrina non nominantur Contrariae, niſi penes *Omnis* et *Nullus*, nec Subcontrariae, niſi penes *Aliquis*

et *Aliquis non*, nec Subalternae, niſi penes *Omnis* et *Aliquis*, aut *Nullus* et *Aliquis non.* Ego quidem eas etiam agnoſco; nam hae Subalternae ſunt: *Omnis homo eſt doctus*, *Aliquis homo eſt doctus*, cum prior inferat poſteriorem, et non contra. Hae ſunt Contrariae: *Omnis homo eſt doctus*, *Nullus homo eſt doctus*, cum prior ſit Subalternans et poſterior ſit Contradictoria (ſaltem aequivalenter) Subalternatae ejus. Hae tandem ſunt Subcontrariae: *Aliquis homo eſt doctus*, *Aliquis homo non eſt doctus*; quia prior eſt Subalternata et poſterior eſt Contradictoria Subalternantis in Aequivalenti. Sed malui haſce Species Comparationum penes nucleum, quam penes corticem aeſtimare, penes intimam naturam, quam penes extimum aliquem apparatum; quod cum facio, quamplurimas ſub ſpeciebus illis detego, quae, ſecundum frontem judicando, ad Species illas pertinere non viderentur.

8. Enunciationes Diſparatae ſunt, quae nihil horum ſunt: neque convertuntur, neque ſubalternae ſunt, neque contradictoriae, nec contrariae, nec ſubcontrariae. Ut, *Sto*, *Loquor*; cum enim neutra inferat alteram, non poſſunt eſſe Convertibiles aut Subalternae; cum neutra ſit negans, non poſſunt eſſe Contradictoriae; ſed nec aequivalent Contradictoriis, neque Contrariae ſunt, neque Subcontrariae, ut magis patebit ex Legibus jamjam dictandis.

9. Nota autem, has omnes Species viciſſim dici; id eſt, quando haec Enunciatio dicitur convertibilis cum illa, etiam illa dicitur convertibilis cum priori. Et potiſſimum oportet hoc infixum habere circa Contradictorias; non enim Negans Negatae tantum contradicit, ſed et Negata Neganti. Quoad Subalternas eſt aliqua diſparitas; nam Subalterna quidem viciſſim dicitur, ſed Subalternans non dicitur viciſſim, ſicut neque Subalternata viciſſim dicitur; cum enim haec Enunciatio eſt Subalternans illius, non illa viciſſim eſt Subalternans hujus, ſed Subalternata. Similia dicenda ſunt de Subalternata.

Caput X.

Leges harum Comparationum.

1. Lex Convertibilium: Convertibiles possunt esse simul verae, possunt esse simul falsae; sed una earum non potest esse vera, alterâ falsâ. Prima pars Legis probatur, quia hae sunt Convertibiles: *Non necessario sto*, *Possibiliter non sto*, atque sunt ambae verae. Secunda pars Legis demonstratur, quia hae sunt Convertibiles: *Necessario sto*, *Impossibiliter non sto*, atque sunt ambae falsae. Postrema pars Legis demonstratur, quia Convertibiles inferunt se mutuo; si ergo una earum esset vera, alterâ falsâ, ex illâ verâ sequeretur haec falsa; quod est contra Primam Proprietatem Consequentiae.

2. Lex Subalternarum: Subalternae possunt esse simul verae, possunt esse simul falsae, potest Subalternans esse falsa, Subalternatâ verâ, sed non contra. Prima pars Legis probatur, quia hae sunt Subalternae: *Sum homo*, *sum animal*, atque sunt ambae verae. Secunda pars Legis probatur, quia hae sunt Subalternae: *Sum bos*, *sum bestia*, atque sunt ambae falsae. Probatur Tertia pars Legis, quia hae sunt Subalternae: *Sum bos*, *sum animal*, atque Subalternans est falsa, Subalternatâ verâ. Probatur ultima pars Legis, quia si Subalternans esset vera, Subalternatâ falsâ, ex Vero sequeretur Falsum; Subalternans enim infert Subalternatam.

3. Legi Contradictoriarum hoc Theorema praemitti debet: Enunciatio Negans de suâ Negatâ dicit, quod sit falsa, atque hoc solum dicit. Enunciatio enim Modalis nihil aliud facit quam Modum suum tribuere suae Modificatae; Modus autem Enunciationis Negantis est *Non* seu *Falso*, igitur Enunciatio Negans nihil aliud dicit quam, Negatam seu Modificatam suam non esse seu falsam esse. Hinc jam clare intelligitur Lex Contradictoriarum: *Contradictoriae non possunt esse simul verae*, *non possunt esse simul falsae*; *altera tamen earum est vera*, *altera falsa.*

Probatur Prima pars Legis, quia ſi Contradictoriae eſſent ſimul verae, Negans inter illas deberet eſſe vera, ergo deberet hoc eſſe, quod eſſe dicit; dicit autem, Modificatam ſuam eſſe falſam; igitur illa deberet eſſe falſa; et eonſequenter duae Contradictoriae non erunt ſimul verae, ſed una earum, nempe Modificata, erit falſa. Probatur Secunda pars Legis, quia ſi Contradictoriae eſſent ſimul falſae, Negans inter illas erit falſa; debebit ergo aliquid eorum quae dicit, non eſſe; atqui hoc ſolum dicit, Modificatam ſuam eſſe falſam; hoc proinde non erit; adeoque rurſum duae Contradictoriae non erunt ſimul falſae, quia Negante falſâ Modificata ejus non erit falſa. Probatur Tertia pars Legis, quia cum Contradictoriae ſint Enunciationes, neceſſum eſt eas aut veras aut falſas eſſe; ambae non poſſunt eſſe verae, ambae non poſſunt eſſe falſae; hoc unicum igitur relinquitur, ut una earum ſit vera, et altera falſa. Hujus Legis Corollarium eſt: Si una Contradict. ſit vera, altera erit falſa; item, Si una Contradict. ſit falſa, altera erit vera. Si enim unâ verâ, altera non eſſet falſa, eſſet ergo altera illa etiam vera (cum enim ſit Enunciatio, debet eſſe vera vel falſa, per definit. Enunciat.); erunt ergo duae Contradictoriae verae, quod eſt contra primam partem Legis. Rurſum, ſi unâ Contradict. falſâ, altera non eſſet vera, eſſet ergo altera illa etiam falſa; quod eſt contra ſecundam partem Legis.

4. Lex Contrariarum: Contrariae poſſunt eſſe ſimul falſae; poteſt earum una eſſe vera, alterâ falſâ; ſed non poſſunt eſſe ſimul verae. Prima pars Legis demonſtratur: hae ſunt Subalternae: *Sum bos*, *Non ſum mus*; prior quidem Subalternans, poſterior vero Subalternata; ſume ergo tibi iſtam Subalternantem, ſcilicet *Sum bos*, et Contradictoriam Subalternatae, nempe *Sum mus*, et habebis duas Contrarias, eaſque ſimul falſas, ut per ſe patet. Probatur Secunda pars Legis: hae ſunt Subalternae: *Sum homo*, *ſum animal*; prior rurſum Subalternans, poſterior Subalternata; ſume igitur tibi Subalternantem, *Sum homo*, et

Contradictoriam Subalternatae, fcilicet *Non fum animal;* ecce funt Contrariae per Definitionem, et prior earum eft vera, pofterior autem falfa. Probatur denique Tertia pars Legis, quia fi Contrariae effent fimul verae, etiam Contradictoriae effent fimul verae. Si enim Contrariae fint fimul verae, ergo Subalternans et Contradictoria Subalternatae funt fimul verae; fed fi Subalternans eft vera, etiam Subalternata eft vera (per Legem Subalternarum, et praecipue per poftremam partem); ergo Contradictoriae erunt fimul verae, nempe Snbalternata et ejus Contradictoria.

5. Lex Subcontrariarum: Subcontrariae poffunt effe fimul verae, poteft una earum effe vera, alterâ falfâ; fed non poffunt effe fimul falfae. Probatur Prima pars Legis: hae funt Subalternae: *Sum bos*, *fum animal*; cape Subalternatam, nempe *Sum animal*, et Contradictoriam Subalternantis, nempe *Non fum bos*, et habes (juxta definit. Subcon.) duas Subcontrarias, eafque fimul veras, ut perfpicuum eft. Probatur Secunda pars Legis: hae funt Subalternae: *Sum homo*, *fum animal*; cape pofteriorem cum Contradictoria prioris, et habebis duas Subcontrarias, unam veram, alteram falfam. Probatur Poftrema pars Legis, quia fi Subcontrariae effent fimul falfae, etiam Contradictoriae effent fimul falfae. Si enim Subcontrariae effent fimul falfae, ergo Subalternata et Contradictoria Subalternantis erunt fimul falfae; fed fi Subalternata fit falfa, etiam Subalternans erit falfa (per Legem Subalter., et praecipue per ultimam Part.); ergo duae Contradictoriae erunt fimul falfae, nempe Subalternans et ejus Contradictoria, quod eft impoffibile; adeoque et impoffibile eft, ex quo hoc fequitur, juxta 2. Propriet. Conf.

6. Lex Difparatarum exlex eft. Nam poffunt quidlibet; poffunt effe fimul verae, poffunt effe fimul falfae, et utralibet earum poteft effe vera, alterâ falfâ. Exemplum habes in *Sto* et *Loquor*. Quando autem duae Enunciationes poffunt effe fimul verae, hoc ipfo certum eft, eas non effe Contradictorias, nec

etiam Contrarias. Cum poſſunt eſſe ſimul falſae, hoc ipſo certum eſt, non eſſe Contradictorias nec Subcontrarias. Cum una earum poteſt eſſe vera, alterâ falſâ, hoc ipſo certum eſt eas non eſſe Convertibiles. Et cum utralibet earum poteſt eſſe vera, alterâ falſâ, hoc ipſo certum eſt, eas non eſſe Subalternas. Recte enim ſequitur: *Sunt Contrariae aut ſunt Contradictoriae*, *ergo non ſunt ſimul verae* (ut patet ex Legibus Contra. et Contradict.); ergo per Converſionem Soriticam etiam ſequitur: *Sunt ſimul verae*, *ergo non ſunt Contrariae aut Contradictoriae.* Eodem pacto reliqua demonſtrantur.

Caput XI.

Quartum Quadratum Logicum.

1. Antequam veniamus ad hoc quartum Quadratum, praemittenda fuerint duo Theoremata, et unum Poſtulatum. Ac primo quidem hoc poſtulo: Detur, Convertibiles ſeu Aequivalentes Enunciationes pro iiſdem habere. Nempe quoad Conſequentiam idem continent, quia ſe mutuo continent, adeoque quoad Conſequentiam merito conceduntur eſſe eaedem. Et tota natura Enunciationis conſiſtit in *Dicere*; idem autem dicunt Convertibiles; una enim dicit totum hoc quod dicit altera, et contra, eo ipſo quo ſe mutuo inferunt. Vide ſupra de Conſeq. cap. 6. Sequuntur jam duo Theoremata, quorum hoc primum eſt: Enunciatio quaecunque, et illa Enunciatio vera, idem ſunt; inquam, Enunciatio aliqua, et alia Enunciatio, quae hanc Enunciationem veram eſſe dixerit, idem ſunt. Sic aequivalent et (juxta Poſtulatum) idem ſunt *Sto* et *Me ſtare verum eſt*; recte enim ſequitur: *Sto*, *ergo verum eſt me ſtare*, et contra: *Verum eſt me ſtare*, *ergo ſto.* Atque quod iſto Theoremate perhibetur, tam exiſtimo clarum eſſe, ut aliter quam Exemplo demonſtrare neceſſum non judicem. Secundum Theorema: Contradictoria alicujus Enunciationis, et illa Enunciatio falſa,

idem ſunt; inquam, Contradictoria alicujus Enunciationis, et Enunciatio, quae hanc Enunciationem falſam eſſe dixerit, idem ſunt. Demonſtro. Sint A, B Contradictoriae. Dico quod A falſum aequivaleat, ſeu (per Poſtul.) idem ſit cum B; quia ſi A ſit falſum, B erit verum (juxta Corollarium Leg. Contradic.); ſed B verum idem eſt quod B (juxta praec. Theorema); ergo ex A falſo ſequitur B. Ulterius, ſi B ſit verum, A erit falſum (juxta Corollar. Leg. Contradict.); ſed B verum idem eſt quod B (juxta praeced. Theorem.); ergo ex B etiam ſequitur A falſum. Ergo A falſum et B ſimpliciter inferunt ſe mutuo, ergo ſunt Convertibilia. Simili pacto demonſtrabis, quod B falſum et A ſimpliciter aequivaleant. Igitur Contradict. alicujus Enunciat., et illa Enunciat. etc., quod erat demonſtrandum.

2. Sequitur jam Quartum Quadratum; atque in eo Primum Axioma: Si ex una Enunciatione ſequatur alia Enunciatio, ex Contradictoria poſterioris ſequetur Contradictoria prioris. Demonſtro. Sint Enunciationes A, B, et earum Contradictoriae C, D, ſic ut C contradicat ipſi A, et D contradicat ipſi B, et ex A ſequatur B. Dico quod ex D etiam ſequatur C. Cum enim ex A ſequatur B, ex falſo B ſequetur falſum A (juxta 2. Propriet. Conſeq. *Falſum non niſi ex falſo*). Atqui B falſum idem eſt quod D (juxta 2. Theorem.), et A falſum idem eſt quod C (juxta idem); ergo ex D ſequetur C. Quod erat demonſtrandum. Argumenta, quae juxta hoc Axioma procedunt, voco Converſiones Soriticas aut Complexas, et ſimpliciter aliquando Converſiones. Etiamſi enim Logici nomine Converſionis ſoleant intelligere Converſionem in Terminis, tamen haec non tantopere uſui eſt, quam iſta noſtra Converſio. Talis Converſio hîc habetur: *Si ſto, ſtare poſſum; ergo ſi non poſſum ſtare, non ſto*; ibi enim ex eo, quod ex una Enunciatione ſequatur alia, infertur, ex Contradictoria hujus etiam ſequi Contradictoriam illius.

3. Secundum Axioma: Si ex Contradictoria alicujus Enunciationis non ſequatur Contradictoria alterius Enunciationis, etiam ex altera illa Enunciatione non ſequetur prior Enunciatio. Demonſtro hoc Axioma ex Primo et per Primum Axioma; ſequitur enim ex Primo Axiomate per Converſionem, hoc modo: *Si ex una Enunciatione ſequatur alia*, *ex Contradictoria poſterioris ſequetur Contradictoria prioris*; *ergo ſi ex Contradictoria poſterioris non ſequatur Contradictoria prioris*, *ex priori non ſequetur poſterior*; ſeu breviter: *Si ex A ſequatur B*, *ex falſo B ſequetur falſum A*, *ergo ſi ex falſo B non ſequatur falſum A*, *ex A etiam non ſequetur B.* Rarus eſt hic modus demonſtrandi, nempe ex et per idem. Antecedens enim hujus Demonſtrationis eſt Primum Axioma, atque idem eſt tota ratio et totum Fundamentum Conſequentiae ejuſdem demonſtrationis. Sed et hoc notatu dignum eſt, quod rurſum ex Secundo Axiomate ſequatur Primum, idque Per Primum. Hoc enim Secundum Axioma eſt tale Argumentum: *Si ex Contradict. alicujus Enunciationis non ſequatur Contradict. alterius Enunciat.*, *ex altera illa Enunciatione non ſequetur prior Enunciatio*; infer per Converſionem: *Ergo ſi ex altera ſequatur haec*, *ex Contradictoria hujus ſequetur Contradictoria illius*; quod eſt Primum Axioma. Ex quo etiam patet, Primum et Secundum Axioma Convertibilia eſſe, et per conſequens juxta Poſtulationem eſſe eadem.

4. Tertium Axioma: Si ex Contradictoria alicujus Enunciationis ſequatur Contradictoria alterius Enunciationis, ex altera illa Enunciatione ſequetur prior Enunciatio. Demonſtro: A contradicat ipſi B, et C contradicat ipſi D, atque ex A ſequatur C. Dico, quod ex D ſequatur B; quoniam enim ex A ſequitur C, hinc ex Contradictoria ipſius C, nempe ex D (Contradictoria enim viciſſim dicitur, ut pridem monui), ſequetur Contradictoria ipſius A, nempe B (juxta Primum Axioma); quod erat demonſtrandum. Nota bene, quod Contradictoria viciſſim dicatur, et videbis Tertium Axioma aequivalere Primo.

5. Quartum Axioma: Si ex una Enunciatione non ſequatur alia quaedam Enunciatio, ex Contradictoria poſterioris non ſequetur etiam Contradictoria prioris. Sequitur hoc Axioma per Converſionem ex tertio Axiomate hoc modo: *Si ex Contradict. ipſius A ſequatur Contradic. ipſius B, ex B ſequetur A; ergo ſi ex B non ſequatur A, ex Contradict. ipſius A non ſequetur Contradict. ipſius B.* Unde et viciſſim hoc Quartum Axioma infert Tertium, quia Extrema Converſionis (Antecedens inquam et Conſequens ejus) convertuntur ſeu aequivalent; unde et patet, omnia Axiomata hujus Quadrati inter ſe aequivalere. Eſt autem hoc quartum Quadratum praecipuum inter Quadrata Logica, et reliquorum omnium Seminarium, imo et ſui ipſius; per primum ſuum Axioma ſeminat reliqua Axiomata in ipſo comprehenſa.


Caput XII.

Schema Comparationis.

1. Praemitti decet hoc Theorema: Contradictoriae Subalternarum etiam ſunt Subalternae, ſed inverſo ordine; nempe Contradictoria Subalternantis ſubalternatur, et Contradictoria Subalternatae ſubalternat. Demonſtro: Sit A Subalternans, B ſit ejus Subalternata, C ſit Contradictoria Subalternantis, et D ſit Contradictoria Subalternatae. Dico, D, C etiam Subalternas eſſe, et D quidem ſubalternare, C vero ſubalternari. Nam cum ex A ſequatur B (per definitionem Subalternantis), ex Contradictoria ipſius B, quae eſt D, debet ſequi Contradictoria ipſius A, quae eſt C (per primum Axioma quarti Quadrati). Ulterius: ex B non ſequitur A (per definitionem Subalternatae), igitur ex Contradictoria ipſius A, ſeu ex C, non ſequitur Contradictoria ipſius B, ſeu D (per quartum Axioma quarti Quadrati). Igitur ex D ſequitur C, at ex C non ſequitur D; igitur D, C ſunt Subalternae,

D quidem Subalternans, C vero Subalternata (per definitionem Subalter.); quod erat demonstrandum.

2. His positis erit expedita constructio alicujus Schematis, in quo Subalternas, Contrarias, Subcontrarias et Contradictorias nullo negotio invenies. Sume tibi Quadratum. In dextero ejus latere pone duas Subalternas eo ordine, ut Subalternans sit supra, et Subalternata sit infra. Forma duas earum Contradictorias, ac pone in sinistro latere, sed inverso ordine, Contradictoriam Subalternatae supra, et Contradictoriam Subalternantis infra; hic iterum habebis duas Subalternas, Subalternantem quidem supra et Subalternatam infra (juxta Theorema mox propositum). In superiori autem Costa hujus Quadrati habebis Contrarias, nempe (per constructionem) habebis Subalternantem et Contradictoriam Subalternatae ejus, quae sunt Contrariae (per definit. Contrar.). In inferiori Costa habebis Subcontrarias; ibi enim habebis Subalternatam et Contradictoriam Subalternantis. In angulis autem per diametrum oppositis, habebis Contradictorias:



3. Radix hujus Schematis sunt Subalternae in dextero latere, nempe *Sto*, *Stare queo*; harum Contradictoriae ponuntur in sinistro latere inverso ordine: *Nequeo stare* et *Non sto*, atque ita rursum habentur Subalternae, Contrariae autem supra,

Subcontrariae infra, et Contradictoriae per diametrum. Unde vides quod in tali Schematc ſemper occurrunt duae combinationes Subalternarum, duae combinationes Contradictoriarum, una combinatio Contrariarum et una Subcontrariarum. Et quidem ad inveniendum Contrarias et Subcontrarias videtur tale Schema principaliter inſtitutum; nam Subalternas oportet praevie ad manum habere antequam ad conſtructionem Schematis te accingas, niſi quod tamen unam novam combinationem Subalternarum deprehendas in Schemate ortam ex ea quam ſumpſeras. Contradictoriae etiam ſupponuntur ad conſtructionem Schematis, et non proprie per ipſum Schema deprehenduntur. Servit igitur Schema multiplicationi Subalternarum et inventioni Contrariarum ac Subcontrariarum.

4. Nota, quod ſi pro Radice ſumpſeris Subalternas veras (v. g. has: *Sum homo*, *ſum animal*), haec orientur: in dextero latere Subalternae verae, nempe ipſa Radix; in ſiniſtro latere Subalternae falſae, utpote Contradictoriae verarum; in ſuperna coſta Contrariae, una vera altera falſa, vera quidem dexterorſum, falſa autem laevorſum; in inferna coſta Subcontrariae, una vera et altera falſa, ſimiliter ſitae. Si ſumpſeris Subalternas falſas, v. g. has: *Sum bos*, *ſum brutum*, habebis in ſiniſtro latere Subalternas veras; inferne vero ac ſuperne eadem quae ante, ſed ſitu in dexteram laevamque converſo; quae enim ibi a dexteris, hîc a ſiniſtris, et contra. Denique ſi ſumpſeris Subalternas unam veram et alteram falſam, in ſiniſtro quidem latere ſimiles Subalternas invenies; ſuperne vero Contrarias falſas, et inferne Subcontrarias veras. Oportet enim inter Subalternas quarum una vera eſt, altera falſa, veram quidem Subalternari, falſam autem Subalternare, ut patet ex Lege Subal.

5. Patet etiam ex hoc Schemate, Contradictorias Contrariarum Subcontrariari, et Contradictorias Subcontrariarum Contrariari. Quod et ex earum definitionibus demonſtrari poteſt; cum enim Contrariae ſint Subalternans et Contradictoria Subalternatae,

ſi harum Contradictorias tibi ſumpſeris, habebis Contradictoriam Subalternantis et Subalternatam, quae (per definit. Subcont.) ſunt Subcontrariae. Similiter cum Subcontrariae ſint Subalternata et Contradictoria Subalternantis, ſi ſumpſeris tibi earum Contradictorias, habebis Contradictoriam Subalternatae et Subalternantem, quae ſunt Contrariae. Habitis proinde Contrariis, nullo negotio evenient Subcontrariae, formando tantum earum Contradictorias. Ac ſimiliter ex Subcontrariis nullo negotio habebimus Contrarias.

PARS III.

SECTIO I.

De Argumentis.

De Argumentis agitur in Logicâ propter Rationem, quae eſt Quartum Inſtrumentum. Ratio enim cum Ratâ ſolet in Argumentum redigi, et Rationem Argumentando ſolemus invenire. Atque adeo Argumentum etiam Ratiocinatio vocari ſolet.

CAPUT I.

De Argumento in genere.

1. Argumentum abſtractim ſumptum idem eſt quod Conſequentia. Sic ſubinde dicimus, *Poſſum ſtare, ergo ſto* nullum Argumentum eſſe; dicere volumus, nullam eſſe Conſequentiam. Alioqui ibi etiam eſſe Argumentum, alio ſenſu intellectum, non ſolemus diffiteri, dicentes v. g. inter diſputandum, ſi quis hoc propoſuerit: *Sic Argumentatur N.* Et alioqui nunquam liceret *Argumentum* vocare inter diſputandum, cujus conſequentiam negare conſtituiſſemus. Et quamvis forte non ineptum ſit dicere, haec Argumenta, quorum inter diſputandum negamus conſequentiam, non agnoſci a nobis ut Argumenta, ſed ut praetenſa Argumenta, adeoque vocari a nobis *Argumenta*, quia ut talia obſtrudantur ab Oppugnante, non vero quia ſint talia; nos tamen hac Parte tam de Praetenſis illis, quam Veris

Argumentis agere debemus; unde, cum fieri poſſit, praeſtat ambo communi Definitione complecti.

2. Argumentum itaque eſt Enunciatio Illativa Affirmativa. Illativa Enunciatio eſt, in qua inter duas alias Enunciationes intercipitur Nota *Ergo.* Atque adeo Extrema Enunciationis Illativae, et per conſequens Argumenti, ſunt duae quaepiam Enunciationes; Copula autem, quae et *Nota Illativa* vocatur, eſt *Ergo.* Unde haec eſt Enunciatio Illativa: *Sto*, *ergo ſtare poſſum*; ibi enim inter duas illas Enunciationes, *Sto*, *ſtare poſſum*, tamquam inter Extrema, interjicitur *Ergo* tamquam Copula. Imo etiam iſta eſt Enunciatio Illativa: *Si ſto*, *ſtare poſſum*; licet enim expreſſe ibi non intercedat *Ergo* inter Enunciationes, at implicite intercedit; ſenſus enim eſt: *Si ſto*, *ergo ſtare poſſum.* Non ſufficit autem ad Argumentum, quod ſit Enunciatio Illativa; inſuper debet eſſe Enunciatio Affirmans. Unde iſtud non eſt Argumentum: *Non ſi ſtare poſſum*, *ergo ſto*; Argumentantes enim dicere debemus hoc ex illo ſequi, cum ibi dicatur non ſequi. Quinimo hoc non eſt Argumentum: *Sto*, *non ergo loquor*, etiamſi ſit Enunciatio Affirmativa, quatenus Copulativa; ſic enim reſolvitur: *Et ſto*, *et inde non ſequitur me loqui*, ubi Copula *Et* intacta eſt a Negatione, adeoque efficitur Copulativa Affirmans. Eſt tamen Negativa, quatenus Illativa, cum eatenus Copula ejus ſit *Ergo*, quae ibi a Negatione non eſt immunis.

Caput II.

De Antecedente et Conſequente.

1. Extrema Argumenti vocantur Antecedens et Conſequens. Antecedens eſt illud Extremum, quod ſenſu praecedit Copulam Argumenti; Conſequens (quod et Concluſio dicitur) eſt illud Extremum, quod ſenſu ſequitur Copulam Argumenti. Ut in hoc Argumento: *Sto*, *ergo ſtare poſſum*, Antecedens eſt *Sto*,

Confequens eft *Stare poffum.* Hîc fimiliter: *Sto*, *ergo loquor*, Antecedens eft *Sto*, Confequens eft *Loquor.* Unde differunt Antecedens et Confequens relata ad Confequentiam, et relata ad Argumentum; cum enim ibi fit Argumentum, utique Antecedens et Confequens Argumenti etiam adfunt; fed cum ibi nulla Confequentia fit, etiam nullae ejus adfunt affectiones, nec Antecedens nec Confequens talia ibi funt. Oportet vero integrum hoc, quod fenfu praecedit Copulam Argumenti, vocare Antecedens, non vero priorem partem tantum. Unde hîc: *Sto et loquor*, *ergo aliquis ftans loquitur*, non oportet pro Antecedente *Sto* affignare, fed totum hoc: *Sto et loquor*; hoc enim totum praecedit Copulam Argumenti. Simile quid dic de Confequente.

2. Antecedens itemque Confequens dividitur in Simplex et Complexum. Antecedens fimplex eft, quod eft Enunciatio fimplex, ut Antecedens hujus Argumenti: *Sto*, *ergo ftare poffum*; imo etiam Antecedens hujus: *Si fto*, *ftare poffum*; *ergo fi non poffum ftare*, *non fto*; etiamfi enim Enunciatio Condicionalis paffim inter Compofitas recenfeatur, non putatur tamen fe folâ conftituere Antecedens Complexum, quod etiam fignum eft, eam non effe vere compofitam, ut pridem dixi. Eadem dic de Confequente fimplici. Antecedens Complexum eft, quod eft Enunciatio compofita; atque adeo vel Copulativum eft, ut hîc: *Sto et loquor*, *ergo aliquis ftans loquitur*, vel Difjunctivum, ut hîc: *Vel non fto vel non loquor*, *ergo non loquor ftans.* Et Copulativum quidem Antecedens magis proprie Complexum eft; habetque hoc fpeciale, quod ad ejus partes feorfim aliquid refponderi poffit, ab eo qui Difputationem fuftinet, negando fcilicet vel concedendo; ubi Antecedens Difjunctivum hoc commune habet cum Antecedente Incomplexo, quod ipfum totum et per fe primo concedendum vel negandum fit, nullâ circa partes ejus verfante refponfione.

3. Partes in Antecedente Complexo vocantur *Praemiffae*; in

Conſequente Complexo eodem tenore vocentur *Submiſſae.* V. g. in hoc Argumento: *Sto et loquor, ergo quidam ſtans loquitur*, Praemiſſae ſunt *Sto*, *loquor*; in hoc autem: *Nemo ſtans loquitur, ergo vel non ſto, vel non loquor*, Submiſſae ſunt *Non ſto*, *non loquor.* Praemiſſae ſunt aequales vel inaequales. Aequales ſunt, quarum neutra ſeorſim ſufficit inferendae Concluſioni, vel utraque in ſolidum ſufficit; ut hîc: *Sto et loquor, ergo quidam ſtans loquitur*, Praemiſſae ſunt aequales, quia licet ambae ſimul et conjunctae inferant Concluſionem, neutra tamen ſeorſim hoc poteſt. Hîc item Praemiſſae ſunt aequales: *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, quia ambae ſeorſim et ſingulae ex aequo inferunt Concluſionem. Inaequales Praemiſſae ſunt quarum una ſeorſim infert Concluſionem, alterâ tantum applicante Antecedens ad Concluſionem; ut hîc: *Omnis homo eſt bos, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt bos*; ibi enim ſola prior Praemiſſa infert Concluſionem, poſterior tantum applicat priorem Praemiſſam ad Concluſionem.

4. Inter Praemiſſas inaequales una eſt Major, et altera Minor. Major eſt illa inaequalium Praemiſſarum, quae ſola infert Concluſionem. Minor eſt illa inaequalium Praemiſſarum, quae Concluſionem quidem non infert, ſed tantum applicat Antecedens ad Conſequens. Inter aequales autem Praemiſſas neutra Major, neutra Minor; altera tamen Prior, altera Poſterior eſt; ſubinde quidem ex convenientiâ aliquâ, et quia melius ſic congruat, ſubinde autem mere ex arbitrio, et quia ſic placet ei qui Argumentum proponit. Et quamvis haec ita ſint, uſus tamen obtinuit in omni Argumento Formali, quod paſſim Syllogiſmus vocatur, ſive Categoricus ſit Syllogiſmus (id eſt proprie dictus Syllogiſmus) ſeu Hypotheticus, ſeu Diſjunctivus, Majorem et Minorem dicere, Majorem quidem Praemiſſam illam, quae in Antecedente Verbotenus praecedit, Minorem vero, quae ſequitur; quamvis plerumque aut valde ſaepe ſint aequales iſtae Praemiſſae.

Caput III.

De Argumento Rationali et Condicionali.

1. Argumentum Condicionale eſt, in quo non aſſeritur Antecedens, ſed tantum ſupponitur. Ut: *Si ſto, ſtare poſſum*, ibi enim non aſſero, me ſtare. Unde et perinde verum hoc eſt, ſive ſtem ſive non ſtem. Argumentum Rationale eſt, in quo aſſeritur Antecedens. Ut: *Sto, ergo ſtare poſſum*, ibi enim aſſero, me ſtare, et non totum hoc verum erit, ſive non totum concedendum, caſu quo ſedeam; tunc enim negandum fuerit Antecedens. Unde qui Diſputationem ſuſtinet, ad nullam partem Argumenti Condicionalis reſpondet, ſed ipſum totum ad inſtar Simplicis alicujus Propoſitionis concedit vel negat; in Argumento autem Rationali ad minimum duabis partibus reſpondendum habet, Antecedenti nempe et Copulae Argumenti, quibus ſingulis concedendo vel negando reſpondet.

2. Non omnis Enunciatio Condicionalis eſt Argumentum Condicionale; datur enim Condicionalis Negativa (ut: *Non ſi ſto, ſtare poſſum*), cum Argumentum debet eſſe Enunciatio Affirmativa. Datur et Condicionalis non Illativa (ut: *Si bene ſtudueris, dabo tibi novas veſtes*); Argumentum autem debet eſſe Illativa Enunciatio. Omne tamen Argumentum Condicionale eſt Enunciatio Condicionalis, etiamſi ſubinde non expreſſe contineat Notam Condicialem *Si*; quod contingit in Argumento ad-hominem, ut vocant, in quo Sententiam alicujus loco Antecedentis aſſumimus, et abſurdum ex ea concludimus ad confutandum iſtam Sententiam, juxta Reg. *Falſum non niſi ex falſo.*

Caput IV.

De Argumento Bono et Malo.

1. Argumentum etiam dividitur in Argumentum bonae Conſequentiae et Argumentum malae Conſequentiae. Argumentum

bonae Conſequentiae eſt Argumentum cujus Copula ſignificat Conſequentiam quae ſubeſt; ut *Sto*, *ergo ſtare poſſum.* Argumentum malae Conſequentiae eſt, cujus Copula ſignificat Conſequentiam quae non ſubeſt; ut *Stare poſſum*, *ergo ſto.* Vocant hoc *Malum Argumentum*, et iſtud *Bonum*, quae nomenclatura probari vel improbari poteſt, juxta ea quae dicta ſunt Cap. 1. Interim Nomina iſta, quae uſus invexit, non reſpuemus; adeoque paſſim Bonum Argumentum dicemus quod Bonae Conſequentiae eſt, et Malum, quod Malae; licet tam hoc quam illud dici debeat Bonum Argumentum juxta definitionem Argumenti aſſignatam Cap. 1.

2. Argumentum Malum aliquando ſplendide Malum eſt, quando nempe habet Antecedens verum, Conſequente falſo; tale enim Argumentum directe nititur contra Capitalia Principia Logices: *Ex vero nil niſi verum* et *Falſum non niſi ex falſo.* Et quia ſplendide Mala ſunt iſta Argumenta, et aperte peccant, hinc in ſequentibus vocantur nobis *Impudentiae*; penes quas aeſtimantur omnia Argumenta Logica, utpote quae in Affectionibus Logicis, in quibus ipſa ſunt poſita, nullam poni ſinunt Impudentiam, id eſt nullum Argumentum, quod habeat Antecedens verum, Conſequente falſo, ut infra patebit.

3. Argumentum Malum patitur omnes differentias Extremorum. Poteſt enim Malum Argumentum 1. habere Extrema vera; quale eſt iſtud: *Sum animal*, *ergo ſum homo.* Poteſt 2. habere Extrema falſa; quale eſt iſtud: *Sum bos*, *ergo ſum lapis.* Poteſt 3. habere Antecedens falſum, Conſequente vero; quale eſt iſtud: *Sum bos*, *ergo ſum homo.* Poteſt 4. habere Antecedens verum, Conſequente falſo; quo ſpectant omnes Impudentiae, v. g.: *Sum homo*, *ergo ſum bos.* Argumentnm Bonum autem tantum tres differentias Extremorum admittet. Poteſt enim Bonum Argumentum 1. habere Extrema vera; quale eſt iſtud: *Sum homo*, *ergo ſum animal.* Poteſt 2. habere Extrema falſa; quale eſt iſtud: *Sum bos*, *ergo ſum brutum.* Poteſt 3.

habere Antecedens falſum, Conſequente vero; quale eſt iſtud: *Sum bos, ergo ſum animal.* Sed Bonum Argumentum non patitur quartam differentiam, ſeu nullam intra ſuos fines Impudentiam admittit.

4. Bonum Argumentum diſtinguitur in Neceſſarium et Contingens, quod penes Conſequentiam, quam Copula ſignificat, dijudicandum eſt. De his ſupra.

Caput V.

De Argumento Primo et Secundo.

1. Primum argumentum voco, quod non argumentatur ex alio Argumento, ſeu quod non praeſupponit aliud Argumentum tamquam Antecedens ſuum aut Praemiſſam; ut *Sto, ergo ſtare poſſum.* Secundum Argumentum dico, quod ex Argumento argumentatur, id eſt, praeſupponit aliud Argumentum tamquam Antecedens vel Praemiſſam; ut *Si ſto, ſtare poſſum; ergo ſi non poſſum ſtare, non ſto*; ibi enim Antecedens eſt hoc Argumentum Condicionale: *Si ſto, ſtare poſſum.* Non requiro autem ad Argumentum Secundum, ut integrum ejus Antecedens ſit Argumentum; ſed ſufficere mihi videtur, ſi vel una ejus Praemiſſa fuerit Argumentatio. Quapropter Syllogiſmos Hypotheticos etiam inter Argumenta Secunda recenſeo, veluti: *Si ſto, ſtare poſſum; ſed ſto; ergo ſtare poſſum*; item: *Si ſto, ſtare poſſum; ſed non poſſum ſtare, ergo non ſto*; ibi Argumentum illud Condicionale, *Si ſto, ſtare poſſum*, tantum obtinet locum Praemiſſae, non autem integri Antecedentis.

2. Argumenta quae ex Antecedente Neceſſario procedunt, etiamſi ſaepe communi apprehenſione et externo apparatu videantur Prima, facile tamen poſſunt conſiderari ut Secunda; quia omnes Propoſitiones Neceſſariae admittunt ſenſum Condicionalem. Ut *Duo et tria ſunt quinque* admittit hunc ſenſum: *Si ſunt duo et tria, ergo ſunt quinque*; item *Totum eſt majus*

ſuâ parte, id eſt, *Si ſit totum, ergo eſt majus ſuâ parte, etc.* Unde etiam *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal* poteſt conſiderari tamquam Argumentum Secundum, hoc modo: *Si quid ſit Petrus, id etiam eſt homo; ergo ſi quid ſit Petrus, id etiam eſt animal.* Si igitur iſti conſiderationi fraenum laxare voluerimus, ſola Argumenta quae ex Antecedente Contingenti procedunt, poterunt eſſe Prima; ut *Sto, ergo ſtare poſſum*; quia v. g. *Sto* non admittit ſenſum condicionalem, cum nullo modo poſſit exponi: *Sto, id eſt, ſi ſum ego, ergo ſum ſtans*; exponens enim ibi eſt impoſſibilis, cum expoſita ſaepe ſit vera.

3. Sed temperandum eſt iſti Conſiderationi, et Propoſitiones neceſſariae etiam ut Propoſitiones cogitandae, et non tantum ut Argumenta, ſicut exterior earum apparatus et forma poſtulant. Quo ſervato, inter Argumenta Prima recenſebimus Repetitionem, Subalternationem, Converſionem, Syllogiſmum, Argumentum a diviſis ad cònjuncta, Argumentum a conjunctis ad diviſa, et omnia Argumenta Topica, id eſt uno verbo omnia Argumenta in Terminis; at inſuper etiam quaedam in Enunciationibus, nimirum Subalternationem Complexam et omnes ferme Syllogiſmos Diſjunctivos. At inter Argumenta Secunda recenſebimus Syllogiſmum Hypotheticum utrumque, Directum nempe et Indirectum, Soritem, Converſioneſque Soriticas et Enthymemata Soritica. Circa quae duo poſteriora aliqua difficultas eſt, cum procedunt ex Antecedente Negativo. Et quamvis eo caſu non ſint Argumenta Secunda, cum tunc non Argumententur ex Argumentatione, ſeu Enunciatione Illativâ Affirmante, ſed ex Enunciatione Illativâ Negante; tamen ad Argumenta Secunda commode revocantur, ne a conſortibus ſuis, quae ex Antecedente Affirmativo procedunt, ſeparentur.

Caput VI.

De Argumento Praegnante et Puro.

1. Argumentum Praegnans eſt, inter cujus Extrema implicite

mediat Enunciatio, tamquam Confequens Antecedentis et Antecedens Confequentis iftius Argumenti. Et hinc illam Enunciationem, quae fic illative feu penes Illationem mediat inter Antecedens et Confequens Argumenti Praegnantis, *Elifam* vocare poffumus. V. g. hoc Argumentum Praegnans eft: *Omnis homo eft animal*, *ergo aliquod animal eft homo*; ibi enim haec eliditur: *Aliquis homo eft animal*; ibi enim haec cum utroque Extremo praedicti Argumenti illative feu mediante Copulâ *Ergo* cohaeret, cum Antecedente tamquam Confequens et cum Confequente tamquam Antecedens, hoc modo: *Omnis homo eft animal*, *ergo aliquis homo eft animal*, et: *Aliquis homo eft animal*, *ergo aliquod animal eft homo.* Ex quo etiam patet, Argumentum Praegnans implicite continere plura Argumenta, in quae refolvi poffit; ficut hoc Argumentum Praegnans: *Omnis homo eft animal*, *ergo aliquod animal eft homo*, virtualiter feu implicite continet hanc Subalternationem: *Omnis homo eft animal*, *ergo aliquis homo eft animal*, et hanc puram Converfionem: *Aliquis homo eft animal*, *ergo aliquod animal eft homo.* Atque ex hac Proprietate Argumenti Praegnantis nomen ei feci.

2. Argumenta, in quae refolvitur Argumentum Praegnans, poffunt vocari *Intrufa*, et ipfum Argumentum Praegnans horum refpectu vocari poteft *Recipiens.* Specialiter vero illud Argumentum Intrufum dici meretur, quod eft difparis naturae a Recipiente. Sic in Argumentum Praegnans mox propofitum intrufa funt duo Argumenta, nimirum una Subalternatio, et una Pura Converfio; fed prior magis et Specialius intrufa cenfetur, pofterior enim participat in natura cum ipfo Argumento Praegnante, utpote quod etiam Converfio quaedam fit. Et hinc etiam Argumenta quaedam *Communiter Intrufa* dici poffunt, quae nempe ex genere fuo talia funt, ut promifcue alterius fpeciei Argumentis intrudantur. Talia Argumenta funt Subalternatio et Converfio; haec enim paffim in multis aliarum Specierum Argumentis, praecipue in Syllogifmis et Argumentis

Topicis infarciuntur. Subalternatio etiam in Converſionem intrudi poteſt, ſed Converſio non poteſt intrudi in Subalternationem, ut ſtatim patebit ex earum Definitionibus.

3. Argumentum Praegnans non ſemper duobus modo, ſed ſubinde etiam pluribus Argumentis Intruſis turget. Ut hic Syllogiſmus: *Omnis homo eſt animal*, *omne rationale eſt homo*; *ergo aliquod animal eſt rationale*, puro Syllogiſmo et inſuper Subalternatione ac Converſione praegnat, ſic reſolvendus: *Omnis homo eſt animal*, *omne rationale eſt homo*; *ergo omne rationale eſt animal* (ubi purus Syllogiſmus, juxta Axioma: Quod dicitur de Praedicato, dicitur de Subjecto, procedens); item *Omne rationale eſt animal*, *ergo aliquod rationale eſt animal* (ubi Subalternatio); item *Aliquod rationale eſt animal*, *ergo aliquod animal eſt rationale* (ibi pura Converſio). Ita ut primus ille Syllogiſmus duas Eliſas habeat, nempe *Omne rationale eſt animal* et *Aliquod rationale eſt animal.*

4. Argumentum Purum eſt, inter cujus Extrema non interjicitur implicite aliqua Enunciatio tamquam Conſequens Antecedentis et Antecedens Conſequentis. Sed difficultas, num tale detur aliquod Argumentum; Antecedens enim ſemper habet plures, imo infinitas Enunciationes ſecum Convertibiles, quarum proinde aliqua inter Antecedens et Conſequens cujuſcunque Argumenti intercedere poterit penes Illationem; nam inferetur ab Antecedente tamquam Convertibili, et inferet Concluſionem tam bene quam ea inferatur ab Antecedente; quod enim ſequitur ex una Convertibilium, etiam ex altera ſequitur. Reſpond. Verum eſt, nullum dari Argumentum quod ſit abſolute purum, ut Ratio allegata convincit; ſed ſaltem dantur Argumenta Logica pura, id eſt, talia Argumenta Logica, in quae nullum aliud Argumentum Logicum intruſum ſit; atque haec intelligemus nomine Argumenti Puri ſimpliciter poſito. Quid ſint Argumenta Logica, dicetur infra cap. 11.

5. Inter Argumenta Pura, ſic aeſtimando, primo loco occurrit

Repetitio. Eſtque Argumentum cum unica Propoſitione, id eſt, una eademque Propoſitio obtinet locum Antecedentis et locum Conſequentis in illo; ut *Sto*, *ergo Sto.* Vocatur vulgo Argumentum Fatuum, iniquo nomine; eſt enim Argumentum optimum, et quo nullum melius vel cogitatione fingi poſſit. Sed percepi mentem non recte loquentium; *Fatuam Probationem* volunt dicecre. Argumenta enim non ex Argumentorum natura metiuntur, ſed ex fine, quem ſibi diſcentes praeſtituunt, Diſputatione et victoriâ; et ſane nemo tam fatuus eſt, qui ineptum eſſe non videat, tales Argumentationes ad probandum vel confutandum aſſumere.

6. Hanc gradu proximo inſequitur Subalternatio; quae eſt Argumentum cum duabus Propoſitionibus ſolâ quantitate diſtinctis. Nimirum Antecedens et Conſequens habent ſe tamquam Propoſitio Univerſalis et Propoſitio Particularis, quoad caetera coincidunt; ut: *Omnis homo eſt animal*, *ergo aliquis homo eſt animal*, imo: *Aliquod animal eſt homo*, *ergo omne animal eſt homo.* Nondum enim ago de Subalternatione Formali ſeu Formaliter bonâ. Subalternatio non eſt ex toto ſuo genere bonum Argumentum; atque in eo diſtinguitur a Repetitione, quae ex toto ſuo genere neceſſariae Conſequentiae eſt; ejus enim Fundamentum Primum eſt et inconcuſſum: *Neceſſario quidlibet ſi eſt*, *eſt.* Quod alii ſic efferunt: *Quidlibet dum eſt*, *neceſſario eſt*; non ſatis accurate ad normam Logicam, et falſum ſonat, niſi benigne interpreteris. Quamvis interim Subalternatio non ſit ex toto ſuo genere bonum Argumentum, parvo tamen impendio, ſervato exiguo ritu et Formâ aſſeritur in bonum Argumentum; nimirum ille modo ſitus inter Extrema ſervetur, ut Univerſalis Propoſitio praecedat Particularem. Subalternatio ſaltem Repetitione impraegnata videtur; non eſt enim aliud Argumentum Logicum, quod in eam intrudi poſſe videatur. Sed cuicunque Argumento intruſa ſit Repetitio, nunquam exſolvitur, quia hoc uſum non habet; ideoque in Diſciplinis Fatuum eſſet hoc agere.

7. Subalternationi ſuccedit Converſio. Eſtque Argumentum cum duabus Propoſitionibus eorundem Terminorum, ſed inverſorum: ut *Homo eſt animal, ergo animal eſt homo.* Non ago adhuc de Converſione Formali ſeu formaliter bonâ, ſed agam de illa Sect. 2. Converſio non eſt ex toto ſuo genere bonum Argumentum, in eoque convenit cum Subalternatione; differt vero, quod plus Formae ſervandum ſit in Converſione, ut ab omni vitio vindicetur, quam in Subalternatione, ut patebit ſequ. Sectione. Converſio tantum admittit Subalternationem; nullum aliud Argumentum ei intrudi poteſt.

8. Quarto loco ſuccedunt reliqua Argumenta Logica, Syllogiſmi, Argumenta Topica etc., quae tum a Subalternatione, tum a Converſione iniri poſſunt, imo ſubinde ab utraque ſimul. Porro: Curanda nobis tantummodo ſunt Argumenta Pura; quia Praegnantes Argumentationes hoc ipſo ſatis accuratae videbuntur, ſi Argumentis Puris, in quae reſolvuntur, ſatis proſpectum fuerit; tantum opus erit induſtriâ et artificio reſolvendi, ſicubi Praegnantes Argumentationes occurrerint.

Caput VII.

De Enthymemate.

1. Atque ſic obiter actum eſt de ſimplicioribus Argumentis, Repetitione, Converſione, Subalternatione; ordini iſti inſiſtentibus, poſt iſta occurrit Enthymema. Enthymema eſt Argumentum cum tribus Terminis diſperſis per duas Propoſitiones. Argumentum, inquam, ſive Bonum ſive Malum, quia non minus Mala quam Bona Argumenta poſſunt eſſe bona Enthymemata; velut iſtud eſt bonum Enthymema: *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt bos.* Diſpergi dico Terminos per aliquas Propoſitiones, quando ſic ponuntur iſti Termini in iſtis Propoſitionibus, ut nullus eorum bis occurrat in eadem Propoſitione.

2. Quia in Enthymemate ſunt duae Propoſitiones, hinc in Enthymemate ſunt quatuor loca Terminorum; in qualibet enim Propoſitione duo loca Terminorum reperiuntur, nempe locus Subjecti et locus Praedicati. Cum igitur in Enthymemate, implendis quatuor locis Terminorum, tantum ſuppetant tres Termini, neceſſum eſt unum iſtorum Terminorum bis poni in Enthymemate. Atque is Terminus Communis dicitur; ponitur autem et in Antecedente et in Conſequente; non poteſt enim in ſolo Antecedente bis poni, aut in ſolo Conſequente, quia ſic Termini non eſſent diſperſi in Enthymemate. Cum igitur Terminus Communis ponatur in Antecedente et in Conſequente ſimul, neceſſum eſt, ut duo reliqui Termini, unus in Antecedente tantum, alter in Conſequente tantum ponatur. Et qui in Antecedente tantum ponitur, vocatur Terminus Inferens; qui in Conſequente tantum, dicitur Terminus Illatus; v. g. in praedicto Enthymemate Terminus Inferens eſt *Homo*, Terminus Illatus eſt *Bos*, Terminus Communis eſt *Petrus.* Ex quo etiam patet, in ſolo Enthymemate reperiri illas Terminorum differentias, extra vero Enthymema, nec Terminum Inferentem qua talem, nec Illatum, nec Communem reperiri.

3. Enthymema dicitur procedere ex parte Subjecti, quando Terminus Inferens in Antecedente et Terminus Illatus in Conſequente, ambo ponuntur loco Subjecti; eoque caſu Terminus Communis bis ponitur loco Praedicati. Sic iſtud Enthymema procedit ex parte Subjecti: *Animal ſentit*, *ergo bos ſentit.* Enthymema dicitur procedere ex parte Praedicati, quando ambo illi Termini, Inferens inquam et Illatus, ponuntur ex parte Praedicati; atque eo caſu Terminus Communis bis ponitur loco Subjecti. Sic procedit iſtud Enthymema: *Bos ſentit*, *ergo bos eſt animal.* Quando vero Inferens ponitur loco Subjecti in Antecedente et Illatus loco Praedicati in Conſequente, aut contra (quo caſu Terminus Communis ſemel ponitur loco Subjecti, et ſemel loco Praedicati), non eſt Purum Argumen-

tum, ſed Praegnans, in aliud Purum Enthymema ac Converſionem reſolvendum; ut hoc: *Bos ſentit*, *ergo aliquod animal eſt bos*; quod ſic reſolvitur: *Bos ſentit*, *ergo bos eſt animal* (ubi Purum Enthymema), et: *Bos eſt animal*, *ergo aliquod animal eſt bos* (ubi Converſio; quae tamen non eſt pura ſed Subalternatione infarta, ſic reſolvenda: *Bos eſt animal*, ſeu, quod idem eſt, *Omnis bos eſt animal*, *ergo quidam bos eſt animal*, ubi Subalternatio, et *Quidam bos eſt animal*, *ergo quoddam animal eſt bos*, ubi pura Converſio eſt). Fuit igitur Enthymema a Praedicato ad Subjectum; ponatur jam Enthymema a Subjecto ad Praedicatum. V. g.: *Nullum brutum eſt homo*, *ergo nullus homo eſt bos*; quod ſic reſolvitur: *Nullum brutum eſt homo*, *ergo nullus homo eſt brutum* (ibi pura Converſio), et *Nullus homo eſt brutum*, *ergo nullus homo eſt bos* (ubi purum Enthymema). Sed juxta Reg. praeced. cap. n. ult. traditam de duabus iſtis ſpeciebus Enthymematis curandum non eſt, niſi ut ſcite reſolvantur, ſi incidant; tantum ergo curanda ſunt Enthymemata Pura, quae ſunt vel ex parte Subjecti vel ex parte Praedicati.

4. Supplementum etiam circa Enthymema conſiderandum eſt. Supplementum Enthymematis voco Propoſitionem conſtantem Termino Inferente et Termino Illato Enthymematis, tamquam ſuis Extremis. V. g. poſito hoc Enthymemate: *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt bos*, Supplementum ejus eſt iſta Propoſitio: *Homo eſt bos*; illa enim componitur ex Inferente et Illato Enthymematis tamquam Subjecto et Praedicato. Imo etiam illa: *Bos eſt homo*; non refert enim ad Supplementum an Inferens obtineat in eo locum Subjecti, Illato tenente locum Praedicati, an contra. Imo etiam iſta: *Homo non eſt bos*, aut: *Bos non eſt homo*; non refert enim etiam ad Supplementum, an affirmativum ſit an negativum. Unde et Supplementum Enthymematis dividi poteſt in Affirmativum et Negativum, itemque in Rectum et Inverſum. Rectum vocabo illud Supplementum, in quo Inferens obtinet locum Subjecti et Illatus locum Praedicati. Inverſum

Supplementum vocabo, in quo vice verſâ Illatus obtinet locum Subjecti, Inferens locum Praedicati.

5. Quando Enthymema eſt bonum Argumentum Logicum, tunc vocatur Argumentum Topicum, et a quibuſdam Argumentum Materiale; de quo infra.

Caput VIII.

De Syllogiſmo materialiter conſiderato.

1. Egi de Converſione et Subalternatione materialiter ſpectatis, id eſt ſpectatis independenter ab illo apparatu, qui eis tutam praeſtare poſſet Conſequentiam. Egi etiam de Argumento Topico ſic ſpectato, quodque ibi commodum accidebat, ſub nomine Enthymematis. Ordo poſtulat, ut de Syllogiſmo nunc dicam, ſed materialiter conſiderato, praeſcindendo ſcilicet ab illa Forma, quae ei ſufficit ad bonitatem Conſequentiae, et a qua Argumentum Formale dicitur, quando in famoſa ſua ſignificatione ſumitur. Syllogiſmus igitur ſic conſideratus eſt Enthymema cum Supplemento praemiſſo, id eſt Argumentum compoſitum ex Enthymemate et Supplemento ejuſdem Enthymematis, ita appoſito ad Antecedens Enthymematis, ut Supplementum ac Antecedens conſtituant duas Praemiſſas in Argumento iſto compoſito. Sic v. g. ſumpto hoc Enthymemate: *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt bos*, et ſumpto Supplemento ejus, v. g. *Homo eſt bos*, eoque ſic appoſito ad Antecedens Enthymematis, ut praecedat pariter Notam Illativam (ita enim fiet Praemiſſa), v. g. hoc modo: *Homo eſt bos, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt bos*, habebis hoc ipſo Syllogiſmum, ut ibi poſitus eſt. Perinde autem eſt an Supplementum praeficias Antecedenti Enthymematis, an poſtponas, modo tamen praefigas Copulae ſeu Notae *Ergo*; alioqui enim non eſſet Supplementum praemiſſum, ut Definitio requirit, ſed Supplementum ſubmiſſum; vide cap. 2.

2. Ex his patet, 1. in Syllogiſmo tres Propoſitiones reperiri,

duas nimirum, quae erant in Enthymemate, et tertiam, quae ſupervenit tamquam Supplementum; harum duas, nimirum Antecedens Enthymematis et Supplementum, conſtituere Antecedens Syllogiſmi; tertiam vero, nempe Concluſionem Enthymematis, etiam remanere Concluſionem in Syllogiſmo; inſuper, duas illas Propoſitiones, quae conſtituunt Antecedens, eſſe Praemiſſas. Ac eam quae primo loco ponitur, Majorem, quae ſecundo loco, Minorem dicere uſu receptum eſt (quid autem hic Ratio requirat, videre potes ſupra cap. 2.). Patet 2., in Syllogiſmo tres tantum Terminos reperiri; tres enim tantum fuerant in Enthymemate, et Supplementum non adduxit novum Terminum, cum illud adaequate componi debeat ex Termino Inferente et Termino Illato ipſius Enthymematis. Patet 3., tres illos Terminos diſpergi in Syllogiſmo, ſeu nullum eorum bis occurrere in eadem Propoſitione; fuerunt enim diſperſi in Enthymemate, et nullus eorum colligitur in Supplemento, utpote quod ex duobus diſtinctis Terminis concinnandum ſit. Patet 4., ſingulos iſtorum Terminorum bis poni in Syllogiſmo. Terminus enim Communis in Enthymemate bis ponebatur, Terminus vero Inferens et Terminus Illatus ſinguli ſemel ponebantur in Enthymemate; hi vero repetuntur in Supplemento, adeoque et illi bis ponuntur in Syllogiſmo. Patet 5., Terminum Inferentem Enthymematis bis poni in Antecedente Syllogiſmi; ſemel enim ponebatur in Antecedenti Enthymematis, et ſemel adhuc ponitur in Supplemento, ergo bis ponitur in Antecedente Syllogiſmi, utpote quod ex Antecedente Enthymematis et Supplemento tamquam duabus ſuis Praemiſſis conflatum ſit. Duo autem reliqui Termini Enthymematis, nempe Terminis Communis et Terminus Illatus, ponuntur pariter in Antecedente ac Conſequente Syllogiſmi. Terminus enim Communis ponebatur in Antecedente pariter ac Conſequente Enthymematis; jam autem Conſequens Enthymematis adhuc manet Conſequens in Syllogiſmo, et Antecedens Enthymematis ponitur

in Antecedente Syllogifmi tamquam praemiffa; et fic demonftratum eft, Terminum Communem Enthymematis poni in Antecedente ac Confequente Syllogifmi. Idem demonftratur de Termino Illato; Illatus enim ponebatur in Conclufione Enthymematis, quae etiamnum eft Conclufio Syllogifmi ex Enthymemate nati, et infuper Terminus Illatus ponitur in Supplemento, quod eft in Antecedente Syllogifmi tamquam Praemiffa.

3. Enthymema dicitur reduci ad Syllogifmum, quando Supplemento praemiffo adaugetur; ut hoc Enthymema: *Petrus eft homo*, *ergo Petrus eft animal*, fi Supplementum ejus, v. g. *Homo eft animal*, appofueris Antecedenti ejus, dicetur reduci ad hunc v. g. Syllogifmum: *Petrus eft homo*, *et homo eft animal*, *ergo Petrus eft animal.* Et quando Enthymema jam reductum eft ad Syllogifmum, Termini ejus acquirunt nova nomina. Et Terminus quidem Inferens jam incipit vocari *Medius* ant *Medium*; Communis vero et Illatus ambo vocantur *Extiemitates*; ut in praedicto Syllogifmo Medium eft *Homo*, Extremitates funt *Petrus* et *Animal.* Adeo ut Medium, dum conftruendus jam Syllogifmus eft, definiri poffit: Terminus Inferens Enthymematis, quod Supplemento praemiffo adaugetur; conftructo autem jam Syllogifmo definitur Medium: Terminus qui in Antecedente Syllogifmi bis ponitur. Et fimiliter Extremitas, Syllogifmo conftruendo, eft Terminus Communis aut Illatus Enthymematis quod Supplemento praemiffo adaugetur; Syllogifmo jam conftructo, eft Terminus qui ponitur in Antecedente pariter ac Confequente Syllogifmi.

4. Si Medium bis ponatur loco Subjecti, Syllogifmus dicitur pofitus in tertiâ Figurâ, hoc modo: *Homo eft animal*, *et homo eft Petrus*, *ergo Petrus eft animal.* Si vero Medium bis ponatur loco Praedicati, Syllogifmus dicitur pofitus in fecundâ Figurâ, hoc modo: *Animal eft homo*, *et Petrus eft homo*, *ergo Petrus eft animal.* Si autem Medium femel ponatur loco Subjecti et femel loco Praedicati, Syllogifmus dicitur pofitus in primâ

Figurâ; ut: *Homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt animal.* Et ſi quidem primo occupet locum Subjecti, ac deinde locum Praedicati (ut contingit in Exemplo proxime allegato), Syllogiſmus dicitur poſitus in prima Figura Ordinaria; ſi vero vice verſâ fiat, et Medium primo obtineat locum Praedicati, ac deinde locum Subjecti, Syllogiſmus dicitur poſitus in primâ Figurâ Extraordinariâ, quam aliqui etiam Galenicam vocant, hoc modo: *Petrus eſt homo*, *et homo eſt animal*, *ergo Petrus eſt animal.* Ex quo patet, ſolâ tranſpoſitione Praemiſſarum Syllogiſmum mutari e Primâ Figurâ Ordinariâ in primam Figuram Extraordinariam, et contra. Sicut et e primâ Figurâ in Secundam aut Tertiam vel contra mutatur ſolâ Converſione unius vel utriuſque Praemiſſae. Non omnes Syllogiſmi quos adduxi, aut quos adducendos deſignavi, ſunt formaliter boni; ſed praemonui, et rurſum moneo, et Titulus hujus capitis mecum monet, necdum agere me hic de Syllogiſmo famoſe dicto, qui ſit Argumentum Formale, habeatque Conſequentiam perpetuo bonam vi ſuae Formae, ſed via generationis procedentem ſpectare me Syllogiſmum rudem et informem, ex Enthymemate jamjam naſcentem, quem deinde perpoliam er formem.

5. Quid ſit Extremitas in Syllogiſmo, dixi num. 3. Illa dividitur in Majorem et Minorem Extremitatem. Major Extremitas eſt, quae in Majori Praemiſſâ ponitur, ſeu quae ante aliam Extremitatem occurrit in Syllogiſmo. Minor Extremitas eſt, quae in Minori Praemiſſâ reperitur, ſeu quae poſt aliam occurrit in Syllogiſmo. Ut in iſto Syllogiſmo: *Homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt animal*, Major Extremitas eſt *Animal*, Minor Extremitas eſt *Petrus.* Unde, ſi in Reductione Enthymematis Supplementum Enthymematis praefigas Antecedenti Enthymematis, Terminus Illatus Enthymematis fiet Major Extremitas in Syllogiſmo nato ex iſto Enthymemate, adeoque eo caſu Terminus Communis fiet Minor Extremitas. Si vero Supplementum poſtponas Antecedenti Enthymematis, Terminus

Communis fiet Major Extremitas; ille enim eſt in Antecedente Enthymematis, adeoque occurret in Antecedente Syllogiſmi ante Terminum Illatum, utpote qui tantum comparet in Supplemento.

6. Cum vero Major Extremitas in Concluſione Syllogiſmi ponitur loco Praedicati, Syllogiſmus dicitur Directus, qualis eſt Syllogiſmus proxime allegatus. Si vero Minor Extremitas in Conſequente Syllogiſmi obtineat Locum Praedicati, Syllogiſmus dicitur Indirectus, ut iſte: *Petrus eſt homo*, *et homo eſt animal*, *ergo Petrus eſt animal.* Unde Syllogiſmus e Directo in Indirectum et contra mutatur vel tranſpoſitione Praemiſſarum, vel Converſione Concluſionis.

Caput IX.

De Affectionibus Logicis Argumentorum.

1. Affectiones Logicae Argumenta concernentes ſunt variae. Prima Affectio eſt Numerus Terminorum ingredientium Argumentum; v. g. propoſito hoc Argumento: *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus non eſt brutum*, ad primam ejus Affectionem ſpectat ternarius numerus Terminorum; ſunt enim in iſto Enthymemate tres praeciſe Termini: *Petrus*, *Homo*, *Brutum.* Secunda Affectio eſt Acceptio Terminorum ingredientium Argumentum; ſic in Propoſito Argumento ad ſecundam Affectionem ſpectat Acceptio Singularis primi Termini, Acceptio Particularis ſecundi Termini, et Diſtributio tertii Termini. Tertia Affectio eſt Situs ac ordo Terminorum, juxta quem unus ante, alter poſt, unus loco Praedicati, alter loco Subjecti reponitur. Et ad tertiam Affectionem in propoſito Argumento ſpectat is ordo, ut primo quidem, et loco Subjecti, occurrat Terminus ſingulariter ſumptus, ſecundo, et loco Praedicati, Terminus particulariter ſumptus, tertio, et loco etiam Praedicati, Terminus diſtributus. Quarta Affectio eſt Numerus poſitionum, juxta quem Termini

in Argumento ſemel, bis, aut ſaepius ponuntur; et ad hanc Affectionem in praedicto Argumento ſpectat bina Termini ſingulariter ſumpti in loco Subjecti poſitio, ſingulares autem reliquorum Terminorum poſitiones loco Praedicati. Atque haec quatuor Puncta, quae jam recenſui, conſtituunt Formam Terminorum in Argumento, ſeu Formam Terminos principaliter concernentem. Adeo ut Forma Terminorum in Argumento non ſit aliud quam Complexio horum quatuor Punctorum: 1. Numerus Terminorum, 2. Acceptio eorundem, 3. Situs ſeu Ordo, 4. Numerus ſituum ſeu poſitionum.

2. Ultra has Affectiones dantur quatuor aliae, quae conſtituunt Formam Enunciationum ingredientium Argumentum. Quarum Prima eſt Numerus Enunciationum ingredientium Argumentum (ſub numero etiam comprehendo ſpeciem). Atque adeo in eodem illo Argumento ad Primam Affectionem ſpectat ternarius numerus Enunciationum, quarum duae ſint Propoſitiones, et tertia ſit Enunciatio Illativa ex Propoſitionibus illis tamquam Extremis ſuis conflata. Secunda Affectio eſt Qualitas Enunciationum ingredientium Argumentum. Atque adeo ad hanc Affectionem in praedicto Argumento ſpectat, ut Enunciatio Illativa ſit etiam Affirmativa, una autem Propoſitionum ſit Affirmativa et altera Negativa. Tertia Affectio eſt Situs ſeu Ordo Enunciationum ingredientium; penes quem in praedicto Argumento Propoſitio Affirmativa eſt prima, ac obtinet locum Antecedentis, ſecunda eſt Propoſitio Negativa, ac obtinet locum Conſequentis, tertia eſt Enunciatio Illativa ex illis mediante Copulâ Illativâ conſurgens. Quarta Affectio eſt Numerus Situum ſeu poſitionum ipſarum Enunciationum in Argumento; qui in praedicto Argumento ſingularis eſt; ſingulae enim Enunciationes praedictum Argumentum ingredientes tantum ſemel ponuntur in ipſo Argumento. In hoc autem: *Si ſto, ſtare poſſum, ſed ſto, ergo ſtare poſſum*, binarius eſt numerus poſitionum in ſingulis Propoſitionibus. Haec igitur quatuor Puncta conſtituunt

Formam Enunciationum; Octo autem puncta, quae praeceſſerunt, conſtituunt Integram Formam Argumenti.

3. Ultra Formam Argumenti ſupereſt Nona Affectio, quae vocatur Materia Argumenti Terminos concernens. Atque non eſt aliud quam habitudo Termini Inferentis ad Illatum, qua ſe habet ad illum certo modo quoad Praedicationem; ut Materia praedicti Argumenti eſt habitudo qua Inferens *Homo* et Illatus *Brutum* ſe habent ut Repugnantia. Ex quo etiam patet, Materiam Terminos concernentem duntaxat habere locum in Enthymemate; quia in illo ſolum Inferens et Illatus ſunt. Patet inſuper, Materiam hanc eſſe quintuplicem: quinque enim praeciſe modis unus Terminus habere ſe poteſt ad alterum penes Praedicationem, ut Parte prima Sect. 2. c. 1. hujus Libelli demonſtratur.

4. Decima tandem et ultima Affectio Logica Argumentorum eſt Materia Enunciationes concernens. De qua commodius dicam infra Sect. 3., ubi de Enthymemate Soritico. Sicut enim Materia Terminorum tantum cadit in Enthymema proprie dictum, quod diſtinctionis ergo vocare poſſumus Enthymema Categoricum, ſic Materia Enunciationes concernens tantum cadit in Enthymema Soriticum, ut ibi patebit.

Caput X.

De Argumento Uniformi et Biformi.

1. Argumentum Uniforme eſt, cujus Antecedens et Conſequens ſunt ejuſdem Qualitatis, id eſt, ambo ſunt Affirmativa vel ambo ſunt Negativa. Unde Argumentum Uniforme dividitur in Argumentum Affirmativum, cujus Extrema, Antecedens inquam et Conſequens, Affirmativa ſunt, ut *Sto, ergo ſtare poſſum*, et Negativum, cujus Extrema Negativa ſunt, ut *Non poſſum ſtare, ergo non ſto.* Ex quo patet, Argumentum non dici Affirmativum vel Negativum ſecundum ſe, ſed ſe-

cundum fua Extrema; fecundum fe enim omne penitus Argumentum eft affirmativum, cum omne Argumentum debeat effe Enunciatio Illativa Affirmativa, ficut jubet Definitio Argumenti, fed Affirmativum fpecialiter dicitur ab Extremis fuis Affirmativis; ficut et fimili tantum modo Negativum dicitur.

2. Argumentum Biforme eft, cujus Extrema funt diverfae Qualitatis, unum fcilicet Affirmativum et alterum Negativum eft; ut *Sto, ergo non fedeo.* Dividiturque in Difforme et Deforme. Difforme voco, quod habet Antecedens Affirmativum et Confequens Negativum, quale eft Argumentum jam proxime allegatum. Argumentum Deforme voco, quod vice verfâ habet Antecedens Negativum et Confequens Affirmativum, quale eft iftud: *Non fto, ergo fedeo.* Quamvis hoc fit Malum Argumentum; impertinens enim eft ad Argumenta Uniformia ac Biformia, fintne Bona an Mala. Quinimo inter Argumenta Logica Deforme plerumque vitiofum eft defectu debitae Formae; atque ideo *Deforme* vocavi. Interim abfolute poteft dari Argumentum Deforme, quod fit Bonum; v. g. iftud: *Corpus non eft penetrabile, ergo corpus eft palpabile*, quod effe bonum Argumentum, demonftrari debet in Phyfica, et aliquatenus colligere potes ex iis quae dicuntur Parte 1. Sect. 1. cap. 9.

3. Hae fpecies Argumentorum fatis clarae funt, quamdiu verfamur in Argumentis habentibus Extrema Simplicia; in illis enim Antecedens Affirmativum dicitur, fi fuerit Enunciatio Affirmativa, et Negativum, fi Negativa. Et fimiliter cenfendum de Confequente. Non perinde res fe habet in Argumentis habentibus Extrema vel alterum Extremorum Complexum; Antecedens enim Complexum non penes fe, fed penes fuas Praemiffas, Affirmativum dicitur, ita ut Antecedens Complexum non dicatur Affirmativum, nifi ambae ejus Praemiffae fuerint Affirmativae; Negativum vero dicitur etiam cum una ejus Praemiffa fuerit Negativa. Sic Antecedens hujus: *Petrus eft animal, et Petrus non eft bos, ergo quoddam animal non eft bos*,

Negativum eſt, licet ſit Affirmativum ſecundum ſe, et ut quaedam Enunciatio eſt. Contingit ergo Antecedens Affirmativum eſſe in ratione Enunciationis, et tamen Negativum eſſe in ratione Antecedentis. Similia etiam dici debent de Conſequente Complexo.

4. Sed quid ſi ipſum Antecedens Complexum ſecundum ſe fuerit Negativum? Reſpondeo: Copulativas aut Diſjunctivas Negativas non ſinimus, ſed reducimus ad Affirmativas juxta Reg. traditam par. 2. Igitur juxta hoc praeſcriptum, Antecedens, quod v. g. erit Enunciatio Copulativa Negativa, reducemus per Schema, ibid. cap. 3., ad Diſjunctivam Affirmativam; atque eâ Reductione peractâ, penes Praemiſſas ejus aeſtimabimus, ſitne dicendum Antecedens Affirmativum an Negativum. Similia dic de Conſequente.

Caput XI.

De Argumento Logico et Phyſico.

1. Argumentum Bonum ſeu Neceſſarium dividitur in Argumentum Logicum et Argumentum Phyſicum. Argumentum Logicum eſt Argumentum ita Bonum, ut in Affectionibus Logicis illius non poſſit poni Impudentia; ut: *Omnis homo eſt animal, ergo aliquis homo eſt animal.* Conſideratâ enim integrâ Formâ iſtius Argumenti, id eſt octo prioribus Punctis inter Affectiones Logicas (nam duo poſteriora Puncta non poſſunt habere locum in illo, cum non ſit Enthymema, nec Categoricum, nec Soriticum), impoſſibile deprehendes in iſtâ Formâ ponere Impudentiam aliquam, ſeu Antecedens verum Conſequente falſo. Licet enim haec ſit Impudentia: *Omnis homo eſt animal, ergo aliquis lapis eſt animal*, tamen haec non ponitur in Formâ prioris Argumenti; deficit enim clare in primo puncto, nempe in Numero Terminorum, cum in Impudentiâ ſint tres Termini, et in Argumento priori tantum duo. Item licet iſta ſit Im-

pudentia: *Omnis homo eſt animal, ergo aliquis homo non eſt animal*, tamen haec Impudentia deficit ab Argumento primum poſito in ſexto puncto Formae, nempe in Qualitate Enunciationum; ibi enim omnes Enunciationes Argumentum ingredientes erant Affirmativae, impudentiam autem hanc ingreditur una Propoſitio Negativa. Et ſic quidquid agas, quoquo te vertas, in Formâ iſtius primi Argumenti non pones Impudentiam, non dabis Antecedens verum Conſequente falſo.

2. Argumentum Phyſicum eſt Argumentum ita bonum, ut in ejus Affectionibus Logicis, quotquot in illo conſiderari poſſunt, ponatur Impudentia; ut: *Hic Triangulus eſt aequangulus* (id eſt, habet omnes angulos ſuos aequales inter ſe), *ergo hic Triangulus eſt aequilaterus.* Hoc enim Argumentum ſine dubio Bonum eſt; ſed conſideratis in ipſo novem prioribus Affectionibus Logicis (decima enim in ipſum non cadit), in iiſdem illis Affectionibus ponetur Impudentia. V. g.: *Hic homo eſt bipes, ergo hic homo eſt brutum*; hîc enim eſt eadem Forma quae ibi, idem numerus Terminorum, nempe ternarius, eadem Acceptio, etc.; hîc etiam eſt eadem Materia, nam Inferens et Illatus diſparati ſunt in hac Impudentia. Sic et diſparati ſunt in Argumento prius poſito; nam *Aequilaterum* et *Aequangulum* diſparata ſunt, aeque ac *Brutum* et *Bipes*; concordant enim in *Quadrato*, et utrimque diſcordant in *Rhombo* ac *Figura altera parte longiori.* Poteſt tamen hoc Argumentum (et id fere ſemper obtinet in Argumentis Phyſicis) reduci ad Argumentum Logicum, hoc modo: *Hic Triangulus eſt Triangulus aequangulus, ergo hic Triangulus eſt Triangulus aequilaterus*; jam enim eſt Argumentum a Convertibilibus, cum Inferens et Illatus jam convertantur.

3. Unde Argumentum Phyſicum commodius ſumi poſſet pro Argumento, in quo Affectiones Logicae non conſiderantur, etiamſi forte adſint, et juxta illas etiam bonitas ejus aeſtimari poſſet. Sic hoc poteſt dici Argumentum Phyſicum: *Corpus eſt*

extenſum, *ergo corpus eſt diviſibile*; etſi enim hoc ſit Argumentum a Convertibilibus, tamen iſta habitudo Inferentis ad Illatum non conſideratur in iſto Argumento, ſed admittitur tamquam bonum independenter a tali conſideratione; mere ſcilicet ex eo, quod Concluſionem in Antecedente clare deprehendamus. Sic etiam Regulae Argumentorum in Logica, quas *Maximas* vocare ſolent, ſunt Argumenta Condicionalia, et bonitas Conſequentiae aeſtimari in illis poſſet penes Affectiones Logicas; non eſt tamen penes eas aeſtimanda, cum illae tamquam directrices praecedant. Veluti: *Quod dicitur de Praedicato*, *dicitur etiam de Subjecto*, eſt Argumentum a Specie ad Genus, ſic digeſtum: *Si* quidpiam, puta *A*, *eſt dictum de Praedicato*, idem *A erit dictum de Subjecto*; quia *Dictum de Praedicato* eſt Species ſeu Terminus Subalternatus, et *Dictum de Subjecto* eſt Genus ſeu Terminus Subalternans; omne enim Dictum de Subalternante eſt Dictum de Subalternato, ſed non contra.

4. Ex quo patet, Argumenta Phyſica Priora Logicis eſſe; Argumenta tamen Logica, ubi Phyſica praeceſſerint, magnum gradum facere et negotium Scientificum valde promovere poſſunt, idque cum compendio et facilitate. Etiamſi enim pluſcula ſint Puncta, ad quae attendendum eſt in Argumentis Logicis, idque Tironibus difficile videatur, tamen certo numero, nempe denario, comprehenduntur; unde uſu ac exercitio facillimum redditur negotium, nam longe facilius eſt Memoriâ (quod in Argumentis Logicis obtinet) quam Intellectu (quod in Phyſicis) ſemper uti. Hoc videas licet in Legentibus, Scribentibus et Cytharâ canentibus; etiamſi enim v. g. non exiguo labore characteres hoſce formare didicerimus pueri, poſtea tamen oſcitantes aliudque ſaepe verſantes in animo excipimus ſcripto quod alius dictat, de characteribus ipſis, quantum deprehendere poſſumus, nihil ſolliciti, vix quidquam cogitantes.

Caput XII.

Regulae Argumenti Logici.

1. Prima Regula: In Argumento Logico Terminus aliquis recurrit et in Antecedente pariter ac Conſequente ponitur. Eſt haec Proprietas omnis fere Argumenti Boni, etiam Phyſici, quia omne propemodum Argumentum Bonum nititur aliquo diffuſo per Antecedens et Conſequens. Et quidem in Argumento Topico unicus eſt Terminus, qui Antecedens ſimul ac Conſequens ingreditur; in Syllogiſmo duo, in Converſione ac Subalternatione omnes, qui tamen ibidem tantum ſunt duo. In Argumentis-in-Enunciationibus integra aliqua Enunciatio, quae fuerat in Antecedente, repetitur in Conſequente, vel in ſe vel in ſuâ Contradictoriâ, adeoque etiam Terminus, imo Termini ibi recurrunt. Et quidem in Subalternatione Complexâ, in Syllogiſmo Diſjunctivo, Hypothetico directo, Sorite, Argumento Materiali Complexo, aliqua Enunciatio ſecundum ſe recurrit in Antecedente ac Conſequente; in Converſione autem Complexâ, ac Hypothetico indirecto, Enunciatio, quae ſecundum ſe poſita fuerat in Antecedente, ſecundum ſuam Contradictoriam recurrit in Conſequente; quae melius patebunt infra, ubi de Argumentis illis agetur.

2. Secunda Regula: Cavendum, ne Terminus aliquis, ſub eodem officio recurrens in Argumento, accipiatur aequivoce. Ratio eſt, quia ad omne Argumentum Logicum in Terminis ſpectat Numerus Terminorum certus et definitus, tamquam prima Affectio Logica illius; Terminus autem ſub eodem officio recurrens unus eſſe debet; ſi vero accipiatur aequivoce, fit duo Termini, juxta definitionem Homonymi ſeu Aequivoci. Neglectu hujus Regulae vitiatur iſte Syllogiſmus: *Omnis Gallus eſt avis, Ludovicus eſt Gallus, ergo Ludovicus eſt avis.* Plura hujus farinae vide ſis Part. 1. Sect. 2. cap. 7. Etiamſi haec Regula primario concernat Argumentum-in-Terminis, ſecundario

tamen etiam derivatur in Argumentum-in-Enunciationibus; et defectu hujus peccat iſte Hypotheticus: *Si Petrus eſt animal, Petrus ſentit; ſed Petrus non ſentit* (quia v. g. profunde dormit), *Ergo Petrus non eſt animal.*

3. Tertia Regula: *Non licet procedere a non diſtributo ad diſtributum*; id eſt, ſi Terminus, in Antecedente pariter ac Conſequente poſitus, diſtribuatur in Conſequente, is etiam diſtribui debet in Antecedente. Ratio Regulae eſt, quia Terminus diſtributus eſt *Omnis* aut *Nullus*, idem vero non diſtributus ſeu particulariter ſumptus eſt *Aliquis* aut *Aliquis non*; jam vero haec bona Conſequentia eſt: *Omnis, ergo aliquis*, item, *Nullus, ergo aliquis non*; aſt haec nulla Conſequentia eſt: *Aliquis, ergo omnis*, aut, *Aliquis non, ergo nullus.* Contra hanc Regulam peccant iſta Argumenta: *Omnis homo eſt animal, nullum brutum eſt homo, ergo nullum brutum eſt animal*; item: *Aliquod animal non eſt homo, ergo aliquis homo non eſt animal*; item: *Omnis homo eſt animal, ergo nullum brutum eſt animal.* In omnibus enim his Argumentis, quorum primum Syllogiſmum, ſecundum Converſionem, tertium Argumentum Topicum mentitur, fit proceſſus a non diſtributo ad diſtributum ex parte Termini *Animal*; is enim Terminus in Antecedente nón diſtribuitur, diſtribuitur vero in Conſequente praedictorum Argumentorum.

4. Sed, dices, hoc Argumentum valet: *Aliquis homo eſt doctus, omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt doctum*, et tamen proceditur a non diſtributo ad diſtributum ex parte Termini *Homo*; is enim diſtribuitur in Minori, et ante tamen non diſtribuitur in Majori. Reſpondeo: memineris, quid in explicatione Regulae dixerim. Proceſſus a non diſtributo ad diſtributm, quem vetat Regula, non committitur niſi in Termino diffuſo per Antecedens et Conſequens; in illo ſolo locum habet Ratio Regulae, quae ſubjungitur. Nota: licet non poſſimus procedere a non diſtributo ad diſtributum, poſſumus tamen

vice verſâ; unde valet: *Omnis homo eſt animal*, *omne rationale eſt homo*, *ergo aliquod animal eſt rationale*, ubi proceditur a Termino *Rationale*, diſtributo in Antecedente, ad eundem non diſtributum in Conſequente.

5. Quarta Regula: Argumentum Logicum non poteſt eſſe Deforme; id eſt, Non poteſt, Antecedente Negativo, concludere Conſequens Affirmativum. Unde non valet: *Petrus non eſt lapis*, *ergo Petrus eſt lignum*, nec hoc melius illo eſt: *Petrus non eſt brutum*, *ergo Petrus eſt homo*; licet enim hîc Extrema vera ſint, tamen in ejus Affectionibus Logicis habitat prior Impudentia, quae ex vero falſum concludebat. Haec Regula plene obtinet in Argumento-in-Terminis; in Argumento-in-Enunciationibus Exceptionem aliquam patitur, idque in Syllogiſmo Diſjunctivo, Hypothetico utroque, et Subalternatione Complexa. Hic enim eſt Syllogiſmus diſjunctivus: *Vel ſto*, *vel ſedeo*; *ſed non ſto*, *ergo ſedeo*; ubi Antecedens eſt Negativum (unâ Praemiſſâ negativâ, nempe *Non ſto*), Conſequens tamen Affirmativum eſt, nempe *Sedeo*. Idem patet in hoc Hypothetico directo: *Si non ſto*, *ſedeo*; *ſed non ſto*, *ergo ſedeo*, in hoc Indirecto: *Si non ſto*, *ſedeo*; *ſed non ſedeo*, *ergo ſto*, etc. Poſtrema haec Regula, ſicut et prima, non facile demonſtratur a priori, ſed perſpectis ſingulis Argumentis in ſpecie, colligitur a poſteriori.

SECTIO II.

De Argumento-in-Terminis.

Argumentum-in-Terminis eſt Argumentum, cujus Conſequentiae bonitas penes Affectiones Terminorum aeſtimatur; non quaſi penes Affectiones Enunciationum non aeſtimetur (quia ex his etiam penditur Argumentum-in-Terminis), ſed ſaltem quod ſecundum Affectiones Terminorum aeſtimetur. In

quo diſtinguitur ab Argumento-in-Enunciationibus, quod ex Terminis non metimur, niſi quatenus aliquando varietas in Affectionibus Terminorum inducit aliquam mutationem circa Affectiones Enunciationum.

Caput I.

De Argumento-Formali-in-Terminis.

1. Argumentum-in-Terminis dividitur in Formale et Materiale. Agam primâ parte hujus Sectionis de Argumentis-Formalibus-in-Terminis. Argumentum Formale-in-Terminis eſt Argumentum Bonum in cujus integra Forma non ponitur Impudentia; ut: *Omnis homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt animal.* Servatis enim octo punctis Formae, quae in iſto Argumento reperiuntur, et aliis quibuſcunque neglectis, ſemper habebis Argumentum Bonum, nunquam habebis Antecedens verum Conſequente falſo. Unde Argumentum Formale eſt bonum, et ita ut vi ſolius ſuae Formae ſit bonum; quapropter non ſufficit ad Argumentum Formale, quod bonum ſit, ſed debet bonitatem ſuam ſoli Formae acceptam referre. Unde hoc quidem eſt bonum Argumentum: *Sto*, *ergo ſtare poſſum*, ſed non eſt Argumentum Formale, quia bonitatem ſuam non debet ſoli Formae; quandoquidem in integrâ ejus Formâ facile ponatur Impudentia, v. g. haec: *Sto*, *ergo ſedeo*; eſt enim ejuſdem penitus Formae cum praecedenti Argumento; ſicut enim in iſto ſunt tres praeciſe Termini, *Ego*, *ſtans*, *Potens ſtare*, ſic et in hac Impudentia praeciſe tres Termini ſunt, *Ego*, *Stans*, *Sedens*; qualis ibi Acceptio Terminorum, talis et hîc, et ſic porro per reliqua puncta Formae diſcurrendo, invenies eandem integram Formam in hac Impudentia, quae fuerat in Praecedenti Argumento.

2. Etiamſi octo puncta debeant concurrere ad integram Formam Argumenti, quaedam tamen in his eminent, ideoque

Cardines Formae, aut *Cardinalia Puncta*, dici merentur. Et ſunt duo, nempe Acceptio Terminorum et Qualitas Enunciationum; quorum proinde reſpectu reliqua ſex *Puncta Secundaria* vocabuntur. Ratio hujus ſortis eſt, quia ſex illa Puncta, quae ſecundaria dixi, requiruntur ad Speciem Argumenti, ſeu ut Argumentum ſit in certa Specie, puta Syllogiſmi, Converſionis, Enthymematis, etc.; a duobus autem Punctis, quae cardinalia vocavi, quando jam in Specie ſua conſtitutum eſt Argumentum, pendet adhuc bonitas aut malitia Conſequentiae. Prius autem eſt eſſe Argumentum, item eſſe Argumentum in hac vel illa Specie, quam bonam aut malam Conſequentiam praeferre. Proinde ſex illa puncta ſecundaria trahunt aliquid velut ex colluvione Materiae, cujus eſt, Formam praecedere in Compoſito; cum Formae ſit, ultimo advenire et complere; Cardinalia autem Puncta ſunt purae Formae, quia non concurrunt ad Speciem Argumenti, ſed mere ad bonitatem aut malitiam Argumenti. Hinc etiam materialiter Syllogiſmum conſiderare videbamur, quamdiu illum penes puncta ſecundaria tantum conſiderabamus. Hoc igitur ſatagere debemus, Speciem quidem ut largiamur Argumento cuicunque penes ſex puncta ſecundaria, quod eſt Argumentum illud materialiter conſiderare; deinde vero neceſſitatem Conſequentiae conciliemus a duobus punctis Cardinalibus rite ei ſubminiſtratis, quod eſt Argumentum in plena Forma conſtituere, ſeu Argumentum Formale ex illo facere.

3. Notandum circa primam Speciem Argumenti Logici, nempe Repetitionem, eam non expectare bonitatem Conſequentiae a Cardinalibus punctis; ſed quaſi ante adventum eorum, hoc ipſo, quo ſortitur Speciem a Punctis Secundariis, praeſertim a Numero et Situ Enunciationum, etiam ſortiri neceſſitatem Conſequentiae; ideoque eſſe bonum Argumentum ex Specie ſeu ex toto ſuo Genere. Caetera vero Argumenta Logica, Subalternatio, Converſio, Enthymema, Syllogiſmus, etc., in

iſta quidem ſpecie poni, ſed bona Argumenta eſſe omneſque a ſua Forma Impudentias depellere non poſſunt, antequam iis bene de Punctis Cardinalibus proſpectum ſit.

4. Regula Argumenti Formalis: Argumentum Formale non poteſt eſſe biforme, ſeu non poteſt habere Antecedens et Conſequens diverſae Qualitatis, unum nempe Affirmativum et alterum Negativum. Quamcunque enim rationem ineas cum reliquis punctis Formae; ſi talem feceris Qualitatem, ſemper Forma tui Argumenti Impudentiam intra ſe admittet, ſeu in eâdem Formâ dabitur Antecedens verum Conſequente falſo. V. g. hoc quidem eſt Argumentum bonum: *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus non eſt bos*; ſed non Formale, nam in Formâ ejus ponitur iſta Impudentia: *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus non eſt animal.* Ex quo patet, hanc Regulam non coincidere cum ultimâ Regulâ Argumenti Logici aſſignatâ Sect. praeced. cap. ult. Illa enim Deforme Argumentum proſcribit; haec vero tam Difforme quam Deforme. Argumentum enim Difforme poteſt eſſe bonum Argmentum Logicum (adeoque per Regulas iſtius Argumenti proſcribendum non erat), ſed nunquam poteſt eſſe Argumentum Formale.

Caput II.

Quintum Quadratum Logicum.

1. Prima Axioma: Quod dicitur de certo Termino diſtributo, dicitur de eodem Termino particulariter ſumpto. Ratio hujus Axiomatis eſt admodum manifeſta; nempe Terminus diſtributus eſt *Omnis*, Terminus autem particulariter ſumptus eſt *Aliquis*; jam autem neceſſaria et clariſſima Sequela: *Omnis*, *ergo Aliquis*; quando ſcilicet eoſdem haec tangunt, ut Axioma requirit. Poterat hoc Axioma etiam ſic efferri: Quod dicitur de Subjecto, dicitur de eodem Subjecto particulariter ſumpto. Modo ſcilicet ponatur Subjectum capax Acceptionis Particularis; quod enim ſimpliciter

dicitur de Subjecto Communi, ſeu capaci Acceptationis communis, hoc de illo Subjecto diſtributo dici cenſetur.

2. Secundum Axioma: Quod negatur de Termino diſtributo, negatur de eodem Termino particulariter ſumpto. Eſt hoc Axioma Soritice-Converſum prioris, hoc modo: *Si quid dicatur de Termino diſtributo, id etiam dicitur de Termino particulariter ſumpto; ergo ſi non dicatur de Termino particulariter ſumpto, non dicetur etiam de Termino diſtributo*; quia non dici de Termino particulariter ſumpto idem eſt ac negari de Termino diſtributo, et non dici de Termino diſtributo idem eſt ac negari de Termino particulariter ſumpto (dummodo ſcilicet inter Terminos Communes verſemur, quod clare prae ſe fert Antecedens hujus Converſionis), ſicut paulo poſt demonſtrabo.

3. Antequam tertium Axioma prodeat, via munienda eſt quibuſdam Theorematis. Primum Theorema: Terminus, qui de alio Termino particulariter ſumpto dicitur, concordat cum alio illo Termino. Demonſt. Sint Termini A, B, atque B dicatur de A particularitur ſumpto. Dico, quod B concordet cum A. Si enim B non concordet cum A, ergo nec A concordat cum B (Concordia enim eſt mutua, nec poteſt unus Terminus cum alio concordare, niſi alius viciſſim concordet cum priori, *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 1. *n.* 2.). Ergo A, B ſunt Termini Repugnantes, et nihil eſt quod utriuſque eorum ſit Subjectum. Igitur pro quocunque ſuo Subjecto capiatur A, non poterit B affirmari de A (B enim non poteſt affirmari niſi de ſuo ſubjecto, *per definit. Subjecti*). Igitur non poterit B affirmari de A particulariter ſumpto (quia, dum A particulariter ſumitur, pro Subjecto ſuo ſumitur, *per definit. Accept. particul.*), quod eſt contra ſuppoſitionem; ſupponebatur enim quod B affirmaretur de A particulariter ſumpto.

4. Si convertamus hoc Theorema Soritice, conſequemur et alterum: Terminus qui non concordat cum alio aliquo Termino, non affirmatur de illo particulariter ſumpto. Ex quo ſequitur

quod Termini Repugnantes non poſſint ſe habere ut Subjectum et Praedicatum; non tantum ſimpliciter, quod ſatis demonſtratum eſt Parte 1. Sect. 2. cap. 2. n. 2., ſed ne quidem in Affirmatione Particulari, in qua Subjecto expreſſe vel implicite aliquid additur.

5. Tertium Theorema: Terminus qui concordat cum alio Termino, aut dicitur de illo, aut ſaltem dicitur de illo particulariter ſumpto (oportet autem Adjectivum et Adjectivum Subſtantivatum pro iiſdem habere). Demonſt. Sint Termini A, B, et B concordet cum A. Dico, quod aut B dicatur de A, aut B dicatur de A particulariter ſumpto. Quia enim B concordat cum A, neceſſum eſt, idem aliquod utriuſque Subjectum eſſe (*per defin. concord.*), v. g. C. Igitur vel A diſcordat inſuper a B vel non. Si non diſcordat, ergo vel A Subalternatur ipſi B vel A Convertitur cum B, adeoque B affirmabitur de A (*Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 2. *n.* 9.). Si autum A diſcordat a B, dicamus igitur quod diſcordet in D; verum igitur erit: *Vel C eſt B vel D eſt B*, (C enim eſt B, cum C ſupponatur eſſe Subjectum ipſius B); igitur cum A ſumetur pro C, D ſic enumerandis, vera erit Affirmatio, in qua B dicetur de A, id eſt (*per defin. Accept particul.*), B affirmabitur de A particularitur ſumpto. Quod erat demonſtrandum.

6. Si convertamus Tertium Theorema, exſurget hoc: Terminus qui nec dicitur, nec particulariter dicitur de alio Termino, non concordat cum alio Termino, id eſt, repugnat cum illo.

7. Prodeat jam Tertium Axioma hujus Quadrati: Si inter Terminos Communes unus dicatur de altero particulariter ſumpto, alter viciſſim dicetur de priori particulariter ſumpto. Demonſt. Sint Termini Communes A, B, atque B dicatur de A particulariter ſumpto. Dico, quod viciſſim A dicatur de B particularitur ſumpto. Quoniam enim B dicitur de A particulariter ſumpto, neceſſum eſt ut B concordet cum A (*juxta*

primum Theorema hoc cap.); ergo etiam A concordat cum B (Concordia enim eſt mutua; *Parte* 1. *Sect.* 2 *cap.* 1. *n.* 2.); ergo A dicitur, aut particulariter dicitur de B (*per tertium Theor. hoc cap.*). Sed ſi A dicatur de B (cum B ex ſuppoſito ſit Terminus Communis), etiam A dicetur de B particulariter ſumpto (*per primum Axioma hujus Quadrati*). Igitur ſimpliciter loquendo, A dicetur de B particulariter ſumpto. Quod erat demonſtrandum.

8. Nota, quodſi Terminus affirmetur de Termino particulariter ſumpto, adhuc tamen non eſſe neceſſarium, ut hic viciſſim affirmetur de illo particulariter ſumpto, niſi ambo Termini Communes et communius ſumpti ſupponantur. Quod et ſupponendum eſt ut Propoſitiones uſitatas nanciſcamur, quas equidem ſolas ſupponimus; inuſitatas enim a conſideratione noſtra ſecluſimus Part. 2. Sect. 1. cap. 9. Igitur etſi *Petrus* in Propoſitione Inuſitata dicatur de *Homine* particulariter ſumpto, non ſequitur quod *Homo* viciſſim dicatur de *Petro* particulariter ſumpto, utpote qui ſit incapax Acceptionis Particularis. Similiter *Navis* in Propoſitione Inuſitata dicitur de *Neceſſario-ad-navigandum* particulariter ſumpto; ſed tamen non contra; quia *Navis* ibi eſt incapax Acceptionis Particularis; et cum alibi particulariter capitur, non eſt idem Terminus, ut videre potes Parte 1. Sect 2. cap. 7. n. 7.

9. Quartum Axioma: Si inter Terminos Communes unus negetur de altero diſtributo, viciſſim negabitur de priori diſtributo. Eſt hoc Soritice Converſum tertii Axiomatis, hoc modo: *Si A dicitur de B particulariter ſumpto, etiam B dicitur de A particulariter ſumpto; ergo ſi B non dicatur de A particulariter ſumpto, nec A dicetur de B particulariter ſumpto*; quia non dici de Termino particulariter ſumpto idem eſt ac negari de Termino diſtributo (quando ſcilicet verſamur inter Terminos Communes, Communius ſumptos, quod Axioma ſupponit); quod quibuſdam interjectis demonſtrabimus.

10. Sit igitur Quintum in hoc cap. Theorema: Si Terminus affirmetur de Termino, non negabitur de illo. Demonſt. Sint Termini A, B, et B affirmetur de A. Dico, quod B non negetur de A. Quia enim B affirmatur de A (ex ſuppoſito), hinc A eſt B. Si jam etiam B negetur de A, igitur A non eſt B; quod eſt impoſſibile, cum impoſſibile ſit idem ſimul eſſe et non eſſe.

11. Convertamus Soritice, et conſequemur Sextum Axioma: Si Terminus negetur de Termino, non affirmabitur de illo. Quod hoc ipſo ſatis demonſtratum eſt, quo per Converſionem ſequitur ex priori.

12. Septimum Theorema: Si Terminus non affirmetur de Termino, negabitur de illo (oportet autem Adjectivum et Adjectivum Subſtantivatum pro iiſdem habere). Demonſt. Sint Termini A, B, atque B non affirmetur de A. Dico, quod B negetur de A. Cum enim B non affirmetur de A, igitur A non eſt B; hoc autem eſt, B negari de A; quod erat demonſtrandum.

13. Octavum Theorema habemus ex Septimo per Converſionem, nempe: Si Terminus non negetur de Termino, affirmabitur de illo.

14. Ex his patet, quod inter Terminos verſanti idem ſit dicere *Non affirmatur* et *Negatur*; item etiam idem ſit dicere *Non negatur* et *Affirmatur*. Demonſtratum enim jam eſt, illa convertibilia eſſe ſeu ſe mutuo inferre. Ex quo etiam hoc patet, quod in Primo Quadrato Logico, *Parte* 1. *Sect.* 1. *cap.* 3., Axiomata negativa poſſint ſic efferri: Secundum quidem, quod habetur *loco citato*, *num.* 3.: Quod negatur de Subjecto, negatur de Praedicato; Quartum autem, quod habetur n. 5.: De quo negatur Praedicatum, de eo negatur et Subjectum.

15. Nonum Theorema: Quod non dicitur de Termino diſtributo, negatur de eodem Termino particulariter ſumpto (oportet autem Terminos Communes intelligere). Demonſt.

Quia Terminus diſtributus eſt *Omnis*; ſi ergo quidpiam non dicatur de *Omni*, ergo de Aliquo non dicetur (*Parte* 2. *Sect.* 2. *cap.* 3. *n.* 5.), ergo de Aliquo negabitur; de quo enim non dicitur, de eo negatur (*per* 7. *Theor. hoc cap.*). Si negetur de Aliquo, ergo negatur de Termino particulariter ſumpto; Terminus enim particulariter ſumptus non eſt aliud quam *Aliquis.*

16. Decimum: Quod non negatur de Termino particulariter ſumpto, hoc dicitur de ipſo diſtributo. Eſt Soritice converſum praecedentis; ideoque hîc etiam ſupponendi ſunt Termini Communes, de quibus agat Axioma.

17. Undecimum Theorema: Quod non dicitur de Termino particulariter ſumpto, negatur de eodem diſtributo. Si enim non dicatur de particulariter ſumpto, non dicitur de *Aliquo*, id eſt (*per Schema Reductionum Part.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 3. *n.* 4.), de Nullo dicitur; id rurſum eſt (*per Theor.* 7. *hoc cap.*), de Omni negatur; id denique eſt, de Termino diſtributo negatur.

18. Duodecimum: Quod non negatur de Termino diſtributo, id dicitur de illo particulariter ſumpto.

19. Decimum tertium: Quod negatur de Termino particulariter ſumpto, non dicitur de ipſo diſtributo. Eſt hoc inverſum noni Theorematis. Et Demonſt. Terminus particulariter ſumptus eſt *Aliquis*, (ibi enim eſt Character et velut Definitio Termini perticulariter ſumpti); ſi igitur quidpiam negetur de Aliquo, ergo de Aliquo non dicetur (de quo enim negatur, de eo non dicitur, *per Theor.* 6. *hoc cap.*). Si de Aliquo non dicatur, ergo (*per Schema Reductionum*) non dicitur de Omni; ergo non dicitur de Termino diſtributo. Quod erat demonſtrandum.

20. Praecedens Theorema Soritice-Converſum exhibet hoc: Quod dicitur de Termino diſtributo, non negatur de eo particulariter ſumpto. Quod eſt Inverſum Decimi Theorematis.

21. Decimum Quintum: Quod negatur de Termino diſtributo, non dicitur de eo particulariter ſumpto. Eſt hoc Inverſum Undecimi. Et Demonſt. Quod negatur de Termino diſtributo,

negatur de *Omni*, ergo de Nullo dicitur; ergo non dicitur de Aliquo, ſeu non dicitur de ipſo particulariter ſumpto. Quod erat demonſtrandum.

22. Theorema iſtud Soritice-Converſum praeſtat hoc in ordine Decimum ſextum: Quod dicitur de Termino particulariter ſumpto, non negatur de ipſo diſtributo.

23. Ex his patet, quod inter Terminos Communes verſanti idem ſit *Non dici de diſtributo* et *Negari de particulariter ſumpto* (hoc praeſertim patet ex Theor. 9 et 13.), item *Non dici de particulariter ſumpto* et *Negari de diſtributo* (hoc praeſertim patet ex Theor. 11. et 15., ibi enim oſtenduntur iſta eſſe Convertibilia). Atque adeo ex his jam patet etiam, quomodo Axiomata Negativa in Secundo Quadrato itemque in hoc Quinto Quadrato legitime cohaereant cum Affirmativis per Converſiones Soriticas.

Caput III.

De Subalternatione Formali.

1. Si Subalternationem tantum penes ſex puncta ſecundaria Formae inſtruere voluerimus, vix Speciem aliquam ei dare poterimus; nam Quantitas Propoſitionum, unde maxime Speciem ſuam ſumit, ſpectat ad puncta cardinalia Formae, quippe quae non ſit aliud quam Acceptio certa Subjecti. Omiſſâ igitur ambage definitur Subalternatio: Argumentum cum duabus Propoſitionibus ſola Quantitate diſtinctis, Univerſali praecedente et Particulari ſequente.

2. Subalternatio dividitur in Affirmativam et Negativam. Affirmativa eſt v. g. iſta: *Omnis homo eſt animal*, *ergo aliquis homo eſt animal.* Fundamentum Subalternationis Affirmativae eſt Primum Axioma Quinti Quadr. Negativa Subalternatio eſt v. g. iſta: *Nullus homo eſt animal*, *ergo aliquis homo non eſt animal.* Fundamentum ejus eſt 2. Axio. 5. Quadr. Unde Sub-

alternatio Affirmativa et Negativa ſibi mutuo reſpondent per Converſionem Soriticam, hoc modo: *Si omnis eſt etc.*, *aliquis eſt etc.*; *ergo ſi* non aliquis, id eſt, *nullus eſt etc.*, non omnis, id eſt, *aliquis non eſt etc.*

3. Subalternatio biformis non poteſt dari; non Deformis, quae nempe ex Antecedente negativo concluderet Conſequens Affirmativum, quia illa proſcribitur per 15. Theorem. praeced. cap.; non Difformis, quae vice verſâ ex Antecedente Affirmativo concluderet negative, quia illa proſcribitur per 14. Theor. praeced. cap.

Caput IV.

De Converſione Formali.

1. Converſioni facile damus Speciem ex ſex punctis ſecundariis, et dedimus praeced. Sect. cap. 6. A punctis cardinalibus aſſeritur ei bonitas Conſequentiae, hoc pacto ſubminiſtratis, ut Qualitas quidem in ea talis ſit, juxta quam Antecedens et Conſequens ambo ſint Affirmativa, vel ambo Negativa; Acceptio autem Terminorum talis, quae excludat proceſſum a non diſtributo ad diſtributum. Sic enim parata Converſio non poteſt unquam Antecedente vero falſum Conſequens concludere. Igitur Converſio Formalis definitur: Converſio uniformis ſine proceſſu a non diſtributo ad diſtributum; ut *Aliquod brutum eſt bipes*, *ergo aliquod bipes eſt brutum.*

2. Converſio igitur non poteſt eſſe Biformis. Imprimis non Deformis, quia admitteret in ſua Forma Impudentiam circa Terminos Repugnantes; hi enim de ſe mutuo negantur tum univerſaliter tum particulariter; et tamen neuter affirmatur de altero, ne quidem particulariter. Unde non valet iſta Converſio: *Aliquod brutum non eſt bipes*, *aliquod bipes eſt brutum*; etiamſi enim iſta non ſit Impudentia, tamen in integra ejus forma facile ponitur Impudentia, v. g. *Aliquod brutum non eſt*

homo, ergo aliquis homo eſt brutum. Similiter Converſio non poteſt eſſe Difformis; admitteret enim Impudentiam in ſua Forma circa Terminos Convertibiles, qui quidem de ſe invicem affirmari poſſunt univerſaliter et particulariter, neuter vero negari poteſt de altero. Unde non valet iſta Converſio: *Aliquod brutum eſt bipes, ergo aliquod bipes non eſt brutum*, habet enim in ſua Forma contubernalem Impudentiam: *Aliquod ſentiens eſt animal, ergo aliquod animal non ſentit.* Quare autem Converſio non poſſit procedere a non diſtr. ad diſtr., ſatis ante monſtratum eſt circa Regulas Argumentorum Logicorum.

3. Converſio dividitur in Puram (quam Simplicem vocare ſolent) et Praegnantem (quam vocare ſolent Converſionem-per-accidens). Converſio Praegnans eſt, cui Subalternatio intruditur; eſtque vel Affirmativa vel Negativa. Affirmativa eſt v. g. iſta: *Omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo*, quae ſic reſolvitur: *Omnis homo eſt animal, ergo aliquis homo eſt animal* (ubi Subalternatio), et: *Aliquis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo* (ubi pura Converſio). Praegnans Negativa eſt v. g. iſta Converſiio: *Nullus homo eſt bos, ergo aliquis bos non eſt homo*, quae ſic reſolvitur: *Nullus homo eſt bos, ergo nullus bos eſt homo* (ubi pura Converſio), et *Nullus bos eſt homo, ergo aliquis bos non eſt homo* (ubi Subalternatio). Ex quo vides, in reſolutione Converſionis Praegnantis Negativae primo ponendam eſſe Converſionem Puram, ac deinde Subalternationem; cum in reſolutione Converſionis Praegnantis Affirmativae vice verſâ procedendum ſit, ac primo producenda Subalternatio, deinde vero Converſio Pura.

4. Pura Converſio eſt, cui Subalternatio non intruditur; eſtque etiam Affirmativa vel Negativa. Affirmativa eſt v. g. iſta: *Aliquod brutum eſt bipes, ergo aliquod bipes eſt brutum.* Fundamentum ejus eſt Tertium Axiom. 5. Quadr. Negativa eſt v. g. iſta: *Nullum brutum eſt homo, ergo nullus homo eſt brutum.* Fundamentum ejus eſt 4. Axio. 5. Quadr. Ex quo

etiam colligitur, Converſiones Affirmativas per Converſionem Soriticam reſpondere Negativis, et contra; v. g. hoc modo: *Si nullus homo eſt brutum, nullum brutum eſt homo, ergo ſi aliquod brutum eſt homo, aliquis homo eſt brutum.* Idem obtinet in Converſionibus Praegnantibus; ſed eas ſecundum ſe curare non debemus, niſi ut reſolvamus, juxta Reg. traditam praeced. Sect. cap. 6. n. 8.

5. Converſio Pura habet duas Propoſitiones Particulares Affirmativas, aut duas Univerſales Negativas. Converſio Praegnans habet eam quae loco Antecedentis eſt, Univerſalem, quae loco Conſequentis, Particularem, ſive ambae ſint Affirmativae, ſive ambae Negativae (non licet autem unam Propoſitionem Affirmativam et alteram Negativam capere, ut patet ex dictis n. 2.). Caeterae omnes Converſiones ſunt extra Argumenta Formalia et continent proceſſum a non diſtrib. ad diſtrib. Si enim ſumpſeris duas Univerſales Affirmantes, procedetur a non diſtrib. ad diſtrib., a Praedicato Antecedentis ad Subjectum Conſequentis, hoc modo: *Homo eſt animal, ergo animal eſt homo.* Si ſumpſeris duas Particulares Negantes, procedetur a non diſtrib. ad diſtrib., a Subjecto Antecedentis ad Praedicatum Conſequentis, v. g. hoc modo: *Animal non eſt homo, ergo homo non eſt animal.* Si vero ſumpſeris Antecedens Particulare et Conſequens Univerſale, fiet idem proceſſus, in Affirmativis quidem a Praedicato ad Subjectum, in Negativis a Subjecto ad Praedicatum.

6. Regula Converſionis: Integra Extrema Antecedentis tranſponenda ſunt in Conſequente. Unde non valet iſta Converſio: *Mus rodit caſeum, ergo caſeus rodit murem*, quia non integrum Praedicatum Antecedentis ponitur loco Subjecti in Conſequente, ſed tantum pars iſtius Praedicati, *Caſeus* enim non eſt integrum Praedicatum Antecedentis, ſed *Rodens caſeum*; proinde ſic reſtituitur praedicta Converſio: *Mus rodit caſeum, ergo aliquod rodens caſeum eſt mus.* Eodem vitio laborat iſta Converſio:

Senex fuit puer, *ergo quidam puer fuit ſenex*; ibi enim *Puer* non eſt integrum Praedicatum Antecedentis, ſed (Logicâ licentiâ) *Fuens puer*, quod Latine redditur *Is qui fuit puer*; et praedicta Converſio ſic reponenda eſt: *Senex eſt fuens puer*, *ergo aliquod fuens puer eſt ſenex*, hoc enim et recte ſequitur et verum eſt; barbarum illum ſermonem, ſi aures tuae non ferant, in hunc transferas licet: *Senex eſt is qui fuit puer*, *ergo quidam qui fuit puer*, *eſt ſenex.* Hinc jam etiam facile in hac Converſione et vitium deprehendes et tolles: *Quaedam virgo erit meretrix*, *ergo quaedam meretrix erit virgo*; potes hanc non invitâ Latinitate caſtigare hoc modo: *Quaedam virgo eſt futura meretrix*, *ergo quaedam futura meretrix eſt virgo*, hoc enim rurſus et verum eſt, et bene ſequitur.

Caput V.

De Syllogiſmo Formali.

1. Speciem Syllogiſmo largiuntur Puncta Secundaria Formae, et ex iis etiam praeced. Sect. cap. 8. Speciem ei fecimus. Sed tantum *in fieri*, ut loquuntur, eum contemplavimus; nunc *in facto eſſe* conſiderandus eſt. Nempe Enthymema ſumpſimus, Supplementum confecimus, hoc Enthymemati praemiſimus, et vel Antecedenti praefiximus, vel inter Antecedens et Conſequentiam interjecimus. Quid ex operatione iſtâ conſequeremur, ſigillatim et diffuſe vidimus. Cogenda jam iſta, et Definitionis alicujus limitibus includenda compages. Nimirum Syllogiſmus eſt Argumentum cum tribus Terminis bis poſitis in Argumento, et diſperſis per Antecedens Argumenti. Atque ibi eſt Definitio Syllogiſmi non conſtruendi jam, ſed conſtructi, ſeu Syllogiſmi *in facto eſſe*, ut loquuntur. Cape Enthymema cum Supplemento praemiſſo; videbis tale Argumentum te habere, quale hîc deſcribitur. Cape Argumentum quale hîc deſcribitur; videbis

non aliud habere te, quam Enthymema cum Supplemento praemiffo. Nempe tres Termini, iique bis pofiti, tres Propofitiones important. Tres item illi Termini per Antecedens difperfi, duas in Antecedente Propofitiones faciunt; unum Terminum bis in Antecedente poni, caeteros tantum femel, et (cum bis ponantur in toto Argumento) in Confequente recurrere neceffum; hi funt Extremitates, et ille Medium.

2. Hoc igitur eft Syllogifmus fecundum Speciem fuam confideratus; hoc fecundariis illis Punctis debet. Exquirat jam a Cardinalibus Punctis Formae, quod ad Confequentiam irrefragabilem et neceffariam fufficiat. A primo puncto, nempe ab Acceptione Terminorum, has leges feret: Medium in altera Praemiffarum diftribuat; et, Ne procedat a non diftrib. ad diftrib. A qualitate Enunciationum duas itidem leges accipiet: primo, Syllogifmus fit Uniformis; secundo, ne fit ex puris Negativis. His fi morem ille gefferit, fecura res et neceffaria Confequentia parta eft.

3. Quatuor igitur dumtaxat funt Regulae Syllogifmorum; quarum Prima fit: Ne tres Propofitiones, ex quibus conftat Syllogifmus, omnes fint Negativae. Unde non valet ifte Syllogifmus: *Nullus homo eft lapis*, *nullus homo eft marmor*, *ergo nullum marmor eft lapis*; non valet, inquam, in ratione Syllogifmi Formalis, alias valet ut Syllogifmus materialiter confideratus; fed per Syllogifmum folemus intelligere Syllogifmum Formalem, ut ante adhuc monui.

4. Secunda Regula: Ut Syllogifmus fit Argumentum Uniforme; id eft, ne Antecedens et Confequens fint diverfae Qualitatis, nempe unum Affirmativum et alterum Negativum. Cum autem Antecedens in Syllogifmo fit Complexum, hinc ut Antecedens ejus fit Negativum, fufficit unam ejus Praemiffam effe Negativam; Affirmativum vero non cenfetur, nifi utraque ejus Praemiffa fit Affirmans. Conclufio autem in Sylgifmo eft Simplex, ideoque penes ipfam et non penes partes

ejus aeſtimanda eſt ejus Qualitas; vide Sect. praeced. cap. 10 n. 3. Contra hanc Regulam peccat iſte Syllogiſmus: *Homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus non eſt animal*; habet enim Antecedens Affirmativum et Conſequens Negativum. Contra eandem Regulam peccat iſte: *Petrus eſt homo*, *et Petrus non eſt bos*, *ergo aliquis bos eſt homo*, habet enim vice verſâ Antecedens Negativum et Conſequens Affirmativum.

5. Ex duabus hiſce Regulis ſequitur, in quolibet Syllogiſmo debere eſſe unam Praemiſſam Affirmativam; ſi enim ambae Praemiſſae fuerint Negativae, vel inſuper Concluſio erit Negativa, et ſic peccabitur contra Primam Regulam; vel Concluſio non erit Negativa, ſed Affirmativa, adeoque peccabitur contra Secundam Regulam, quia Antecedente Negativo Conſequens erit Affirmativum.

6. Tertia Regula eſt, ut Medium in altera Praemiſſarum diſtribuatur. Unde non valet: *Homo eſt animal*, *brutum eſt animal*, *ergo brutum eſt homo*, nec etiam ſic: *Aliquod animal eſt homo*, *aliquod animal eſt brutum*, *ergo aliquod brutum eſt homo*, quia Medium, *Animal*, in neutra Praemiſſarum diſtribuitur, ſed in utraque particulariter capitur. Sufficit interim ſi Medium bis ſingulariter capiatur; unde iſte Syllogiſmus eſt bonus: *Petrus eſt homo*, *Petrus eſt animal*, *ergo aliquod animal eſt homo*; haec enim Acceptio aequivalet Diſtributioni, quia *Unus*, ubi tantum unus eſt, perinde eſt ac *Omnis.* Imo ſufficiet ſi Medium bis quaſi-univerſaliter, aut bis quaſi-particulariter capiatur, modo pro iiſdem capiatur; ſed hae Acceptiones ſunt rarae. Non licet autem Medium modo unâ, modo aliâ ex his Acceptionibus accipere, quia committeretur Homonymia et multiplicatio Termini, et ſic Syllogiſmus e Specie ſua detruderetur; vide Parte 1. Sect. 2. cap. 7. n. 7.

7. Quarta Regula: Ne in Syllogiſmo procedatur a non Diſtributo ad Diſtributum. Unde non valet iſte: *Homo eſt animal*, *brutum non eſt homo*, *ergo brutum non eſt animal*; pro-

ceditur enim a non diſtrib. ad diſtrib. ex parte Termini *Animal.* Atque hae ſunt omnes Regulae Syllogiſmorum. Igitur apage ingentem illam et confuſam Regularum Generalium, Specialium adhuc indies creſcentium farraginem. Syllogiſmus poſitus in Specie ſua (id eſt, Enthymema cum Supplemento praemiſſo) ſi contra nullam ex his quatuor Regulis peccet, erit Syllogiſmus Formalis, erit Syllogiſmus proprie dictus, in cujus Forma impoſſibile ſit Impudentiam aliquam ponere. Si vero Syllogiſmus in Specie ſua poſitus (id eſt Enthymema cum Supplemento praemiſſo) aliquam ex his quatuor Regulis violaverit, non erit jam proprie Syllogiſmus, nec famoſe iſto nomine veniet, ſed *Paralogiſmus* vocabitur. Adeo ut Paralogiſmus non ſit aliud quam Enthymema cum Supplemento praemiſſo, peccans contra unam ex quatuor recenſitis Regulis; qui licet ipſe ſubinde non ſit Impudens, in Forma tamen ejus ſemper poni poteſt Impudentia, hoc ipſo, quo unam aliquam ex iſtis Regulis tranſgreditur. Velut hîc: *Homo non eſt lapis*, *et homo non eſt lignum*, *ergo lignum non eſt lapis*, non eſt quidem Impudentia, ſed cum peccet contra Primam Regulam, Paralogiſmus eſt, et in Forma ejus ponitur iſta Impudentia: *Homo non eſt lapis*, *et homo non eſt ſilex*, *ergo ſilex non eſt lapis.* Similiter hîc non eſt Impudentia: *Petrus eſt homo*, *Petrus eſt animal*, *ergo aliquod animal non eſt homo*, Paralogiſmus tamen eſt, quia peccat contra Secundam Regulam, et in Forma ejus habitat iſta Impudentia: *Petrus eſt animal*, *et Petrus eſt homo*, *ergo aliquis homo non eſt animal.* Rurſum iſta non eſt Impudentia: *Brutum eſt animal*, *bos eſt animal*, *ergo bos eſt brutum*; ſed haec Impudentia in eadem Forma ponitur: *Bos eſt animal*, *mus eſt animal*, *ergo mus eſt bos*, etc. Conſidera octo Puncta Formae de quibus dixi praeced. Sect. cap. 9.; videbis has Impudentias cum Paralogiſmis, quibus ſubjunguntur, ad amuſſim convenire in Forma.

8. Reſtare videtur, ut quatuor illas Regulas, quibus Formam

Syllogiſticam circumſcripſi, demonſtrem. Quod antequam aggrediar, Scopum, quem ſibi Syllogiſmus Formalis praeſtituit, contemplabor. Hoc agit: ſumptis duobus Terminis, habentibus ſe ut Subjectum et Praedicatum, tertium aliquem Terminum corripit; atque ex eo, quod hic certo modo penes Affirmationem aut Negationem ſe habeat cum uno, concludit, etiam certo modo penes Affirmationem aut Negationem ſe habere cum altero. Adeo ut, ſi ordinem Naturae ſpectes (is autem ordo ſubinde quoad verba nonnihil interturbatur), Syllogiſmus primo (1.) Affirmationem aliquam exhibeat (v. g. hanc: *Homo eſt animal*); ſecundo affirmat aliquid (v. g. *Sentiens*) de Praedicato iſtius Affirmationis, et tertio concludit, idem (v. g. *Sentiens*) affirmari de Subjecto primae Affirmationis, hoc modo: *Homo eſt animal*, *et animal ſentit*, *ergo homo ſentit*, quae operatio procedit juxta 1. Axiom. 1. Quadr.

(2.) Aut ſecundo loco negat aliquid de Subjecto, et tertio loco concludit, idem negari de Praedicato; v. g. hoc modo: *Homo eſt animal*, *et homo non eſt brutum*, *ergo animal non eſt brutum*, quae operatio procedit juxta 2. Axiom. 1. Quadr.

(3.) Aut ſecundo loco Subjectum affirmat de aliquo, et tertio loco concludit, Praedicatum affirmari de eodem, hoc modo: *Homo eſt animal*, *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt animal*, quae operatio procedit juxta 3. Axiom. 1. Quadr.

(4.) Aut ſecundo loco negat Praedicatum de aliquo, et tertio loco concludit, Subjectum etiam negari de illo, hoc modo: *Homo eſt animal*, *et lapis non eſt animal*, *ergo lapis non eſt homo*, quae operatio procedit juxta 4. Axiom. 1. Quadr.

(5.) Aut ſecundo loco affirmat aliquid de Subjecto, et tertio loco concludit, idem dici de Praedicato particulariter ſumpto, hoc modo: *Homo eſt animal*, *et homo eſt rationalis*, *ergo aliquod animal eſt rationale*, quae operatio procedit juxta 1. Axiom. 2. Quadr.

(6.) Aut ſecundo loco negat aliquid de Praedicato diſtributo,

et tertio loco concludit, idem negari de Subjecto, hoc modo: *Homo eſt animal*, *et nullum animal eſt lapis*, *ergo homo non eſt lapis*, quae operatio procedit juxta 2. Axiom. 2. Quadr.

(7.) Aut ſecundo loco dicit aliquid de Subjecto particulariter ſumpto, et tertio loco concludit, idem dici de Praedicato particulariter ſumpto, hoc modo: *Homo eſt animal*, *et aliquis homo eſt doctus*, *ergo aliquod animal eſt doctum*, quae operatio procedit juxta 8. Axiom. 2. Quadr.

(8.) Aut ſecundo loco negat aliquid de Praedicato diſtributo, et tertio loco concludit, idem negari de Subjecto diſtrib., hoc modo: *Homo eſt animal*, *et nullum animal eſt lapis*, *ergo nullus homo eſt lapis*, quae operatio procedit juxta 4. Axiom. 2. Quadr. Atque hi ſunt Modi Primarii, praeter quos dantur adhuc duo Modi Secundarii, quorum operatio procedit juxta Axioma Appendicis ad 2. Quadr.; et in his primo loco non ponitur Affirmatio Univerſalis ſeu talis Affirmatio, in quae Praedicatum ſimpliciter dicatur de Subjecto (ſicut fit in Modis Primariis), aſt Affirmatio Particularis, in qua Subjecto expreſſe vel implicite praefigatur Nota *Aliquis.* Qua Affirmatione admiſſâ, neceſſum eſt concedere, ejus Extrema Concordare, juxta Demonſtrationem exhibitam hac Sect. cap. 2. n. 3. Igitur

(9.) Aut primo loco ponitur Affirmatio Particularis et ſecundo loco affirmatur aliquid de uno Extremorum, ac tertio loco concluditur, idem affirmari de altero Extremorum particulariter ſumpto, hoc modo: *Aliquod brutum eſt bipes*, *et brutum eſt irrationale*, *ergo aliquod bipes eſt irrationale*, aut: *Aliquod brutum eſt bipes*, *et bipes ambulare poteſt*, *ergo aliquod brutum ambulare poteſt*, quae operationes procedunt juxta 1. Axioma Appendicis;

(10.) Aut primo loco ponitur Affirmatio Particularis et ſecundo loco negatur aliquid de uno Extremorum diſtributo, et tertio loco concluditur, idem negari de altero Extremorum particulariter ſumpto, hoc modo: *Aliquod brutum eſt bipes*, *et*

nullum brutum eſt rationale, *ergo aliquod bipes non eſt rationale*, aut: *Aliquod brutum eſt bipes*, *nullum bipes eſt quadrupes*, *ergo aliquod brutum non eſt quadrupes*, quae operationes procedunt juxta 2. Axioma Appendicis. Hos eſſe omnes Modos, ac praeter hos nullos alios ſuppetere, manifeſtum fiet ei, qui ſumptâ Affirmatione aliquâ, alias inter Extrema ejus ac tertium aliquem Terminum comparationes inſtituere aggreſſus fuerit; deprehendet enim aliam quamcunque operationem, ut malâ Maximâ nitentem, non ſubſiſtere, quod et hîc demonſtrare poteram, ſi nimia prolixitas non obſtitiſſet.

9. Ex hoc Scopo Syllogiſmi clare patet, in Syllogiſmo unam Praemiſſam Affirmativam eſſe debere (atque ita Prima Regula, quam adduxeram, demonſtrata eſt); hanc Praemiſſam ordine Naturae Primam eſſe in Syllogiſmo, adeoque peccare Logicos in ſuis iſtis Modis *Barbara*, *Celarent*, *etc.*, in quibus eam ſaepe deſignant poſtponendam. Patet 2., Secundam Praemiſſam in Syllogiſmo, et Conſequens, ejuſdem Qualitatis eſſe debere (atque ita Secunda Regula demonſtrata eſt); ſi enim duas illas Propoſitiones diverſae Qualitatis feceris, videbis operationem tuam malâ Maximâ niti. V. g. ſi ſecundam Praemiſſam Affirmativam feceris Concluſione Negativâ, procedet operatio juxta hanc Maximam: *Quod affirmatur de Praedicato*, *negatur de Subjecto*, aut: *Quod affirmatur de Subjecto*, *negatur de Praedicato*, *etc.*, quas omnes valde facile deprehendes eſſe malas et falſas. Similes malas Maximas incurres ſi ſecundam Praemiſſam Negativam et Concluſionem Affirmativam feceris; cum igitur Secunda Praemiſſa non poſſit in Qualitate diſſentire a Concluſione, ſequitur, Syllogiſmum uniformem eſſe debere. Prima enim Praemiſſa ſemper affirmat, igitur vel Secunda etiam affirmat, vel non; ſi prius, etiam concluſio affirmabit, adeoque Syllogiſmus erit Uniformis, Antecedente pariter ac Conſequente Affirmativis. Si poſterius, etiam Concluſio erit Negans, adeoque Syllogiſmus iterum Uniformis ex Antecedente et Conſequente

pariter Negativis. Patet 3., Terminum, qui ex Affirmatione primâ repetitur in Praemiſſâ ſecundâ Syllogiſmi, diſtribui in alterâ Praemiſſarum (atque ita demonſtrata eſt tertia Regula). In primo Modo, Praedicatum primae Praemiſſae repetitur in ſecunda Praemiſſa, et ibidem diſtribuitur; in ſecundo Modo, Subjectum primae Praemiſſae repetitur in ſecundâ Praemiſſâ, et diſtribuitur in primâ Praemiſſâ. Et ſic porro examinandi tibi ſunt reliqui Modi. Tandem, non licere procedere a non diſtrib. ad diſtrib., per ſe notum eſt ex iis quae dicuntur praeced. Sect. cap. 12. n. 3. Sed etiam, cum in iſtam Regulam impegeris, videbis te malâ Maximâ niti; v. g.: *Homo eſt animal, brutum non eſt homo, ergo brutum non eſt animal*; Maxima eſt: *De quo negatur Subjectum, de eo negatur et Praedicatum*, quod ſine dubio falſum, cum Praedicatum poſſit ſubalternare ſibi ſuum Subjectum, adeoque Diſcordare a ſuo Subjecto; Parte 1. Sect. 2. cap. 2. n. 9.

10. Igitur Propoſito aliquo Syllogiſmo, ſi ex Scientiâ de eo judicare velis, examina eum juxta duo prima Quadrata. Quod ſi non vacet, et Arte contentus ſis, examina ipſum penes quatuor Regulas, quas jam dedi; ſecurus de caetero, an in primâ, an in ſecundâ, an in tertiâ Figurâ; an Directus, an Indirectus; an in *Barbara*, an in *Celarent*, *Darii*, *etc.* Nihil horum te angat, nihil horum inquiras; bonus eſt Syllogiſmus, ſi modo quatuor illas Regulas ſervet; malus ſi vel unam ex his Regulis non ſervet, quidquid ſit reliquorum.

Caput VI.

De Antiſyllogiſmo.

1. Antiſyllogismus eſt Argumentum per Converſionem Soriticam correſpondens Syllogiſmo; ut: *Petrus non eſt animal, ergo vel Petrus non eſt homo, vel aliquis homo non eſt animal.* Poſito enim hoc Syllogiſmo: *Omnis homo eſt animal, Petrus eſt*

homo, *ergo Petrus eſt animal*, ſi procedere volueris a Contradictoriâ Conſequentis ad Contradictoriam Antecedentis, habebis hoc Argumentum: *Petrus non eſt animal*, *ergo non et Petrus eſt homo*, *et omnis homo eſt animal*, cujus Argumenti Concluſionem reducendo juxta Schema Part. 2. Sect. 2. cap. 3. propoſitum, produces Antiſyllogiſmum initio formatum: quia *Non et* idem eſt quod *Vel non*; hoc ergo: *Non et Petrus eſt homo*, *et omnis homo eſt animal*, huc reducitur: *Vel Petrus non eſt homo*, *vel non omnis homo eſt animal*. Rurſum *Non omnis* idem eſt *Aliquis non*; huc ergo reducitur: *Vel Petrus non eſt homo*, *vel aliquis homo non eſt animal*. Vide Schema loco citato.

2. Quia tres Termini diſpergendi ſunt per Conſequens Antiſyllogiſmi, neceſſum eſt illud Conſequens conſtare duabus Propoſitionibus, quas *Submiſſas* vocare poſſumus. Et in eo differunt a Praemiſſis in Syllogiſmo, quod hae quidem copulative ſibi mutuo jungantur, illae vero diſjunctive, inſtitutâ ſcilicet Reductione juxta Schema citatum; juxta illud enim Diſjunctivum contradicit Copulativo.

3. Petes: quare Anti-ſubalternatio, et Anti-converſio, non recenſentur etiam inter Species Argumenti Formalis. Reſpondeo: quia non conſtituunt diſtinctam Speciem a Subalternatione et Converſione, reſpective loquendo. Poſitâ enim Subalternatione aut Converſione aliquâ, ſi e Contradictoriâ Conſequentis inferas Contradictoriam Antecedentis, non nanciſcêris novam Speciem Argumenti, ſed habebis denuo Converſionem aliquam vel Subalternationem. V. g. haec Converſio eſt: *Omnis homo eſt animal*, *ergo aliquod animal eſt homo*. Converte hoc Argumentum Converſione Complexâ, ſeu infer ex Contradictoriâ Conſequentis Contradictoriam Antecedentis; reſultabit hoc Argumentum: *Nullum animal eſt homo*, *ergo aliquis homo non eſt animal*, quod iterum Converſio eſt. Similiter ſi poſitâ hac Subalternatione: *Omnis homo eſt animal*, *ergo aliquis homo eſt animal*, Convertere volueris, reſultabit hoc Argumentum:

Nullus homo eſt animal, ergo aliquis homo non eſt animal, quod rurſum eſt quaedam Subalternatio. Atque adeo Converſiones Affirmativae et Negativae, itemque Subalternationes Affirmativae ac Negativae, correſpondent ſibi mutuo per Converſionem Soriticam, ſeu procedendo a Contradictoriâ Conſequentis ad Contradictoriam Antecedentis. Non ſic res ſe habet in Syllogiſmo, ſed cum illum convertere volueris, videbis Argumentum tuum, quod iſta Converſione intuleris, extra ſpeciem prioris Argumenti, id eſt, extra ſpeciem Syllogiſmi recidere.

Caput VII.

De Argumento-a-Diviſis-ad-Conjuncta.

1. Argumentum-a-Diviſis-ad-Conjuncta eſt Argumentum, quod ex Praemiſſis Syllogiſticis infert Concluſionem coacervatam. Coacervatam Concluſionem voco, in qua et Medium ponitur et ambae Extremitates, ſed hae in unum Terminum coëuntes. Proinde ſicut ex Enthymemate Syllogiſmus, ſic ex Syllogiſmo quodammodo naſcitur hoc Argumentum. Tale eſt iſtud: *Petrus eſt homo, et Petrus eſt doctus, ergo Petrus eſt homo doctus.* Diviſa in iſto Argumento ſunt Extremitates in diverſis Praemiſſis repertae, v. g. *Homo* et *Doctus* in praedicto Argumento. Conjuncta ſunt eaedem Extremitates in unum Terminum coactae, v. g. *Homo doctus* in Conſequente ejuſdem Argumenti. Ultra tres illos Terminos reperitur quartus, quem *Baſim* voco, eſtque Terminus ille qui cum Diviſis pariter ac Conjunctis ſeu affirmative ſeu negative connectitur.

2. Regula hujus Argumenti: Integra Diviſa in Conſequente conjunguntor; non pars cum parte, aut totum unum cum alterius parte. Unde peccat hoc Argumentum: *Petrus videt corvum et Petrus videt album, ergo Petrus videt corvum album*; cum enim Diviſa in Antecedente ſint integra Praedicata, nempe *Videns corvum*, item *Videns album*, haec non conjunguntur

unum in Terminum in Confequente, fed prius eorum integre quidem ponitur, pofterius vero non integre, fed pofterior pars ex eo deraditur, atque cum priori Diviforum conjungitur. Simili vitio laborat iftud Argumentum: *Hic canis eft pater, hic canis eft tuus, ergo hic canis eft pater tuus*; integra enim Divifa funt *Pater*, fupple *alicujus*, et *Poffeffio tua* (*Tuus* enim non eft integer Terminus, fed fuppleri poftulat, hoc modo: *Poffeffio tua, Magifter tuus, Famulus tuus etc.*). In allegato igitur Argumento non conjunguntur ifta Divifa, fed pars ex uno, pars ex alio furripitur, et fibi invicem apponuntur; fic enim oportebat conjungere integra Divifa in Confequente: *Ergo hic canis eft pater alicujus et poffeffio tua*, feu, *Pater alicujus poffeffus a te.*

3. Secunda Regula: In Argumento Affirmativo a Divifis ad Conjuncta oportet Praemiffas copulative connectere. Unde non valet iftud Argumentum: *Homo eft animal, vel homo eft irrationalis, ergo homo eft animal irrationale.* In Argumento autem Negativo licet tum Difjunctive tum Copulative connectere Praemiffas. Unde valet: *Homo non eft animal vel homo non eft irrationalis, ergo homo non eft animal irrationale.*

4. Tertia Regula: Procedendo Affirmative a Divifis ad Conjuncta, diftribuenda eft Bafis in altera Praemiffarum. Unde non valet: *Aliquod animal eft equus, et aliquod animal latrat, ergo aliquod animal eft equus latrans.* In Argumento Negativo non requiritur ifta Diftributio Bafis.

5. Quarta Regula: Cavendum ab Homonymia in iis quae Divifa et in iis quae Conjuncta concernunt. Unde non fequitur: *Duo non funt quinque, et tria non funt quinque, ergo duo et tria non funt quinque*; committitur enim Homonymia circa particulam *Et*, quae in Antecedente laxe, et in Confequente preffe copulat. Haec quarta Regula, et Prima in ordine, concernit Speciem Argumenti-a-Divifis-ad-Conjuncta; non poteft enim Argumentum illud poni in fua Specie, fi unam ex duabus iftis

Regulis negligat. Reliquae Regulae spectant ad Formam, et ad necessitatem Sequelae ei conciliandam. Ad quam etiam accidentaliter saltem spectare videtur, ut Divisa habeant se instar Substantivi et Adjectivi, et ut Praemissa ponantur in tertia Figura; tunc enim clarius apparebit Argumentum; unde hoc duriusculum est: *Petrus est homo*, *Petrus est animal*, *ergo Petrus est homo animal.*

Caput VIII.

De Argumento-a-Conjunctis-ad-Divisa.

1. Argumentum a-Conjunctis-ad-Divisa est Argumentum correspondens priori Argumento penes Conversionem Soriticam; ut: *Brutum non est animal rationale*, *ergo brutum non est animal vel brutum non est rationale.* Cum Divisa ponantur in Consequente hujus Argumenti, consequenter duae requiruntur Propositiones in Consequente, quas *Submissas* vocare possumus.

2. Cum hoc Argumentum per Conversionem Soriticam correspondeat Argumento a Divisis ad Conjuncta, hinc cum simili inversione omnes easdem Regulas habet, quas prius Argumentum. Ac primo Integra Conjuncta dividenda sunt in Consequente; hinc non sequitur: *Hic canis non est pater tuus*, *ergo hic canis non est pater vel hic canis non est tuus*; et haec Regula clare correspondet Primae Regulae in praecedenti Capite.

3. Secundae Regulae correspondet ista: In Argumento Negativo a Conjunctis ad Divisa oportet Submissas Disjunctive connectere. Unde non valet: *Petrus non est animal irrationale*, *ergo Petrus non est animal*, *et Petrus non est irrationalis*, sed *Vel etc.* dicendum fuerat. Tertiae Regulae correspondet ista: In Argumento a Conjunctis ad Divisa, Negative procedendo, non licet Basim distribuere in utraque Submissarum. Unde non valet: *Nullum animal est equus latrans*, *ergo nullum animal est equus*, *vel nullum animal est latrans.* Eodem vitio laborat istud:

Mons ſine valle non eſt, *ergo vel mons non eſt*, *vel ſine valle non eſt.* Baſis enim ibi eſt *Exiſtens*, quod diſtribuitur in utraque Submiſſa. Quarta Regula hîc etiam proſcribit Homonymiam; unde peccat iſtud: *Duo et tria ſunt quinque*, *ergo duo ſunt quinque et tria ſunt quinque.*

4. Atque ita fuerunt Argumenta-Formalia-in-Terminis: 1. quidem Argumentum formale cum uno Termino; quod ad Repetitionem ſpectat, poteſtque vocari *Supina Repetitio*; 2. Argumentum Formale cum duobus Terminis; quod vel eſt cum unica Propoſitione, vel cum duabus Propoſitionibus; prius illud iterum ad Repetitionem pertinet; poſterius dividitur in Subalternationem et Converſionem; 3. Argumentum formale cum tribus Terminis, comprehenditque Syllogiſmum et Anti-Syllogiſmum; 4. Argumentum formale cum quatuor Terminis (ſic tamen ut quartus Terminus compoſitus ſit ex duobus reliquorum), comprehenditque Argumenta-a-diviſis-ad-conjuncta, et contra.

Caput IX.

De Argumento Topico.

1. Argumentum-in-Terminis Materiale ſolet a Logicis vocari Argumentum Topicum. Eſtque Argumentum, in cujus Forma ac Materia ſimul ſumptis non ponitur Impudentia. Per Formam intelligo Formam integram octo Puncta complexam; per Materiam intelligo Materiam Terminos concernentem. Ex quo ſequitur, quod Argumentum Topicum debeat eſſe Enthymema, quia Materia Terminos concernens in ſolo Enthymemate locum habeat, ut demonſt. praeced. Sect. cap. 9. num. 3. Igitur hoc eſt Argumentum Topicum ſeu Materiale: *Nullum animal eſt lapis*, *ergo nullus homo eſt lapis*; eſt enim Enthymema, ut patet ſatis ex Definitione Enthymematis, et conſideratis ſimul Formâ ac Materiâ ejus, id eſt, novem prioribus Affectionibus Logicis, nunquam in illis poni poterit Antecedens verum Conſequente

falſo. Et quidem notatu dignum eſt, quod et in Formâ ejus poni poſſit Impudentia, et in Materiâ ejus poni poſſit Impudentia. In Formâ ejus ponitur haec Impudentia : *Nullum animal eſt lapis*, *ergo nullum marmor eſt lapis*; hîc enim eadem Forma eſt quae in priori, ut facile videbis percurrendo per octo puncta Formae in uno et in alio Argumento. In Materiâ ejus ponitur haec Impudentia : *Nullum animal eſt lapis*, *ergo omnis homo eſt lapis*; hîc enim eadem habitudo Inferentis ad Illatum penes Praedicationem, cum Inferens in utroque Argumento ſit idem et Illatus idem. Igitur in Materiâ Argumenti Topici ponitur Impudentia, ſed haec non ponitur in ejus Formâ; in Formâ ejus ponitur Impudentia, ſed haec non ponitur in ejus Materiâ, ita ut in Formâ ac Materiâ conjunctis poni non poſſit Impudentia.

2. Caute vero obſervandum eſt, non ſufficere ad Argumentum Topicum ſeu Materiale, quod ſit Enthymema habeatque Antecedens pariter ac Conſequens vera, ſed ulterius requiri, ne in ſimili Formâ ac Materiâ detur Antecedens verum Conſequente falſo. Unde hoc Argumentum Materiale non valet : *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt homo*; etiamſi enim res ibi bene ſe habeat quoad veritatem Antecedentis et Conſequentis, hoc non ſufficit, cum in ſimili Formâ a Materiâ poni poſſit Argumentum, in quo Extrema non bene ſe habeant quoad veritatem falſitatemque, ſed in quo ſit Antecedens verum Conſequente falſo; v. g. *Petrus eſt animal*, *ergo Petrus eſt brutum*; hoc enim eſt ejuſdem et Materiae et Formae cum praecedenti Argumento. Ejuſdem Materiae, quia eſt eadem habitudo Inferentis ad Illatum in utroque Argumento, nempe Inferens utrobique ſubalternat ſibi Illatum. Ejuſdem formae, quae in utroque Argumento ſunt tres praeciſe Termini, eodem modo utrobique accepti, eodem modo ſituati, etc. Sic etiam non valet hoc Argumentum : *Lapis non eſt homo*, *ergo lapis non eſt animal*, quia in Formâ ac Materiâ ſimul ſumptis iſtius Argumenti

ponitur haec Impudentia: *Bos non eſt homo, ergo bos non eſt animal.*

3. Materia Terminos concernens paſſim vocatur *Locus*, et hinc *Argumentum Topicum* ſeu *Locale* dictum eſt. Locus proinde quintuplex eſt: 1. Locus a Convertibilibus; eſtque habitudo Inferentis ad Illatum, ut Convertibilium. In hoc loco ponitur iſtud Argumentum: *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal rationale.* 2. Locus a Genere ad Speciem, ſeu potius a Subalternante ad Subalternatum; eſtque habitudo Inferentis ad Illatum, quâ ſe habet ut Subalternantem ad Subalternatum. In iſto loco poſitum eſt hoc Argumentum: *Nullum animal eſt lapis, ergo nullus homo eſt lapis.* 3. Locus a Specie ad Genus, ſeu potius a Subalternato ad Subalternantem, juxta quem Inferens ſubalternatur et Illatus ſubalternat. In eo loco ponitur hoc Argnmentum: *Homo eſt rationalis, ergo aliquod animal eſt rationale.* 4. Locus a Diſparatis, juxta quem Inferens et Illatus diſparantur, et in eo loco ſedet hoc Argumentum: *Omne brutum eſt irrationale, ergo aliquod bipes eſt irrationale.* 5. Denique Locus a Repugnantibus; et in eo fundatur hoc Argumentum: *Homo eſt animal, ergo homo non eſt lapis.*

4. Ut autem Fundamenta et Maximae Argumentorum Topicorum intelligantur, bene notandum eſt, quod Parte 1. Sect. 2. cap. 2. n. 8. et 9. demonſt.; nempe Terminum Convertibilem reſpectu Convertibilis correſpondentis et Subjectum et Praedicatum eſſe; Subalternatum vero eſſe Subjectum Subalternantis (ibid. n. 9.), non vero Praedicatum de Subalternante (ibid. n. 7.); Subalternantem autem eſſe Praedicatum de Subalternato (n. 9.), non vero Subjectum Subalternati (n. 7.); Terminus vero Diſparatos non habere ſe ut Subjectum et Praedicatum (n. 6.), nec etiam Terminos Repugnantes (n. 2.). Quibus poſitis, Fundamenta Argumentorum Topicorum deſumuntur ex duobus primis Quadratis. Et Argumentamur a Convertibilibus (1.) ex parte Subjecti affirmative, v. g. *Homo*

ſentit, ergo rationale ſentit; Fundamentum eſt 1. Axioma 1. Quadr. *Quod dicitur de Praedicato, dicitur etiam de Subjecto.* 2. Ex parte Subjecti Negative, v. g. *Rationale non eſt lapis, ergo homo non eſt lapis*; Fundamentum eſt 2. Axioma 1. Quadr. *Quod negatur de Subjecto, negatur etiam de Praedicato.* 3. Ex parte Praedicati Affirmative, v. g. *Homo ſentit, ergo homo eſt animal*, per 3. Axiom. 1. Quadr. *De quo dicitur Subjectum, de eodem et Praedicatum dicitur.* 4. Ex parte Praedicati Negative, v. g. *Lapis non ſentit, ergo lapis non eſt animal*, per 4. Axiom. 1. Quadr. *De quo negatur Praedicatum, de eo negatur et Subjectum.*

(2.) Argumentamur a Genere ad Speciem 1. ex parte Subjecti Affirmative, v. g. *Animal ſentit, ergo homo ſentit*, per 1. Axiom. 1. Quadrati. 2. Ex parte Subjecti Negative, v. g. *Nullum animal eſt lapis, ergo homo non eſt lapis*, per 2. Axioma 2. Quadrati. 3. Ex parte Praedicati Affirmative non Argumentamur; occurrit enim mala Maxima: *De quo dicitur Praedicatum, de eo dicitur et Subjectum*, quod falſum eſt, cum Praedicatum poſſit Subalternare Subjectum (Parte 1. Sect. 2. cap. 2. n. 9.), et per conſequens diſcordare a Subjecto, adeoque dici de aliquo, de quo Subjectum non dicitur (per definit. diſcor.). 4. Ex parte Praedicati Negative ſic Argumentamur: *Lapis non eſt animal, ergo lapis non eſt homo*, per 4. Axio. 1. Quadr.

(3.) Argumentamur a Specie ad Genus 1. Ex parte Subjecti Affirm. hoc modo: *Homo eſt rationalis, ergo aliquod animal eſt rationale*, per 1. Axiom. 2. Quadrati. 2. Ex parte Sub. Neg. hoc modo: *Homo non eſt brutum, ergo animal non eſt brutum*, per 2. Axiom. 1. Quadrati. 3. Ex parte Praed. Affirm. hoc modo: *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, per 3. Axioma 1. Quadrati. 4. Ex parte Praed. Neg. non Argumentamur; occurrit enim mala Maxima: *De quo negatur Subjectum, de eo negatur etiam Praedicatum*, quod eſt falſum, cum Praedicatum poſſit diſcordare a Subjecto, adeoque Affirmari de aliquo, de

quo non Affirmatur (id eſt, de quo Negatur; hac Sect. cap. 2. n. 14.) Subjectum.

(4.) Argumentamur a Diſparatis 1. ex parte Sub. Affirm. hoc modo: *Omne brutum eſt irrationale*, *ergo aliquod bipes eſt irrationale*, per primum Axioma Appendicis ad 2. Quadrat. 2. Ex parte Subjecti Negative, hoc modo: *Nullum bipes eſt quadrupes*, *ergo aliquod brutum non eſt quadrupes*, per 2. Axiom. Appendicis. 3. Ex parte Praedicati non Argumentamur. Non affirmative, quia occurrit mala Maxima: *De quo dicitur unus Diſparatorum*, *de eodem dicitur et alter*, quod falſum eſt, cum Diſparatus diſcordet a Diſparato, adeoque poſſit dici de aliquo, de quo alius non dicatur. Non negative, quia occurrit alia mala Maxima: *De quo negatur unus Diſparatorum*, *de eodem negatur alius*, quod falſum iterum, quia Diſparatus diſcordat a Diſparato, ideoque fieri poteſt, ut de quo unus negatur (id eſt, de quo unus non affirmatur, *hac Sect. cap.* 2. *n.* 14), de eo alius non negetur, id eſt, de eo alius affirmetur (*per idem*).

(5.) Argumentamur a Repugnantibus difformiter ex parte Praedicati, hoc modo: *Homo eſt animal*, *ergo homo non eſt lapis*. Maxima eſt: *De quo dicitur unus Repugnantium*, *de eo negatur alius*; ſi enim de eo non negaretur, ergo de illo diceretur (*hac Sect. cap.* 2. *n.* 13.), adeoque Repugnantes concordarent, quod eſt abſurdum, *per defin. Repug.*

5. Sed inter Argumenta Topica eliminandum eſt Argumentum a Diſparatis; hoc enim nunquam eſt purum Argumentum, ſed ſemper duobus Argumentis praegnat, uno quod ſit a Genere ad Speciem, altero quod ſit a Specie ad Genus. Ipſum autem purum et ab illis ſecretum nuſquam apparet; ſemper enim procedit implicite ab uno Diſparatorum diſtributo ad Subjectum utrique Diſparatorum commune (quod eſt a Genere ad Speciem procedere), et deinde a Subjecto illo communi procedit ad alterum Diſparatorum particulariter ſumptum (quod eſt a Specie ad Genus procedere). V. g. *Omne brutum eſt irrationale*, *ergo*

quoddam bipes eſt irrationale, ſic reſolvitur: *Omne brutum eſt irrationale*, *ergo avis eſt irrationalis* (ubi eſt Argumentum a Genere ad Speciem procedens, nempe ab uno Diſparatorum diſtributo, ad Subjectum utrique Diſparatorum commune), et *Avis eſt irrationalis*, *ergo aliquod bipes eſt irrationale* (ubi eſt Argumentum a Specie ad Genus, proceditque a Subjecto communi ad alterum Diſparatorum particulariter ſumptum). Quatuor ergo tantum ſunt Argumenta Topica; habitudo enim Diſparatorum non fundat novum Genus Argumenti. Quod ut melius pateat, operae pretium fuerit hoc Theorema demonſtrare: Subjectum, in quo concordant duo Termini Diſparati, utrique eorum ſubalternatur. Demonſt. Sint Termini Diſparati A, B, et concordent in C. Dico primo, quod C ſubalternetur ipſi A; C enim non diſcordat ab A (ſi enim diſcordaret ab A, non ſubjiceretur ipſi A; *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 2. *n.* 5.); ſed A diſcordat a C (ſi enim A non diſcordaret a C, non diſcordaret etiam a B, cum C utpote Subjectum non diſcordet a B Praedicato ſuo); igitur C ſubalternatur ipſi A *per defin. Subalternati.* Eodem modo demonſtrabis quod C Subalternetur ipſi B. Igitur C Subalternatur tum ipſi A tum ipſi B. Quod erat demonſtrandum.

Caput X.

De Regulis Argumenti Topici.

1. Regulae Argumenti Logici Sect. praeced. cap. ult. allegatae obtinent etiam in Argumento Topico, utpote quod ſit Species quaedam Argumenti Logici. Prima quidem Regula in eo obtinet, quia Terminus Communis per Antecedens et Conſequens diffunditur. Secunda et Tertia ſervari debent circa Terminum Communem, ſiquidem in illo ſolo periculum eſt tranſgreſſionis iſtarum Regularum; non poteſt enim in Termino aliquo committi Homonymia aut proceſſus a non diſtr. ad diſtr., niſi ille

Terminus ſaltem verbotenus bis occurrat in Argumento. Et quidem defectu Secundae Regulae non valet iſtud Argumentum Topicum a Genere: *Ludovicus eſt gallus*, *ergo quidam homo eſt gallus*, ſi *Gallus* in Antecedente ponatur pro *Oriundo ex Gallia*, et in Conſequente pro *Certa Ave*. Sic nec iſtud valet: *Omne animal ſentit*, *ergo omnis qui dormit*, *ſentit*, ſumendo *Sentiens* in Antecedente per potentiam, et in Conſequente per actum. Contra Tertiam Regulam peccat iſtud Argumentum-a-Repugn.: *Brutum eſt animal*, *ergo homo non eſt animal*; ibi enim proceditur a non diſtr. ad diſtr. ex parte Termini Communis *Animal.*

2. Quarta Regula etiam obtinet in Argumento Topico; ſed illa demonſtrari debet. Quod ut commodius fiat, praemittendae ſunt quaedam Definitiones et quaedam Theoremata. *Subjectum-utriuſque* voco illud Subjectum, in quo Terminus Inferens et Terminus Illatus alicujus Enthymematis concordant, ſeu de quo uterque eorum affirmari poteſt. *Subjectum neutrius* voco illud Subjectum de quo nec Inferens nec Illatus affirmatur. *Praedicatum-de-utroque* dico quod et de Inferente et de Illato dicitur. *Praedicatum-de-neutro*, quod nec de Inferente nec de Illato dicitur. V. g. propoſito hoc Enthymemate: *Petrus eſt homo*, *ergo Petrus eſt animal*, Subjectum-utriuſque eſt *Petrus*, item *Homo*. Subjectum-neutrius eſt *Lapis*, item *Lignum*. Praedicatum-de-utroque eſt *Ens*, item *Animal*. Praedicatum-de-neutro eſt *Lapis*, item *Lignum*. Porro: *Subjectum-unius* voco, de quo unus iſtorum Terminorum (Inferens inquam vel Illatus) dicitur, ſed non alter; et dividitur in *Subjectum-hujus* (ſic voco Subjectum Termini Illati, quod non eſt Subjectum Termini Inferentis) et *Subjectum-illius* (ſic voco Subjectum Inferentis, et non Illati). *Praedicatum-de-uno* ſimiliter capitur; atque aliud eſt *Praedicatum-de-hoc*, aliud *Praedicatum-de-illo*.

3. Sequuntur jam quaedam Theoremata, quorum hoc Primum ſit: Omnis Locus admittit Subjectum-neutrius et Praedicatum-de-neutro. Id eſt, In Loco-a-Convertib., in Loco-a-Genere,

a Specie, etc., poni poteſt Argumentum, ſic ut detur Subjectum, de quo nec Inferens nec Illatus dicatur, itemque Praedicatum quod nec de Inferente nec de Illato dicatur. Demonſt. in Loco-a-Convertib.: Quia, etiamſi Termini tantum de eodem dicantur (id eſt, Convertibiles ſint), cum eo bene conſiſtit, aliquid eſſe, de quo neuter dicatur, item aliquid eſſe quod de neutro dicatur. V. g. etſi *Animal* et *Sentiens* convertantur, tamen neutrum dicitur de *Ligno*, et *Lignum* de neutro dicitur. Perge eodem pacto ad Locum-a-Genere, a-Specie, etc. (prolixitatis vitandae ergo, teneor hoc exercitio tuo tranſcribere). Videbis clare, quod quilibet eorum admittat Subjectum-neutrius et Praedicatum-de-neutro. Ex hoc Theoremate clare ſequitur Quarta Regula, nempe Argumentum Topicum non poſſe eſſe Deforme. Vel enim eſſet Deforme ex parte Subjecti, vel ex parte Praedicati (quae enim a Praedicato ad Subjectum et contra procedunt Argumentationes, non conſideramus, utpote praegnantes, *Sect. praeced. cap.* 6. *n.* 8. *et cap.* 7. *n.* 3.). Si ex parte Praedicati ſit Deforme, in eodem loco ponetur Impudentia, ſumpto pro Termino Communi Subjecto-neutrius; de eo enim Inferens negabitur, ſed Illatus de illo non poterit affirmari. Si ex parte Subjecti ſit Deforme, ponetur Impudentia, ſumpto Praedicato-de-neutro; hoc enim de Inferente quidem negabitur, ſed de Illato non poterit affirmari.

4. Secundum Theorema: Quilibet Locus admittit Praedicatum-de-utroque. Etiamſi enim Termini ſint Convertibiles, idem poteſt affirmari de utroque (uterque enim affirmatur de utroque); etiamſi Subalterni ſint, idem poteſt affirmari de utroque (quia ſaltem Subalternans dicitur de utroque Subalternorum); etiamſi Repugnantes fuerint, idem de utroque dici poteſt (ſunt enim ad minimum aliquid; et ſic *Ens* de utroque dicitur). Ex hoc Theor. clare ſequitur Prima Regula Specialis Argumenti Topici: Argumentum Topicum ex parte Subjecti procedens, non poteſt eſſe Difforme; poſito enim Praedicato-de-utroque, hoc

ipſo ponetur Impudentia; hoc enim Praedicatum de Inferente quidem affirmabitur, ſed de Illato negari non poterit.

5. Tertium Theorema: Solus Locus-a-Repugn. excludit Subjectum-utriuſque. Caeteri Loci admittunt; Repugnantes enim non concordant, at caeteri omnes Termini concordant. Ex hoc Theor. clare ſequitur Secunda Regula Specialis: Omnia Argumenta Topica debent eſſe Uniformia, excepto Argumento-a-Repug. Nullum enim Argumentum Topicum poteſt eſſe Deforme, *juxta* 1. *Theor.* Nullum poteſt eſſe Difforme ex parte Praedicati, *juxta* 2. *Theor.* Nullum excepto Argumento-a-Repug., poteſt eſſe Difforme ex parte Subjecti. Sequitur ergo, ut omnia Argumenta Topica, excepto Argumento-a-Repug., ſint Uniformia.

6. Quartum Theor.: Locus-a-Repug. admittit Subjectum-hujus, et Subjectum-illius, item Praedicatum-de-hoc, et Praedicatum-de-illo. Illatus enim iſtius Loci ſibi ſubjicitur (quilibet enim Terminus ſibi ſubjicitur, quando Subſtantivum cum Adjectivo confundimus, ut in materiâ Argumentorum ſemper confundimus); non ſubjicitur autem Inferenti (*Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 2. *n.* 2.). Eâdem de cauſâ Inferens ſibi ſubjicitur, et non Illato; item Illatus de ſe dicitur, et non de Inferente; et denique Inferens de ſe dicitur, et non de Illato. Sextum Theorem.: Locus Argumenti Affirm. procedentis ex parte Subjecti non admittit Praedicatum-de-illo. Fieret enim Impudentia cum iſto Praedicato, quandoquidem hoc Praedicatum de Inferente quidem diceretur, de Illato autem dici non poſſet. Septimum Theor.: Locus Argumenti Affirm. proced. ex parte Praed. non admittit Subjectum-illius. De eo enim Subjecto Inferens quidem diceretur, Illatus de eo dici non poſſet, adeoque committeretur Impudentia. Octavum Theor.: Locus Argum. Neg. proced. ex parte Sub. non admittit Praedicatum-de-hoc. Praedicatum enim negaretur quidem de Inferente, negari de Illato non poſſet. Nonum Theor.: Locus Arg. Neg. proced. ex parte Praed. non

admittit Subjectum-hujus. Inferens enim de tali Subjecto negaretur, Illatus de eodem negari non poſſet. Ex hiſce Theorematis ſequitur Tertia Regula: Argumentum-a-Repugn. non poteſt eſſe Uniforme; quia nec Affirmativum eſſe poteſt, nec Negativum; non Affirm., quia vel procederet ex parte Sub. (atque illi obſtat Theor. 5. et 6.), vel procederet ex parte Praed. (atque illi obſtat Theor. 5. et 7.); non Neg., quia rurſum vel procederet ex parte Sub. (atque illi obſtat Theor. 5 et 8.), vel procederet ex parte Praed. (atque illi obſtat Theor. 5. et 9.). Corollarium hujus Regulae eſt: Argumentum-a-Repug. eſt unicum et ſimplex in Specie ſua; nempe Argumentum Difforme ex parte Praedicati procedens. Caeteri enim proceſſus interdicuntur ei per praecedentia Theoremata.

7. Sequitur etiam ex his Theorem., quod Argumentum a Genere non poſſit Affirmative procedere ex parte Praedicati, *per Theor.* 7., nec Negative ex parte Subjecti, per ſe loquendo, *per Theor.* 8., ſed excuſatur hîc per diſtributionem Inferentis. Item, quod Argumentum a Specie non poſſit Affirm. procedere ex parte Sub., *per Theor.* 6., per ſe loquendo, ſed excuſatur per Acceptionem Particularem Illati, nec ex parte Praedicati Neg., *per Theor.* 9.

Caput XI.

De Reductione Argumenti Topici ad Syllogiſmum Formalem.

1. Praemittenda ſunt quaedam Theoremata. Primum Theorema: Enthymema Uniforme in Reductione ad Syllogiſmum Formalem requirit Supplementum Affirmativum. Demonſt.: quia Enthymema Uniforme habet Antecedens et Conſequens, vel pariter Affirmativa, vel pariter Negativa. Si poſterius fiat, Supplementum non poterit eſſe Negativum; Syllogiſmus enim peccaret contra Primam Regulam, utpote ex puris Negativis

procedens. Si prius fiat, Syllogismus peccabit contra Secundam Regulam, utpote Deformis, et ex Antecedente Negativo Conclusionem Affirmativam eliciens. Antecedens enim Negativum est, si vel una Praemissa sit Negans (quod hîc eveniet ratione Supplementi Negativi). Conclusio autem erit Affirmativa, utpote eadem cum Conclusione Enthymematis.

2. Secundum Theorema: Enthymema Difforme debet reduci per Supplementum Negativum. Cum enim in tali Enthymemate Antecedens sit Affirmativum, Consequente Negativo, si Supplementum Affirmativum adhiberes, exsurgeret Syllogismus Difformis. Antecedens enim esset Affirmativum (utrâque Praemissâ, Antecedente nempe Enthymematis et Supplemento, Affirmativis), Conclusio autem esset Negativa. Sequitur ex hisque Theor., quod omnia Argumenta Topica debeant reduci per Supplementum Affirm., excepto Argumento-a-Repug., quod per Supplementum Neg. reducitur.

3. Tertium Theor.: Enthymema Deforme non reducitur. Cum enim in tali Enthymemate Antecedens sit Negativum, Consequente Affirmativo, debebit una Praemissa Syllogismi, ad quem fieret reductio, esse Negans (consequenter Antecedens Syllogismi erit Negativum). Conclusio tamen esset Affirmativa, utpote eadem cum Consequente Enthymematis, quod Affirmativum esse supponebatur.

4. Quartum Theor.: Enthymema, in quo proceditur a non distrib. ad distrib., non potest reduci. Illud enim vitium conferretur in Syllogismum, ad quem fieret Reductio; illud enim vitium appositione Supplementi non potest corrigi, cum vitium illud necessario resideat in Termino Communi Enthymematis (*cap. praeced. num.* 1.); hîc autem non assumitur in Supplementum, sed tantum Inferens et Illatus.

5. Quintum Theorema: Si Inferens non distribuatur in Enthymemate, oportet distributionem ejus procurare in Supplemento. Si enim nec in Supplemento distribuatur, Medium in

Syllogifmo non diftribuetur. Inferens enim Enthymematis fit Medium in Syllogifmo, ad quem Enthymema reducitur, *Praeced. Sect. cap.* 8. *num.* 3.

6. Sextum Theor.: Si Illatus diftribuatur in Enthymemate, oportet etiam Diftributionem ejus procurare in Supplemento. Si enim eo cafu in Supplemento non diftribuatur, fiet in ipfo proceffus a non diftributo ad diftributum.

7. Septimum Theor.: Enthymema Uniforme, in quo Illato diftributo Inferens non diftribuitur, non poteft reduci. Deberet enim tale Enthymema reduci per Supplementum Affirmativum (*juxta* 1. *Theor. hoc cap.*); deberet etiam Inferens in Supplemento diftribui (*per* 5. *Theor.*); deberet et Illatus in Supplemento diftribui (*per* 6. *Theor.*); hoc autem fieri non poteft, cum in Propofitione Affirmativâ tantum unum Extremum diftribui poffit. Praedicatum enim ejus non diftribuitur, *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 9. *n.* 10.

8. Octavum Theor.: Si Illatus diftribuatur, aut Inferens non diftribuatur in Enthymemate Uniformi, oportet affumere Supplementum Univerfale, id eft tale Supplementum, quod fit Propofitio Univerfalis. Oportet enim in Reductione talis Enthymematis affumere Supplementum Affirmat. (*per* 1. *Theor.*). In Propofitione autem Affirmante, folum Subjectum diftribui poteft; cum igitur oporteat in Supplemento ifto unum Terminum diftribuere (*juxta* 5. *et* 6. *Theor.*), ponetur ille Terminus diftributus loco Subjecti in Supplemento, adeoque exfurget Propofitio Univerfalis.

9. Nonum Theor.: Si in Enthymemate Uniformi Inferens non diftribuatur, oportet affumere Supplementum Rectum, feu tale Supplementum, in quo Inferens obtineat locum Subjecti. Cum enim eo cafu oporteat Supplementum affirmativum (*per* 1. *Theor.*) Univerfale (*per* 8. *Theor.*) affumere, in quo folum Subjectum diftribuitur (*Parte* 2. *Sect.* 1. *cap.* 8. *n.* 3.), cumque oporteat Inferentem in Supplemento diftribuere (*per*

5. *Theor.*), consequens est, ut Inferens loco Subjecti ponatur in Supplemento.

10. Decimum Theor.: Si Illatus in Enthymemate Uniformi distribuatur, oportet assumere Supplementum Inversum. Cum enim eo casu oporteat assumere Supplementum Affirm. (*per* 1. *Theor.*) Universale (*per Theor.* 8.), in quo solum Subjectum distribuitur; cumque oporteat Illatum in Supplemento distribuere (*per* 6. *Theor.*); consequens est, ut Illatus loco Subjecti ponatur in Supplemento.

11. Undecimum Theor.: In Enthymemate Uniformi, in quo Inferens distribuitur, Illato non distributo, licet assumere Supplementum Particulare. Quia nec Inferens nec Illatus distribui debet in Supplemento. Non Inferens, quia ille distribuitur in Antecedente Enthymematis, et sufficit Medium in una Praemissarum distributum esse. Non Illatus, quia non est cur ille distribuatur in Antecedente Syllogismi, quando non distribuitur in Consequente. Cum igitur Supplementum Universale nihil aliud adducat quam distributionem Inferentis aut Illati, neutrius autem distributio requisita sit in casu nostri Theorematis, integrum erit, supplementum Particulare assumere.

12. Duodecimum Theor.: Enthymema Difforme ex parte Subjecti procedens non reducitur. In illo enim Enthymemate Terminus Communis ponetur loco Praedicati (*praeced. Sect. cap.* 7. *n.* 3.); cumque Antecedens sit Affirmativum in tali Argumento (*per defin. Argum. Diffor.*), consequenter Terminus Communis in Antecedente non distribuitur (*Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 9. *n.* 10.). Consequens autem in isto Argumento est Negativum (*per defin. Argum. Diff.*). Igitur Terminus Communis in Consequente distribuetur (*Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 9. *n.* 7.). Igitur in isto Argumento proceditur a non distr. ad distr., et sic non reducetur, *per Theor.* 4.

13. Decimum tertium Theor.: Enthymema Difforme ex parte Praedicati procedens reduci debet per Supplementum Universale

Negativum. Inferens enim in Enthymemate illo non diſtribuitur tamquam Praedicatum Affirmationis (adeoque diſtribui debet in Supplemento, *per Theor.* 5.). Illatus autem diſtribuitur in Enthymemate, tamquam Praedicatum Negationis (adeoque etiam diſtribui debet in Supplemento, *per Theor.* 6.). Utrumque autem Extremum diſtribui non poteſt niſi in Univerſali Negante, *Parte* 2. *Sect.* 1. *cap.* 1. *n.* 3.

14. Decimum quartum Theorema: Quando Supplementum eſt Univerſale Negativum, aut Particulare Affirmativum, perinde eſt, an Rectum in Inverſum adhibeatur. Quia ſive Recta, ſive Inverſa fuerint iſta Supplementa, eodem modo accipientur Termini; nempe in Univerſ. Neg. uterque Terminus diſtribuitur *Parte* 2. *Sect.* 1. *cap.* 8. *n.* 3.), in Partic. Affirm. uterque Terminus accipitur particulariter (*ibid.*). Inſuper aequivalent iſta Supplementa Recta et Inverſa, inferuntque ſe mutuo per Converſionem in Terminis, *per* 3. *et* 4. *Axiom.* 5. *Quadr.*

15. Haec de Theoriâ. Propius accedamus ad Praxim. Propoſito aliquo Enthymemate, vel illud eſt Uniforme vel Biforme. Si Biforme, vel eſt Deforme vel Difforme. (1.) Si Deforme, non reducitur, *per Theorem.* 3.

(2.) Si Difforme, ergo vel ex parte Subjecti, vel ex parte Praedicati procedit (ſi enim a Subjecto ad Praedicatum, aut contra procedat, prius reſolvendum eſt in Converſionem et Purum Enthymema, atque tunc demum de Reductione Puri iſtius Enthymematis cogitandum). Si ſit Difforme ex parte Subjecti procedens, non reducitur, *per Theor.* 12.

(3.) Si ſit Difforme ex parte Praedicati procedens, reducitur per Supplementum Univerſale Negativum (*per* 13. *Theor.*), quod perinde eſt, an Rectum an Inverſum facias, *per Theor.* 14.

(4.) Si vero Enthymema propoſitum fuerit Uniforme, oportet adhibere Supplementum Affirmativum (*per* 1. *Theor.*), et in hoc Enthymemate vel 1. Inferens et Illatus diſtribuuntur, vel 2. ambo particulariter ſumuntur, vel 3. Inferens diſtribuitur,

Illato particulariter ſumpto, vel 4. Illatus diſtribuitur, Inferente particulariter ſumpto. Singularis enim Acceptio, ac aliae minus uſitatae, aequipollent Diſtributioni; eo tamen diſcrimine, quod illis non correſpondeat Acceptio Particularis in eodem Termino. Si enim Terminus primo Singulariter, Quaſi-univerſaliter, aut Quaſi-particulariter capiatur, poſtea vero Particulariter ſumatur, committitur Homonymia, adeoque non manet idem Terminus, *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 7. *n.* 6. et 7.

(5.) Si igitur in Enthymemate Uniformi Inferens et Illatus diſtribuantur, Supplementum debet eſſe Affirmativum (*per* 1. *Theor.*), Univerſale (per 8. *Theor.*), Inverſum (*per* 10. *Theor.*).

(6.) Si Inferens et Illatus in Enthymemate Uniformi, ambo particulariter ſumantur, oportet adhibere Supplementum Affirmativum (*per* 1. *Theor.*), Univerſale (*per* 8. *Theor.*), Rectum (*per* 9. *Theor.*).

(7.) Si in Enthymemate Uniformi Inferens diſtribuitur, Illato particulariter ſumpto, oportet adhibere Supplementum Affirmativum (*per* 1. *Theor.*); licet aſſumere Supplementum Particulare (*per* 11. *Theor.*); Rectum an Inverſum adhibeas, arbitrarium eſt (*per* 14. *Theor.*).

(8.) Denique ſi in Enthymemate Uniformi Illatus diſtribuatur, Inferente particulariter ſumpto, non procedet Reductio (*per Theorem.* 7.).

16. Atque ſic etiam tota Praxis circa hoc negotium exhibita eſt. Si enim te quaerente ex me certam Propoſitionem, Terminos protulerim (v. g. *Mus* et *Bos*), Si Qualitatem Propoſitionis etiam indicaverim (v. g. Affirmantem eſſe), Si ad haec Quantitatem innuerim (v. g. Univerſalem eſſe), Si denique etiam Ordinem Terminorum manifeſtaverim (v. g. *Bos* praecedere tamquam Subjectum, et *Mus* ſequi tamquam Praedicatum), jam tota Propoſito quam quaerebas revelata eſt (v. g. haec: *Bos eſt mus*). Atqui ſimiliter, cum propoſito Enthymemate deſideretur tantum una Praemiſſa, ut reducatur ad Syllogiſmum, indicavi Terminos iſtius

Praemiffae (nempe ratio Supplementi requirit Terminum Inferentem et Illatum Enthymematis, tamquam fua Extrema), dixi ordinem Terminorum, quando praefcripfi an Rectum an Inverfum Supplementum effe deberet, dixi Quantitatem, dixi Qualitatem; igitur totam Praemiffam dixi. Eratque id operae pretium; plerique enim Logicam propter Syllogifmos tantum addifcunt (recte an perverfe, nihil attinet hîc dicere). Atqui Argumenta Topica facillima funt, et nullo negotio petuntur ex Locis fuis; fi haec etiam facile ad Syllogifmos reducantur (ut ex praefcripto noftro tuto et facillime reducuntur), adepti funt quod defiderabant.

17. Poft Scientiam feu Theoriam, itemque poft Artem feu Praxim, reftat Exercitium. Id tibi fume ex cap. 9. Et incipe Argumenta Topica ibi pofita reducere ad Syllogifmos. Si fcrupulus incidat, quo loco debeat Supplementum apponi, an ante, an proxime poft Antecedens Enthymematis, Refpond., id arbitrii tui effe. Si tamen ordinem Naturae fequi velis, femper prima tua Praemiffa debet effe Affirmans, ut monui hac Sect. cap. 5. n. 8. Igitur cum Supplementum Negativum adhibes, poftpone illud Antecedenti Enthymematis; cum Supplementum Affir. adhibes in Enthymemate Negativo, praefige illud Antecedenti Enthymematis. In Enthymemate Affirm. arbitrarium fit.

SECTIO III.

De Argumento-in-Enunciationibus.

Argumentum in Enunciationibus eft Argumentum cujus Confequentia penes folas Affectiones Enunciationum aeftimatur; non omnium tamen, fed tantum Primarum et Secundarum. Si quae ante Primas fint (quales funt Partes Primarum, cum Primae componuntur ex aliis Enunciationibus), earum Affectiones non veniunt in cenfum.

Caput I.

De Argumento-Formali-in-Enunciationibus.

1. Argumentum-Formale-in-Enunciationibus eſt Argumentum cujus ſolâ Formâ Enunciationes concernente ſervatâ non fiet Impudentia, ſeu non ponetur Argumentum habens Antecedens verum Conſequente falſo. Forma Enunciationes concernens, ut ſupra dixi, comprehendit quatuor puncta: 1. Numerum Enunciationum ingredientium Argumentum, 2. Qualitatem earundem, 3. Situm ſeu ordinem earundem, 4. Numerum poſitionum earundem. Sub Numero comprehenditur etiam Species, nempe, an Enunciatio ingrediens Copulativa ſit, an Diſjunctiva, an Condicionalis, etc. Ad Numerum etiam ſpectat Contradictio.

2. Enunciationes ingredientes Argumentum (quarum ſcilicet Numerus in Forma computatur) aut Primae ſunt, aut Secundae. Secundae ſunt, quae in Argumento, ad quod comparantur, debent eſſe compoſitae ex aliis Enunciationibus. Primae ſunt, quae in Argumento, ad quod comparantur, non debent eſſe compoſitae, id eſt, Argumentum non requirit eas eſſe compoſitas, ſive interim ſint compoſitae ſive non. Sic in Argumento, quatenus Argumento, una Enunciatio eſt Secunda, et duae Primae. Argumentum enim, ut ſic, requirit unam Enunciationem Compoſitam, nempe Enunciationem Illativam, quae conſtituat Argumentum, ſeu quae ſit ipſum Argumentum. Ultra hanc requirit Antecedens et Conſequens, quae quidem in Argumento poſſunt eſſe Enunciationes Compoſitae, ſed non debent; Argumentum enim, ut ſic, permittit ſuum Antecedens ac ſuum Conſequens ſimplicia eſſe. In Syllogiſmo autem duae ſunt Enunciationes Secundae et tres Primae. Syllogiſmus enim requirit Antecedens componi copulative, et ſe ipſum componi illative ex ſuo Antedente et ſuo Conſequente. Partes autem Antecedentis, ac ipſum Conſequens, non poſtulat componi, imo, quod hic plus eſt, poſtulat non componi.

3. Hifce pofitis, operae pretium erit, propofito aliquo Argumento, Formam ejus contemplari. Sit itaque hic Syllogifmus Hypotheticus: *Si fto, ftare poffum, atqui fto, ergo ftare poffum.* Ubi, quantum ad Numerum et Speciem Enunciationum, duae funt Enunciationes primae et tres fecundae. Secundae in fpecie funt 1. Enunciatio illativa, quae eft ipfum integrum argumentum, 2. Antecedens, quod eft Enunciatio Compofita Copulativa, 3. Una pars antecedentis, quae eft Enunciatio Condicionalis. Primae in fpecie funt duae Propofitiones conftituentes Antecedens et Confequens praedictae Enunciationis Condicionalis. Quantum ad Qualitatem harum Enunciationum, illa eft affirmans in omnibus; omnes enim Enunciationes, quae Argumentum illud ingrediuntur, funt affirmantes. Quantum ad Situm et Numerum fituum in iifdem Enunciationibus, 1. Una Primarum, quae eft Antecedens Enunciationis Condicionalis, 2. Altera Primarum, quae eft Confequens ejufdem Condicionalis, 3. Ipfa Enunciatio Condicionalis ex illis Primis compofita (Totum enim Partibus fuis pofterius effe cenfetur), 4. Illa Primarum, quae erat Antecedens in Condicionali, iterato ponitur, 5. Enunciatio Copulativa ex praedicta Condicionali et ejus Antecedente repetito, tamquam Antecedens integri Argumenti, 6. Illa Primarum, quae fuerat Confequens in praedicta Condicionali, 7. Integrum Argumentum ex ifto Antecedente Copulativo et hoc Confequente compofitum. Tali Numero Enunciationum et Specie, tali Qualitate, tali Situ et ordine ac Numero fituum fervato, impoffibile eft dare Antecedens verum Confequente falfo; adeoque Argumentum eft Formale.

4. Hîc autem non attenditur ad Terminos eorumve numerum, acceptionem, etc. Unde hoc Argumentum: *Si omnis homo eft doctus, aliquod animal eft doctum, fed omnis homo eft doctus, ergo aliquod animal eft doctum*, eft fimilis Formae cum praecedenti, cum tamen hîc non fit fimilis, fed longe difpar Acceptio Terminorum. Imo etiam hoc eft ejufdem Formae: *Si loquor et*

ambulo, *plura ſimul ago*, *ſed loquor et ambulo*, *ergo plura ſimul ago*, etſi hîc ſint plures Termini, imo etiam plures Enunciationes: non enim ſunt plures Primae aut Secundae, quae ſolae computantur in Forma horum Argumentorum.

Caput II.

Sextum Quadratum Logicum.

1. Primum Axioma: Ad veritatem Enunciationis Copulativae requiritur et ſufficit veritas omnium partium. Copulativa enim omnes ſuas partes ex aequo veras eſſe dicit; unde ſi ipſa vera ſit, et hae verae ſint neceſſum eſt, et contra.

2. Requiſitum idem eſt quod Conſequens ejus, ad quod requiri dicitur; Conſequens, inquam, bonae Conſequentiae. Sufficiens autem eſt Antecedens ejus ad quod ſufficere dicitur. Sic *Sto*, hoc ſufficit ut *Stare poſſim*; at *Stare poſſum*, hoc requiritur ut *Stem*; unde cum aliquid ad alterum requiritur et ſufficit, neceſſum eſt ut cum ipſo convertatur, ſeu ſit ejus pariter Antecedens atque Conſequens. Atque adeo hic efficitur ſenſus iſtius Primi Axiomatis: *Si Copulativa eſt vera*, *omnes ejus partes ſunt verae*, *et ſi omnes partes ſunt verae*, *Copulativa ex illis etiam eſt vera.*

3. Sed, dices, haec eſt Copulativa vera: *Non et ſum bos et ſum lapis*, tamen omnes ejus partes ſunt falſae; haec e contrario: *Neceſſario et Philippus eſt rex et Carolus eſt rex*, habet omnes partes veras, et tamen ipſa eſt falſa. Reſpondeo: Axiomata hujus Quadrati agunt de Enunciationibus Puris ſeu non Modalibus. Quid ad veritatem Falſitatemque Modalium requiratur et ſufficiat, vide Parte 2. Sect. 1. cap. 10. n. 6.

4. Secundum Axioma: Ad Falſitatem Enunciationis Copulativae requiritur et ſufficit Falſitas alicujus partis. Secundum hoc Axioma per Converſionem ſequitur ex primo Axiomate;

fiquidem haec eft prior pars primi Axiomatis: *Si Copulativa eft vera, omnes ejus partes funt verae*, ex qua per Converfionem fequitur: *Si aliqua pars fit falfa, Copulativa eft falfa.* Secunda pars Primi Axiomatis eft ifta: *Si omnes partes funt verae, Copulativa eft vera*, ex qua per Converfionem fequitur: *Si Copulativa eft falfa, aliqua ejus pars eft falfa.* Duae duarum iftarum Converfionum Conclufiones reddunt integre Secundum Axioma. Senfus enim fecundi Axiomatis eft hic: *Si Copulativa eft falfa, aliqua ejus pars eft falfa* (hoc eft, Ad Falfitatem Copulativae requiritur Falfitas alicujus partis); *et fi aliqua pars eft falfa, Copulativa eft falfa* (hoc enim eft, Ad Falfitatem Copulativae fufficit Falfitas alicujus partis).

5. Tertium Axioma: Ad veritatem Enunciationis Difjunctivae requiritur et fufficit veritas unius partis. Difjunctiva enim non dicit aliud quam, alteram fuarum partium effe veram; igitur fi haec vera fit, et ipfa vera erit, ac contra. Unde etiam haec vera eft: *Sum bos vel fum homo*, etiamfi tantum una pars vera fit. Senfus Axiomatis (attendendo, quid fit Requifitum, quid fit Sufficiens) eft hic: *Si una pars fit vera, Difjunctiva eft vera* (id enim eft, Ad veritatem Difjunctivae fufficit veritas unius partis); *et fi Difjunctiva eft vera, una ejus pars eft vera* (id enim eft, Ad veritatem Difjunctivae requiritur veritas unius partis).

6. Quartum Axioma: Ad Falfitatem Enunciationis Difjunctivae requiritur et fufficit Falfitas omnium partium. Hic fenfus eft: *Si Falfa fit Enunciatio Difjunctiva, omnes ejus partes funt falfae, et fi omnes partes funt falfae, Difjunctiva eft falfa.* Ex quo clare vides, quartum hoc Axioma per Converfionem fequi ex tertio Axiomate. Per Converfionem hic intelligimus ubique Converfionem Soriticam, quam infinuavimus par. 2. et de qua mox etiam fequetur.

7. Sed dices forte: Haec Difjunctiva eft falfa: *Si fum homo, fum lapis, vel fi fum homo, fum lignum*, et tamen una pars ejus

eſt vera, nempe *Sum homo.* Reſpondeo, illam non eſſe partem, de qua intelliguntur haec Axiomata; intelliguntur enim haec Axiomata de parte proxima; at *Sum homo* ibi non eſt pars proxima, ſed tantum pars remota ſeu pars partis. Partes autem proximae in illâ Diſjunctivâ ſunt duae illae Enunciationes Condicionales, quae ambae ſunt falſae, adeoque et Diſjunctiva falſa eſt.

Caput III.

De Subalternatione et Converſione Complexis.

1. Subalternatio eſt Argumentum Formale, in quo ex Copulativâ pars, aut ex parte Diſjunctiva infertur. Unde Subalternatio eſt duplex, Copulativa, et Diſjunctiva. Subalternatio Copulativa eſt, in qua ex Copulativa pars infertur; ut *Sto et loquor*, *ergo ſto.* Fundamentum Subalternationis Copulativae eſt: *Ad veritatem Copulativae requiritur veritas utriuſque partis.* Subalternatio Diſjunctiva eſt, in qua ex Parte infertur Diſjunctiva; ut *Sto*, *ergo ſto vel loquor.* Fundamentum ejus eſt: *Ad veritatem Diſjunctivae ſufficit veritas unius partis.*

2. Subalternatio Copulativa et Diſjunctiva correſpondent ſibi mutuo per Converſionem; unde iſta Subalternatio Copulativa: *Sto et loquor*, *ergo ſto*, convertitur in hanc Diſjunctivam: *Non ſto*, *ergo non et ſto et loquor.* Conſequens huc reducitur juxta Schema part. 2. propoſitum, *Vel non ſto*, *vel non loquor.* Et iſta Subalternatio Diſjunctiva: *Sto*, *ergo ſto vel loquor*, convertitur in hanc Copulativam: *Non vel ſto vel loquor* (quod juxta Schema citatum eſt *Et non ſto et non loquor*), *ergo non ſto.* Unde habent ſe cum proportione Subalternatio Copulativa et Diſjunctiva in Enunciationibus, ſicut ſe habent Subalternatio Affirmativa et Negativa in Terminis; quia etiam hae ſibi mutuo correſpondent per Converſionem, ut ſupra videre potes.

3. Ad Formam Subalternationis Copulativae fpectat binarius numerus Enunciationum Primarum et binarius numerus Enunciationum Secundarum. Una quidem Secundarum Copulativa eft ex duabus Primis; altera Illativa eft ex ifta Copulativa, tamquam Antecedente, et unâ ejus parte, feu unâ Primarum, tamquam Confequente. Qualitas in Primis Enunciationibus eft libera (id eft, perinde eft, an Affirmans fit an Negans); in Secundis requiritur Qualitas affirmans. Quantum ad Situm, numerum Situum et ordinem, 1. una Primarum, 2. altera Primarum, 3. Enunciatio Copulativa ex illis Primis tamquam Extremis fuis compofita, 4. Denuo una duarum Primarum, 5. Enunciatio Illativa, quae eft integrum Argumentum ex ifta Copulativâ tamquam Antecedente, et unâ Primarum repetitâ tamquam Confequente. Forma Subalternationis Difjunctivae conformiter defcribenda eft.

4. Converfio Soritica eft Argumentum Formale, in quo ex unâ Enunciatione Condicionali infertur alia, Extremis Contradictoriis et inverfis; ut *Si fto, ftare poffum; ergo fi non poffum ftare, non fto.* Item *Si non poffum ftare, non fto; ergo fi fto, ftare poffum.* Antecedens enim et Confequens hujus Converfionis femper convertuntur, cum Contradictio fit mutua. Converfio non poteft effe Biformis. Non Deformis, quia procederet juxta hanc Maximam: *Si ex una Enunc. non fequatur alia, ex Contradictoria hujus fequetur Contradictoria illius*, quod eft contra 4. Axio. 4. Quadr. Non Difformis, qui procederet juxta hanc Maximam: *Si ex una Enunc. fequatur alia, ex Contradict. hujus non fequetur Contradict. illius*, quod eft directe contra 1. Axio. 4. Quadrati.

5. Cum igitur omnis Converfio fit Uniformis, fequitur, eam non nifi Affirmativam aut Negativam effe poffe. Affirmativa eft, cujus Antecedens pariter atque Confequens affirmant; tales funt duae Converfiones jam proxime allegatae. Cave putes Biformes aut Negativas effe; etiamfi enim partes earum aliquae

remotae, Negativae ſint, Antecedens tamen ipſum pariter atque Conſequens Affirmativa ſunt, cum nulla Negatio cadat in Copulam *Si*. Fundamentum Converſionis Affirmativae eſt 1. Axio. 4. Quadr. Parte 2. Sect. 2. cap. 11. n. 2. Converſio Negativa eſt, in qua Antecedens pariter atque Conſequens Negativa ſunt; ut *Non ſi poſſum ſtare*, *ſto*; *ergo non ſi non ſto*, *non poſſum ſtare*; licet etiam Conſequens hoc convertere in Antecedens, quia etiam in Converſione Negativa Antecedens et Conſequens aequivalent, ac ſe mutuo per Converſionem inferunt. Fundamentum Converſionis Negativae eſt 4. Axioma 4. Quadr. ibid. n. 5.

6. Ad Formam Converſionis ſpectant 1. Duae combinationes duarum Contradictoriarum tamquam Primae; ad Secundas vero ſpectant duae Condicionales ex Primis compoſitae, et Enunciatio Illativa ex illis Condicionalibus tamquam Extremis ſuis conflata. 2. Qualitas in Primis Enunciationibus ea requiritur, quam ſecum importat Contradictio. In Condicionalibus vero libera eſt Qualitas, ſed cum mutua dependentia; id eſt, poſſunt ambae affirmare, poſſunt ambae negare, ſed non poteſt una affirmare alterâ negante, aut contra. Qualitas denique in ipſo integro Argumento requiritur affirmans, cum Argumentum omne debeat eſſe Enunciatio affirmativa. 3. Quantum ad Situm, Numerum ſituum, et Ordinem: 1. Una Primarum ut Antecedens, 2. altera Primarum ut Conſequens, 3. Enunciatio Condicionalis ex illo Antecedente et illo Conſequente Compoſita, 4. Contradictoria iſtius Primae quae obtinuerat locum Conſequentis, 5. Contradictoria illius Primae quae obtinuerat locum Antecedentis, 6. Altera Condicionalis ex illis Contradictoriis tamquam Extremis ſuis compoſita, 7. Integrum Argumentum ex priori Condicionali tamquam Antecedente et poſteriori Condicionali tamquam Conſequente conflatum.

Caput IV.

De Syllogiſmo Diſjunctivo et Hypothetico.

1. Syllogiſmus Diſjunctivus eſt Argumentum Formale, in quo ex Enunciatione Diſjunctivâ et Contradictoriâ unius partis infertur pars reſtans; ut *Sto vel lego; ſed non ſto, ergo lego.* Fundamentum ejus eſt: *Ad veritatem Diſjunctivae requiritur veritas unius partis.* Syllogiſmus enim Diſjunctivus virtute ſic procedit: *Diſjunctiva eſt vera; una tamen pars ejus eſt falſa, ergo pars reſtans eſt vera.* Pars reſtans eſt illa pars Enunciationis Diſjunctivae, cujus Contradictoria in Antecedente ſumpta non fuit. Unde non valet iſte Syllogiſmus Diſjunctivus: *Vel ſto, vel non ſto; ſed non ſto, ergo ſto*, quia non infertur Pars reſtans, ſed infertur illa pars cujus Contradictoria in Antecedente ſumpta fuerat. In Antecedente enim ſumpta fuerat, poſt Enunciationem Diſjunctivam, Contradictorîa prioris partis; igitur Pars reſtans erat poſterior pars Enunciationis Diſjunctivae; haec autem non infertur in Conſequente, ſed ipſa pars prior; unde procedit tali modo: *Diſjunctiva eſt vera, et una ejus pars eſt falſa, ergo eadem illa pars eſt vera.* Sic igitur corrigendus eſt: *Vel ſto vel non ſto, ſed non ſto, ergo non ſto*; jam enim infertur Pars reſtans ſeu illa pars, cujus Contradictoria in Antecedente ſumpta non eſt; aut cum conſuetâ Clauſulâ, quae melius hîc ſonat, licet idem in re contineat: *Vel ſto vel non ſto, ſed prius eſt falſum, ergo poſterius eſt verum*; hoc enim penitus aequivalet priori, cum Enunciatio falſa et ejus Contradictoria ſint idem, item Enunciatio et Enunciatio vera idem ſint, *Parte* 2. *Sect.* 2. *cap.* 11. *n.* 1.

2. Cavendum etiam eſt ne mutetur ordo inter Contradictoriam unius partis et partem reſtantem, quod fieret ſi in Antecedente ſumeretur una pars Diſjunctivae, et in Conſequente inferretur Contradictoria partis reſtantis; v. g. *Sto vel lego, ſed*

ſto, ergo non lego. Hic enim Syllogiſmus Diſjunctivus non valet, utpote qui innitatur huic perverſo Fundamento: *Ad veritatem Diſjunctivae requiritur Falſitas unius partis.* Quod Fundamentum certe non valet, cum Diſjunctiva ex omnibus veris non minus, ſed vel potius vera ſit, quam Diſjunctiva ex unâ tantum parte verâ. Inniti tales Syllogiſmos Diſjunctivos praedicto malo Fundamento, patet, quia virtute ſic procedunt: *Enunciatio Diſjunctiva eſt vera; ſed una ejus pars eſt vera, ergo altera pars eſt falſa*; qui Diſcurſus clare nititur reprobo iſto Fundamento quod jam ſtatim aſſignabamus.

3. Syllogiſmus Hypotheticus eſt duplex, Directus et Indirectus. Syllogiſmus Hypotheticus Directus eſt Argumentum Formale, in quo ex Argumentatione Condicionali et ejus Antecedente infertur Conſequens ejuſdem; ut *Si ſto, ſtare poſſum; ſed ſto, ergo ſtare poſſum.* Fundamentum ejus eſt: *Ex vero nil niſi verum.* Virtute enim ſic procedit: *Ex A ſequitur B, ſed A eſt verum, ergo et B eſt verum*; cujus Diſcurſus hoc ſane Fundamentum eſt: *Ex vero nil niſi verum.*

4. Cavendum ſummopere circa Situm, ne Conſequens Argumentationis Condicionalis repetatur, antequam repetitum fuerit Antecedens. Unde non valet *Si ſto, ſtare poſſum; ſed poſſum ſtare, ergo ſto.* Innititur autem talis Paralogiſmus iſto malo Fundamento: *Verum non niſi ex vero*; ſic enim virtute procedit: *Ex A ſequitur B; ſed B eſt verum, ergo etiam A eſt verum*; qui profecto diſcurſus non poteſt inniti niſi iſto malo Fundamento: *Verum non niſi ex vero.*

5. Syllogiſmus Hypotheticus Indirectus eſt Argumentum Formale, in quo ex Argumentatione Condicionali et Contradictoriâ Conſequentis infertur Contradictoria Antecedentis; ut *Si ſto, ſtare poſſum; ſed non poſſum ſtare, ergo non ſto.* Fundamentum ejus eſt: *Falſum non niſi ex Falſo*; ſic enim virtute procedit: *Ex A ſequitur B; ſed B eſt falſum, ergo etiam A eſt falſum*; qui diſcurſus clare fundat ſe in praedicto Axiomate.

6. Quantum ad situm, valde hîc cavendum est, ne sumatur Contradictoria Antecedentis Argumenti Condicionalis, antequam sumpta fuerit Contradictoria Consequentis; unde non valet *Si sto, stare possum, sed non sto, ergo non possum stare*, qui Paralogismus nititur isto malo Fundamento: *Ex falso nil nisi falsum*; sic enim virtute procedit: *Ex A sequitur B, sed A non est verum, ergo nec B est verum.*

7. In Hypothetico utroque, item in Disjunctivo, post Enunciationem Compositam, a qua nomen suum sortiuntur, solet suppleri reliquum per quasdam particulas, quae etiam non mediocre compendium et claritatem adferunt istis Argumentis. In Syllogismo Disjunctivo, positâ Enunciatione Disjunctivâ (v. g. *Sto vel loquor*), sic supplemus reliquum: *Sed prius est falsum, ergo posterius est verum*, vel: *Sed posterius est falsum, ergo prius est verum.* In Hypothetico Directo, post Argumentationem Condicionalem, sic supplemus reliquum: *Sed prius est verum, ergo et posterius.* In Hypothetico Indirecto, post Argumentationem Condicionalem, sic supplemus reliquum: *Sed posterius est falsum, ergo et prius.* Hae particulae, etsi in brevibus nostris exemplis, quae sunt *Sto, stare possum*, etc., nihil compendii facere videntur, id tamen egregie faciunt plerumque inter disputandum, ubi subinde longas periodos necessum est proponere, a quibus repetendis excusant nos opportune praedictae clausulae. Formae horum Argumentorum describi possunt ad exemplum praecedentium descriptionum; quod omisi ne prolixior essem.

8. Ex hisce Clausulis, quae sunt tres numero, scilicet 1. *Sed hoc est verum, ergo illud est verum*, 2. *Sed hoc est falsum, ergo illud est falsum*, 3. *Sed hoc est falsum, ergo illud est verum*, videor admoneri de quarta Clausula, *Sed hoc est verum, ergo illud est falsum*, adeoque de quaerenda Argumentatione Formali, in quam Clausula ista quadret.

9. Atque Argumentationem illam etiam invenisse videor,

quam pari ratione Syllogiſmum Copulativum voco, quâ paſſim quiddam Diſjunctivus vocatur. Eſt autem Syllogiſmus Copulativus Argumentum Formale, in quo ex Copulativâ negatâ, et unâ ejus parte, infertur Contradictoria partis reſtantis; ut *Non et ſto et loquor*, *ſed ſto*, *ergo non loquor*; in hoc enim Argumento poſt Enunciationem Copulativam, a qua nomen ei dedi, recte ſuppletur iſta Clauſula: *Sed prius eſt verum*, *ergo poſterius eſt falſum*, hoc modo: *Non et ſto et loquor*; *ſed prius eſt verum*, *ergo poſterius eſt falſum.*

10. Fundamentum Syllogiſmi Copulativi: *Ad Falſitatem Enunciationis Copulativae requiritur Falſitas unius partis.* Virtute enim ſic procedit Syllogiſmus Copulativus: *Copulativa eſt falſa*; *ſed una ejus pars eſt vera*, *ergo altera pars eſt falſa*, qui diſcurſus ſine dubio innititur praedicto Fundamento.

11. Et quamvis haec ita ſint, atque Syllogiſmus Copulativus ſic ſuperaddatur tribus reliquis, quantum ad exteriorem Formam et apparatum; acrius tamen ad rem attendenti videbitur nulla ejus ponendi neceſſitas. Verbo dicam: in re non differt Syllogiſmus Copulativus a Diſjunctivo, ſed ad eum reducendus eſt. Copulativas enim et Diſjunctivas Negativas, ut pridem dicebam, non ferimus, ſed adhibitâ reductione mutamus in Affirmativas. Quod ſi fiat in Syllogiſmo Copulativo, videbis, te non amplius Copulativum, ſed Diſjunctivum habere prae manibus; v. g. ante citatus Syllogiſmus Copulativus per Reductionem huc recidit: *Vel non ſto*, *vel non loquor*; *ſed ſto*, *ergo non loquor*; qui jam eſt perfectus Syllogiſmus Diſjunctivus. Non eſt enim putandum quod in Syllogiſmo Diſjunctivo, poſt Enunciationem Diſjunctivam, ſemper ſubſumi debeat aliqua Enunciatio Negans, ſed ſufficit Contradictoriam unius partis ſubſumi (affirmans an negans ſit, non refert) et inferri partem reſtantem; quod fit ad amuſſim in praedicto Syllogiſmo Diſjunctivo.

Caput V.

De Enthymemate Soritico.

1. Enthymema Soriticum eſt Argumentum cum tribus partibus diſperſis per duas Condicionales. Partes intelligo Enunciationes illas ex quibus Enunciatio aliqua Compoſita proxime conſtat. Hoc igitur eſt Enthymema Soriticum: *Si ſtare poſſum, ſum animal; ergo ſi ſto, ſum animal.* Omnia quae de Enthymemate Categorico dicta ſunt hac Parte, Sect. 1. cap. 7. cum proportione transferenda ſunt ad Enthymema Soriticum. Quod enim ibi duae Propoſitiones, id hîc praeſtant duae Enunciationes Condicionales. Quod ibi tres Termini, hîc tres Partes ſunt: Pars Inferens, quae ponitur tantum in priori Condicionali (qualis in praedicto Enthymemate *Stare poſſum*), Pars Illata, quae tantum ponitur in poſteriori Condicionali (qualis in praedicto Enthymemate *Sto*), Pars Communis, quae in utraque Condicionali ponitur (qualis in praedicto Enthymemate *Sum animal*).

2. Sicut Enthymema Categoricum procedit ex parte Subjecti vel ex parte Praedicati, ſic Soriticum procedit ex parte Antecedentis vel Conſequentis. Et quidem ex parte Antecedentis procedit, cum Inferens et Illata ponuntur ambae ex parte Antecedentis, haec in poſteriori, illa in priori Condicionali; quale eſt Enthymema proxime allegatum. In eo enim Inferens, *Stare poſſum*, obtinet locum Antecedentis in priore Condicionali; Illata, *Sto*, obtinet ſimiliter locum Antecedentis in poſteriori Condicionali. Enthymema dicitur procedere ex parte Conſequentis, quando Inferens et Illata ponuntur ex parte Conſequentis; quale eſt iſtud: *Si ſtare poſſum, ſum animal; ergo ſi ſtare poſſum, ſentire poſſum.* In Enthymemate procedente ex parte Conſequentis, Pars Communis bis ponitur loco Antecedentis. Et in Enthymemate procedente ex parte Antecedentis, Pars Communis bis ponitur loco Conſequentis.

3. Materia Enthymematis Soritici eſt habitudo Inferentis ad Illatam, qua ſe habent ut extrema bonae Conſequentiae. Poteſt et vocari *Locus Soriticus*, qui proinde duplex eſt, nempe Locus ab Antecedente ad Conſequens; eſtque habitudo Inferentis ad Illatam, ut Antecedentis ad Conſequens; et Locus a Conſequente ad Antecedens, juxta quem Pars Inferens eſi Concluſio, et Pars Illata Antecedens bonae Conſequentiae. Prior proinde poteſt vocari *Locus Rectus*, poſterior *Inverſus.* In Loco Recto ponitur hoc Enthymema: *Si ſto, ſtare poſſum; ergo ſi ſto, ſum animal*; ibi enim Pars Inferens, nempe *Stare poſſum*, eſt Antecedens Partis Illatae, nempe *Sum animal*; ſequitur enim: *Stare poſſum, ergo ſum animal.* In Loco Inverſo ponitur iſtud: *Si ſum animal, ſentire poſſum; ergo ſi ſtare poſſum, ſentire poſſum*; ibi enim Inferens, *Sum animal*, eſt Conſequens Illatae, *Stare poſſum.* Porro non ſola bona Argumenta ponuntur in Locis Soriticis, ſed et mala; ut illud: *Si ſum homo, ſum animal; ergo ſi ſum homo, ſum bos*; illud enim ponitur in Loco Inverſo. Hoc intereſt inter Bonas et Malas Argumentationes in Locis ſuis poſitas, quod Malae quidem admittant, Bonae autem excludant a ſuo Loco Impudentias ejuſdem ſecum Formae.

4. Ex his patet, ſola Enthymemata Soritica habere Locum Soriticum; in his enim ſolis Pars Inferens et Pars Illata ſunt, cum Partes iſtae non aliter quam per inexiſtentiam ſuam in Enthymemate definiantur. Patet 2., non omne Enthymema Soriticum eſſe in Loco; cum enim quaevis Enunciatio ſumi poſſit ad officium Inferentis, et quaevis ad officium Illatae, ut conſtat ex Definitione Enthymematis, clarum eſt, non debere Inferentem et Illatam habere ſe ut Extrema bonae Conſequentiae. Sic illud Enthymema extra Locum eſt: *Si ſto, ſtare poſſum; ergo ſi loquor, ſtare poſſum*, quia inter Inferentem et Illatam nulla Sequela eſt, nec horſum, nec prorſum. Ex quo etiam colligitur diverſitas inter Enthymema Categoricum et Soriticum; omne enim Enthymema Categoricum ponitur in aliquo Loco

bene aut male, id eſt, ſic ut ſit Bonum Argumentum in iſto Loco, vel ſic ut ſit Malum, cum Terminus Inferens, quicunque ſumatur, et Illatus quicunque, neceſſario ſe habeant uno ex quator modis quoad praedicationem, *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 1. *n.* 4. Cur autem hîc non ſumantur totidem habitudines quoad Sequelam inter Partes Inferentem et Illatam, quot ante ſumptae ſunt inter Terminos Inferentem et Illatum quoad Praedicationem, operoſius eſt, quam ut in hoc libello deduci poſſit. Dicam brevibus, ut capiant qni poſſunt: Enunciationes Repugnantes quoad Sequelam nullae ſunt; Diſparatae non fundant Locum juxta quem liceat Argumentari; Convertibiles et Subalternae eodem modo tractandae ſunt in hoc Argumento.

Caput VI.

De Sorite.

1. Sorites eſt Enthymema (nempe Soriticum) cum Supplemento praemiſſo. Supplementum Enthymematis Soritici eſt Enunciatio Condicionalis ex Parte Inferente et Illatâ, tamquam Extremis ſuis, compoſita. Hic igitur Sorites eſt: *Si ſto, ſtare poſſum; ſed ſi ſtare poſſum, ſum animal; ergo ſi ſto, ſum animal*; ibi enim vides primum Enthymema praeced. cap. allegatum cum Supplemento ipſum praecedente. Omnia quae pridem de Syllogiſmo materialiter conſiderato dicebam, cum proportione transferenda ſunt ad Soritem, quem hactenus etiam materialiter conſideramus.

2. Sicut autem Syllogiſmus in Formâ poſitus non eſt aliud quam Argumentum, in quo praemiſſâ certâ Affirmatione deinceps proceditur juxta aliquod Axioma duorum primorum Quadratorum; ſic Sorites in Forma poſitus non eſt aliud quam Argumentum, in quo praemiſſâ Argumentatione Condicionali deinceps proceditur juxta aliquod ex Axiomatibus Tertii Qua-

drati. Primo igitur ordine naturae ponitur in Sorite Argumentum Condicionale, v. g. hoc: *Si ſtare poſſum, ſum animal.* Secundo loco dicimus, Antecedens iſtius Argumenti ſequi ex quadam aliâ Enunciatione; et tertio loco inferimus, etiam Conſequens ejuſdem Argumenti ſequi ex eadem Enunciatione; hoc modo: *Si ſtare poſſum, ſum animal; ſed ſi ſto, ſtare poſſum; ergo ſi ſto, ſum animal*; quae operatio procedit juxta primum Axioma Tertii Quadrati, exhibetque (ſi ad exteriorem apparatum et Formam attendere vacet) Soritem Affirmativum, Directum, in primâ Figurâ ordinariâ.

(2.) Aut Secundo loco dicimus, Conſequens iſtius Argumenti ex aliâ quapiam Enunciatione non ſequi; et tertio loco inferimus, etiam Antecedens ex eadem Enunciatione non ſequi; hoc modo: *Si ſtare poſſum, ſum animal; ſed non ſi vivens ſum, animal ſum; ergo non ſi vivens ſum, ſtare poſſum*, quae operatio procedit juxta 2. Axiom. 3. Quadr., exhibetque, ſi exterior Forma te capiat, Soritem Negativum, Directum, in Secunda Figura poſitum.

(3.) Aut Secundo loco inferimus ex Conſequente primi Argumenti Condicionalis certam quampiam Enunciationem; et tertio loco concludimus, eandem illam Enunciationem etiam ſequi ex Antecedente primi iſtius Argumenti; hoc modo: *Si ſtare poſſum, ſum animal; ſed ſi ſum animal, ſum vivens; ergo ſi ſtare poſſum, ſum vivens*; quae operatio procedit juxta 3. Axiom. 3. Quadr., exhibetque, quantum ad Formam, Soritem Affirmativum Indirectum, in Prima Figura extraordinaria.

(4.) Aut Secundo loco dicimus, certam aliquam Enunciationem non ſequi ex Antecedente primi Argumenti; et inde tertio loco concludimus, eandem illam Enunciationem non ſequi ex Conſequente ejuſdem Argementi; hoc modo: *Si ſtare poſſum, ſum animal; ſed non ſi ſtare poſſum, ſto; ergo non ſi ſum animal, ſto*; quae operatio procedit juxta 4. Axiom. 3. Quadr., exhibetque Soritem Negativum, Indirectum, in Tertiâ Figurâ. Praeter

hos nullus Modus ſuppetit, ut manifeſtum fiet, ſi ſumpto Argumento Condicionali, ſeu ejus Antecedente et Conſequente, ac tertiâ aliquâ Enunciatione, alias operationes aggredi conatus fueris; videbis enim nullam talium ſubſiſtere, ſed ſemper malâ Maximâ nitentem corruere.

3. Ex his naſcuntur Regulae ſervandae, cum mavis, Intellectu diſturbato (quod inſuetis et publice verſantibus facile accedit) Memoriae et Senſibus committere negotium. Prima Regula: Ad minus una Praemiſſa debet eſſe Affirmans in Sorite. Patet ex ejus conſtructione; primo enim loco juxta ordinem Naturae debet conſiſtere Argumentum Condicionale, et per conſequens Affirmativa Enunciatio (*per defin. Argum.*). Peccat ideo iſte Sorites: *Non ſi homo ſum*, *lapis ſum*; *et non ſi rationalis ſum*, *lapis ſum*; *ergo non ſi rationalis ſum*, *homo ſum.* Secunda Regula: Sorites non poteſt eſſe biformis. Tertia Regula: In Primâ Figurâ non poteſt eſſe Negativus; in Secundâ aut Tertiâ non poteſt eſſe Affirmativus. Quarta Regula: In Primâ ordinariâ et Secundâ non poteſt eſſe Indirectus; in Primâ extraordinariâ et Tertiâ non poteſt eſſe Directus. Atque hiſce quatuor Regulis ſufficienter inſtructus eſt Sorites, ut omnes a ſua Forma abarceat Impudentias. Si vero vel unam ex his Regulis negligat, hoc ipſo Formam ejus deformabit Impudentia. V. g. iſte Sorites: *Si ſum homo*, *ſum animal*; *et ſi ſum rationalis*, *ſum animal*; *ergo ſi ſum rationalis*, *ſum homo*, peccat contra tertiam Regulam, ideoque non valet, non ſequitur, non potius quam iſta impudentia in eâdem Formâ conſiſtens: *Si ſum homo*, *ſum animal*; *et ſi ſum bos*, *ſum animal*; *ergo ſi ſum bos*, *ſum homo.* Nec mirum; ecce malam Maximam, qua iſtae operationes nituntur: *Ex quo ſequitur Conſequens*, *ex eodem ſequitur et Antecedens*, quod falſiſſimum eſt. Atque adeo, cum contra aliquam ex his Regulis peccabis, ſemper talem malam Maximam invenies, qua te abduci ſiveris. Periculum fac, et videbis.

4. Atque ita fuerunt Argumenta-Formalia-in-Enunciationibus, non quidem penitus omnia, aſt ſaltem praecipua. Atque haec Recapitulatio eſt: Argumentum-Formale-in-Enunciationibus aliud eſt in una Prima (eſtque repetitio), aliud in duabus Primis (eſtque vel Subalternatio Complexa, vel Syllogiſmus Hypotheticus Directus). Aliud in unâ, et unâ Combinatione Contradictoriarum inter Primas (quo ſpectat Syllogiſmus Diſjunctivus, et Argumentum aliquod innominatum, quale hîc depromitur: *Et ſto et non loquor*; *ergo non ſi ſto*, *loquor*). Aliud eſt in duabus combinationibus Contradictoriarum inter Primas (eſtque Converſio Soritica, vel Syllogiſmus Hypotheticus Indirectus). Aliud denique eſt in tribus Primis (quo ſpectat Sorites). Poſſunt etiam haec Argumenta Soritice converti, et ſic ſubinde naſcentur novae Species.

Caput VII.

De Argumento-Materiali-in-Enunciationibus.

1. Argumentum-Materiale-in-Enunciationibus eſt Enthymema ſic poſitum in Loco Soritico, ut in eodem loco non ponatur Impudentia ſimilis Formae cum ipſo. Et ſi omiſſis ambagibus ad rem ipſam attendere voluerimus, non eſt aliud quam Argumentum procedens juxta aliquod ex 4. Axiomatis 3. Quadrati, omiſſo tamen Condicionali Argumento, quod Antecedens ac Conſequens, circa quae operatio inſtituitur, ſuppeditat. Unde (1.) ex aliqua Enunciatione infert Antecedens, et 2. concludit, ex eadem Enunciatione ſequi Conſequens, ſuppreſſo illo Argumento, in quo hoc Conſequens et illud Antecedens perhibeantur; v. g. *Si ſto*, *ſtare poſſum*; *ergo ſi ſto*, *ſum animal*, quae operatio procedit juxta 1. Axio. 3. Quadr., exhibetque Enthymema Affirmativum, poſitum in loco Recto et procedens ex parte Conſequentis.

(2.) Aut primo dicit, Confequens ex certa Enunciatione non fequi; et fecundo concludit, etiam Antecedens non fequi ex eadem, fuppreffo tamen Argumento, in quo fit hoc Antecedens et illud Confequens; v. g. *Non fi vivens fum, animal fum; ergo non fi vivens fum, ftare poffum*, quae operatio procedit juxta 2. Axiom. 3. Quadr., exhibetque Enthymema Negativum pofitum in Loco Inverfo, procedens fimiliter ex parte Confequentis.

(3.) Auferendo priorem Praemiffam a Sorite Tertio, operaberis juxta 3. Axio. 3. Quadr., et operatio exhibebit Enthymema Affirmativum, pofitum in Loco inverfo, procedens ex parte Antecedentis.

(4.) Auferendo priorem Praemiffam a Sorite Quarto, operaberis juxta 4. Axio. 3. Quadr., et operatio producet Enthymema Negativum pofitum in Loco Recto, ex parte Confequentis procedens.

2. Ex his fequuntur Regulae: 1. Argumentum-Materiale-in-Enunciationibus non poteft effe Biforme. 2. In Loco Recto, ex parte Antecedentis procedens, non poteft effe Affirmativum; niteretur hac malâ Maximâ: *Quod fequitur ex Antecedente, fequitur etiam ex Confequente.* 3. In Loco Recto, ex parte Confequentis procedens, non poteft effe Negativum; niteretur hac malâ Maximâ: *Ex quo non fequitur Antecedens, ex eo non fequitur Confequens.* 4. In Loco Inverfo, ex parte Antecedentis procedens, non poteft effe Negativum; niteretur hac malâ Maximâ: *Quod non fequitur ex Confequente, non fequitur ex Antecedente.* 5. In Loco Inverfo, ex parte Confequentis procedens, non poteft effe Affirmativum; niteretur hac malâ Maximâ: *Ex quo fequitur Confequens, ex eodem fequitur Antecedens.* Abfurditas harum Maximarum facile innotefcet ei, qui Naturam Confefequentiae, et praefertim Subalternarum, perfpectam habuerit, *Parte 2. Sect. 2. cap. 9. n. 7.*

Caput VIII.

De Argumentis Phyſicis quibuſdam.

1. De ſingulis Argumentis Phyſicis diſſerere, et praeter propoſitum meum, et ſi cui propoſitum hoc, is impoſſibile ſe aggreſſum eſſe, re ipſâ deprehendet; non poſſunt enim ad certos Canones redigi, cum ſint infinita. Vide ſis (ut nihil de aliis dicam) omnia Mathematicorum Argumenta. Quaelibet eorum Theoremata ſunt quaedam Argumentationes Condicionales; veluti: *Si duo Triangula habeant duo latera aequalia utrumque utrique etc., erunt etiam baſes aequales etc.* Item: *Si recta ſuper rectam conſiſtat lineam etc.* Item: *Si duae rectae ſe mutuo ſecuerint, augulos ad verticem aequales facient, etc.* Imo quae inter eorum Theoremata ſimplices Propoſitiones videntur, re bene attentâ, omnia ſunt Argumenta Condicionalia; ut: *Anguli Iſoſcelium triangulorum ad baſim ſunt aequales.* Dicere enim volunt et demonſtrare, Si Triangulum aliquod ſit Iſoſceles, angulos ei ad baſim aequales eſſe. Quae Conſequentiae omnes non aliter inveſtigari et tradi rite poſſunt, quam per Axiomata et Definitiones quibus nituntur, atque per concatenatas Demonſtrationes, quibus ex ſe mutuo deducuntur. Hoc autem eſſet integram Geometriam tradere, et confundere cum Logicâ omnes Scientias. Ad haec, ipſa Theoremata Logica, quibus Argumenta dirigimus, rurſum ſunt quaedam Argumenta; veluti: *Si ex una Enunc. ſequatur alia etc.* et reliqua Axiomata 4. Quadr.; nonne clare et ad oculum ſunt Argumentationes Condicionales? Imo reliqua in reliquis et extra reliqua Quadrata Axiomata et Theor. noſtra, ſemper ſunt Argumentationes; illud enim *Quod*, quod in illis ſaepe occurrit, intelligendum eſt *Si quod*; veluti: *Quod dicitur de Praedicato, dicitur etiam de Subjecto*, hoc eſt, *Si quid dicatur de Praedicato etc.*; volumus enim dicere, hanc Sequelam valere, hoc Argumentum eſſe bonum: *Dicitur de Praedicato, ergo dicitur de Subjecto.* De illis autem Theor. non

agit Logicus tamquam de Argumentis dirigendis, ſed tamquam de Regulis dirigentibus. Si enim etiam has Regulas velut Argumenta quaedam conſiderare velit, et rurſum Regulis dirigere, aut in circulum res abibit, aut in Infinitum. Ex quo patet, nos, antequam Argumenta Logica conficiamus, antequam ex praeſcripto Regularum Argumentemur, jam in ipſis Regulis Argumentari. Regula enim Argumenti Argumentum eſt. Et caeterae quidem operationes Argumentis, Argumenta vero non niſi Argumentis diriguntur.

2. Quae quamvis ita ſint, et Logica non omnia Argumenta, nec ſua, nec aliarum Scientiarum dirigat; omnes tamen Scientiae ei incumbunt, et ipſa ſibi quoad prima ejus Theoremata, praeſertim quoad iſtud Axioma, *Ex vero nil niſi verum.* Omnes enim Diſciplinae ex Principiis quibuſdam deducunt ſuas Concluſiones, eaſque poſtmodum tam ſanctas ac veras habent quam ipſa Principia; idque jure; ſed totum illud Jus ex hac Lege eſt, et hac lege ſublatâ non eſſet niſi ſtulta praeſumptio. Item, *Quod ſequitur ad Conſequens*, *ſequitur ad Antecedens.* V. g. Mathematici aſſerunt, et merito, poſteriores ſuas Propoſitiones, quae nempe ex prioribus eliciuntur, non cedere in certitudine ac evidentia prioribus Propoſitionibus, quae nempe immediate deducuntur ex Principiis; unde in iſta concatenatione ſuarum Propoſitionum nituntur iſto Theoremate Logico: *Quod ſequitur ad Conſequens*, *ſequitur ad Antecedens*, quod Axioma nec demonſtrant ipſi, nec inter Communes Notiones ſeu Principia praeferunt; idque, ut omnia eorum ſunt, circumſpecte; hoc enim Axioma ex Logicâ tamquam Scientiâ naturâ priori ſupponendum erat. Quam ſaepe iidem non utuntur iſto Axiomate: *Falſum non niſi ex falſo*; nempe in omnibus Demonſtrationibus indirectis, quas ipſi Negativas vocant. Item: *Ad veritatem Enunciationis Diſjunctivae requiritur veritas alicujus partis.* Unde etiam ſaepe utuntur Syllogiſmo Diſjunctivo in Forma poſito, ſic procedentes: *Vel A vel B eſt*; *ſed A non eſt* (quod quibuſdam

interjectis demonſtrant), *ergo B eſt.* Ad haec, nulla Diſciplina dubitat Subjecto tribuere quod de Praedicato demonſtravit; ut, cum Triangulum habet angulos aequales duobus rectis, etiam Triangulum aequilaterum habere angulos aequales duobus rectis, etc. Et ſic Cubo noſtro incubant omnes Scientiae, eumque aperte et re ipſâ fatentur ſe priorem eſſe. Nulla autem propinquius ei incubat, quam ipſa Logica.

3. Etſi igitur de Argumentis Phyſicis nobis hîc ex profeſſo tractandum non ſit, quaedam tamen Argumenta Phyſica, quae Logicis propinquiora videntur, producemus in medium. Et primo quidem Argumentum a Majori ad Minus, et Argumentum a Minori ad Majus, quae exteriorem apparatum ſimilem habent cum Argumentis Topicis, et ſubinde etiam ſunt vera Argumenta Logica, praeſertim a genere ad ſpeciem aut contra.

4. Majus eſt id quocum Terminus veriſimilius connectitur quam cum alio, ad quod comparatur; ut *Elabi per foramen* veriſimilius connectitur cum *Gracili* quam cum *Obeſo*, cum *Pygmaeo* quam cum *Gigante*; adeoque *Gracilis* aut *Pygmaeus* ibi eſt majus. Minus eſt id quocum minus veriſimiliter aliquid connectitur, quam cum alio. Ut *Elabi per foramen aliquod in carcere* minus veriſimiliter connectitur cum *Obeſo* aut *Gigante*, adeoque *Gigas* in caſu poſito eſt minus. His reſpondet Commune, quod cum duobus ſic connectitur, ut cum uno eorum veriſimilius, cum altero minus veriſimiliter connectatur; ut in caſu poſito *Elabi per etc.*

5. A Majori ad Minus tantum argumentamur negative; v. g. *Gracilis non poterat elabi per illud foramen e carcere*, *ergo nec obeſus poterit*; non autem affirmative, quia non ſequitur *Gracilis poteſt elabi*, *ergo et obeſus poterit.* A Minori ad Majus tantum argumentamur affirmative; v. g. *Obeſus potuit elabi*, *ergo gracilis etiam poterit*; non autem negative: *Obeſus non poterat elabi*, *ergo nec gracilis poterit.* Ex quo vides, Argu-

menta a Majori ad Minus, et a Minori ad Majus, ſibi mutuo correſpondere per Converſionem Soriticam.

6. Nota quoſdam imperite confundere Argumenta a Majori et a Minori; quod fit ex ignorantia Definitionis. Neſciunt enim, quid hîc debeat dici *Majus*, quid *Minus*, atque ideo id omne, quod majorem molem aut ſpeciem prae ſe fert, *Majus* vocant. Nec dubitarent hoc Argumentum: *Obeſus poteſt elabi per hoc foramen carceris, ergo et gracilis poterit*, vocare Argumentum a Majori. Sicut et illud vocant Argumentum a Majori: *Deus dat vitam, ergo dabit et victum*, cum utrumque ſit Argumentum a Minori. Quod ut videant, notent in Argumento-a-Majore-ad-Minus, poſt Copulam Illativam *Ergo*, apte ſubjici illam particulam: *Multo minus*; id enim ſignum eſt, *Minus* reperiri in Conſequente, et *Majus* praeceſſiſſe in Antecedente. Sic apte dicimus: *Gracilis non poteſt elabi per illud foramen, ergo multo minus obeſus poterit*; ubi nota, in ipſo Argumento *Obeſum* vocari *Minus*. In Argumento autem a-Minori-ad-Majus, poſt Notam Illativam, apte ſubditur illa particula: *Multo Magis*; ut: *Deus dat vitam, ergo multo magis dabit victum*; ubi *Dare victum* vocatur *Majus*, aut potius *Magis* in ipſo Argumento, ita ut *Dare vitam* ſit Minus hîc. Unde hoc a Majori eſt: *Homo non dat victum, ergo multo minus dabit vitam.*

7. Nota ſecundo, Argumenta a Majori et a Minori, dum ex parte Praedicati procedunt, plerumque eſſe Argumenta a genere vel a ſpecie. Ut hoc Argumentum a Majori: *Petrus non poteſt ferre quinquaginta libras, ergo Petrus non poteſt ferre centum libras*, eſt Argumentum a genere ad ſpeciem, quia *Potens ferre quinquaginta* ſubalternat, et *Potens ferre centum* ſubalternatur. Iſtud autem: *Poteſt ferre centum, ergo poteſt ferre quinquaginta*, eſt et a Minori ad Majus, et ſimul etiam a Specie ad Genus.

8. Atque haec de Argumentationibus illis inter Logicas et Phyſicas velut ambigentibus. Argumentum Phyſicum et ſtabile

dividitur in Metaphyſicum et ſimpliciter Phyſicum. Metaphyſicum eſt quod ex Affectionibus Metaphyſicis deſumitur; ut Argumentum a Cauſa, a Cauſato, a Parte, a Toto, a Subjecto, ab Adjunctis, etc. Sed exprimendum hîc ulcus quoddam inveteratum et ſordidum, ac Arti noſtrae reſtituendus nitor ſuus et priſtina ſanitas. Ab Ariſtotele in hunc uſque diem Logici putant ſe intra ſua pomoeria verſari, dum per has Argumentorum Metaphyſicorum ambages et confuſos Locos ac Canones, volutantur potius quam procedunt. Ex his quantae turbae, quanta vertigo et confuſio in Logicam irruerint, quantum de exiſtimatione ejus apud omnes probos diſceſſerit, non poſſum tam brevibus, quam inſtituti mei ratio requirat, expedire. Hoc ſciant modo Logici iſti, ſe in alieno choro pedem poſuiſſe. Canones, quibus utuntur, *Cauſa cauſae eſt etiam cauſa cauſati*, *Qualis effectus talis cauſa*, *Quale Totum ſimilare*, *talis et pars ejus*, *etc.* non aliud clamant quam patriam ſuam, et ſe in mediâ Metaphyſicâ natos; ibidem tamen plerumque reprobi ſunt et ad ſpongiam damnati. Sed ſi divellere et excerpere eſt animus, quod in centonem aliquem conferant, cur id in Metaphyſicâ tantum audent? cur non etiam ex aliis Scientiis lacinias ſibi comparant Logici? Cur non infarciunt Locum a Latere ad Angulum ſubtenſum, Locum ab Angulo interno ad Angulum externum oppoſitum? (Canones erunt: *Majori angulo majus latus ſubtenditur*, item: *Angulus externus interno oppoſito major eſt*, et infinita talia Matheſeos Theoremata.) Cur non Locum a Morbis ad Remedia? (Canon generalis erit: *Contraria contrariis curanda*; ſpecialis: *Victus humidus febricitantibus omnibus convenit*, et ſexcenti ſimiles Aphoriſmi.) Cur non alios Locos ex Jure, alios ex Theologiâ, et aliunde infinitos alios coacervant? Id enim pari jure licebat, imo pari ratione poſtulante fieri debebat, ſi non mutilum et abruptum, ſed, ut decebat, continuum aliquem ac integrum contextum exhibere ſtuduiſſent. Quamvis etiam contextus ille, qui Locos Metaphyſicos con-

cernit, ſemper mancus ſit et melioribus ſuis partibus detruncatus. Non enim demonſtrant, quod iis ſummopere demonſtrandum fuerat, plures e Metaphyſica Locos peti non poſſe, alios, praeter eos quos allegant, Canones in iſtis Locis non reperiri; ſed quiſque, velut Scholae ſuae tyrannus, pro libidine ſuâ leges figit ac refigit, hic plures, ille pauciores Canones ſancit.

9. Locus a Caſibus, a Conjugatis, ab Etymologiâ et ſimilis farinae complures, non ſunt Loci, ſed Rhetorum floſculi, ſaepe frivoli, nullumque ex iis ſolidum Argumentum deducitur. Sed ne ego hîc defuiſſe videar, praeclaris iſtis Locis auctarium facio, Locum a nomine poſitis literis, ad idem nomen tranſpoſitis literis exaratum (quod *Anagramma* vocant), otioſas aevi noſtri nugas; et ſi vacat, ex egregio Loco egregium Argumentum depromo. *Ego ſum Geulinx*, *ergo ego ſum gelu*, *nix*; aut quod forte magis magnificum erit, *Ego ſum Geulinx*, *ergo ego ſum genI lux*. Sed miſſis ineptiis et ſuperſtitionibus iſtis, veniamus ad ſeria.

Caput IX.

De Cubo Logico.

1. Cubus Logicus reſolvitur in ſex Quadrata; quodlibet Quadratum in quatuor Axiomata. Axioma voco Propoſitionem neceſſariam et per ſe notam, aut ex tali evidenter demonſtratam. Axiomatis Cubum Logicum ingredientis hae ſunt condiciones. Primo debet dirigere Argumentationem; ex quo ſequitur, quod debeat eſſe Argumentum (Argumentum enim non niſi Argumento dirigitur). Si Argumentum, ergo et Enunciatio Affirmativa (*per defin. Argu.*). Unde hoc Axioma: *Non*, *ſi quidpiam dicatur de Subjecto*, *ideo dicetur etiam de Praedicato*, non eſt Axioma idoneum pro Cubo Logico; non enim dirigit Argumentationem aliquam, cum non praeſcribat, quid ex quo ſequatur, ſed quid ex quo non ſequatur. Omnia igitur Axio-

mata quae ſunt Enunciationes Negativae, per hanc condicionem excluduntur a Cubo noſtro. Sed dices: Parte 1. ſect. 1. cap. 3. n. 1. diximus, in quolibet Quadrato Logico duo Axiomata Negativa reperiri. Reſpond.: non dici Axiomata in Quadratis noſtris Negativa, quaſi ipſa ſecundum ſe ſint Enunciationes Negativae, ſed quia dirigunt Argumenta Negativa, ipſaque ſunt etiam quaedam Argumenta Negativa; quo pacto autem Argumentum aliquod Negativum dicatur, vide hac parte, ſect. 1. cap. 10. n. 1.

2. Secunda Condicio eſt, ut Axioma ſit Logicum, deductum nempe ex Affectionibus ſeu Proprietatibus Conſequentiae ut ſic; non autem ex Affectionibus Conſequentiae in hac vel illa materia verſantis. Nimirum (1.) ſi Conſequentiam ut ſic intuear, video Antecedens et Conſequens; haec enim neceſſario et proxime ex naturâ ejus dimanant (*parte* 2. *ſect.* 2. *cap.* 6. *n.* 1.). Atque hinc comparando penes Conſequentiam Antecedens et Conſequens cum aliquo tertio, nanciſcor facile hoc Axioma: *Ex quo ſequitur Antecedens, ex eo ſequitur et Conſequens*, ac reliqua Axiomata Tertii Quadrati. (2.) Conſiderando Antecedens et Conſequens etiam abſtractim ab omni materia in qua verſentur, facile deprehendo, quod dicant eſſe vel non eſſe, adeoque quod ſint Enunciationes, adeoque vera vel falſa. Enunciationem rurſum ſecundum ſe et ab omni materia abſtractam non poſſum cogitare, niſi videam ei Contradictoriam correſpondere; adeoque nanciſcor facile hoc Axioma: *Si ex una Enunc. ſequatur alia, ex Contradic. hujus ſequetur Contradic. illius*; et ex hoc reliqua Axiomata Quarti Quadrati. (3.) Enunciationem ab omni materia ſeparatam cogitando, clare video eam vel unicam ſeu ſimplicem eſſe debere, vel plures ſeu compoſitam; et ſiquidem ſint plures Enunciationes, vel diſjungi illas plures Enunciationes vel copulari (*parte* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. *n.* 1.); adeoque emergit Enunciatio Copulativa et Enunciatio Diſjunctiva. In Copulativâ facile invenio hanc Proprietatem:

Ad veritatem ejus requiritur veritas omnium partium, eaque ſufficit. In Diſjunctivâ hanc: *Ad veritatem ejus ſufficit veritas unius partis, eaque requiritur*; et ſic adhibito ſimul praeſcripto Quarti Quadrati, Sextum Quadratum detectum eſt. (4.) Conſiderando Enunciationem ſimplicem in genere et ab omni materia ſecluſam, video eam aut Affirmationem aut Negationem eſſe (*parte* 2. *ſect.* 1. *cap.* 3. *n.* 1. *et* 2.). In Affirmatione, ut ſic, video Subjectum et Praedicatum (*parte* 1. *ſect.* 1. *cap.* 1. *n.* 3.). Et ex natura Subjecti ac Praedicati facile deduco hanc Proprietatem: *Quod dicitur de Praedicato, dicitur de Subjecto*, et *De quo dicitur Subjectum, de eodem et Praedicatum*; ideoque adhibito artificio Quarti Quadrati, nacti etiam ſumus Primum Quadratum. (5.) Speculando Subjectum et Praedicatum video, quodlibet eorum aut unum eſſe aut multa; et ſic Terminum Communem ſeu Univerſalem nactus ſum, qui non eſt aliud quam multi Termini. Atqui multa in Termino Communi vel diſjunguntur vel copulantur, et utrumque vel preſſe vel laxe (*parte* 1. *ſect.* 2. *cap.* 5. *et* 6.); et ſic Terminum diſtributum ac Terminum particulariter ſumptum detexi. Ex quorum naturâ facile, ceu Proprietates, dimanant Axiomata 2. et 5. Quadrati, cooperante Quarto Quadrato. Per hanc Secundam Condicionem excluduntur a Cubo noſtro omnia illa Axiomata, quae quidem Conſequentiam aliquam dirigunt, ſed Conſequentiam non praeciſam, aſt poſitam in materiâ non Logicâ, ſeu in materiâ non dimanante ex Conſequentia ut ſic; v. g. *Totum eſt majus ſua parte*; *Quae ſunt aequalia uni tertio, ſunt aequalia inter ſe, etc.*, quae quidem quamplurimas Argumentationes dirigunt in Matheſi, ſed ponuntur extra materiam Logicam. Tales ſunt etiam Canones Metaphyſici, quos violenter in Logicam egit vulgus Logicorum, quando ſcilicet boni ſunt.

3. Atque hae ſunt Condiciones Axiomatis in Cubum noſtrum admittendi. Condiciones Quadrati ſunt, ut duo talia Axiomata Affirmativa ſenſu affinia congreget; Affirmativa, id eſt, quae

dirigant Argumentationes Affirmativas. Defectu hujus condicionis, Appendicium Secundi Quadrati non excrefcit in perfectum Quadratum; quia Axiomati Affirmativo, quod ibidem primo fumitur, non invenitur aliud Affirmativum affine. Secunda Condicio eft, ut ex duobus illis Affirmativis proliciat per Converfionem Soriticam duo Negativa Axiomata, id eft, dirigentia Argumentationes Negativas.

4. Tandem Condicio Cubi Logici eft, ut fex fimilibus Quadratis totam Logicorum Argumentorum compagem fuftineat. Quod Cubus nofter egregie praeftat; nam Argumenta-in-Terminis, Primo, Secundo, et Quarto Quadrato fuffulta funt; Argumenta-in-Enunciationibus tribus reliquis Quadratis fuftentantur. Non eft igitur opus ut alio fe vertat, qui Cubo ifto bene inftructus eft; hoc ipfo enim quidquid eft in Logicâ Argumentorum exacte fciet. Quinimo de Formâ aut Materiâ Argumentorum Logicorum follicitus effe non debet; eam enim ex Cubo et ipfe inveniet, et fi quid ab aliis erratum fit, deprehendet. Unde ex praefcripto Cubi procedendo, Syllogifmus non eft aliud quam Argumentum, in quo praemiffâ Affirmatione deinceps agitur juxta aliquod Axioma duorum primorum Quadratorum. Argumentum Topicum eft Argumentum, quod omiffâ illâ Affirmatione idem praeftat. Sorites eft Argumentum, quod praemiffâ Argumentatione Condicionali, deinceps agit juxta aliquod Axioma Tertii Quadrati. Argumentum Materiale ei correfpondens eft Argumentum, quod omiffâ illa Argumentatione Condicionali, idem praeftat. Converfio Soritica et Hypotheticus Indirectus agunt juxta Quartum Quadratum. Et Hypotheticus a Converfione Affirmativâ differt, quod in illâ utrumque Argumentum fit Condicionale, in hoc pofterius Argumentum fit Rationale; de caetero eodem principio nituntur: *Si ex Enunc. fequatur alia, ex Contradict. hujus fequetur Contradict. iftius.* Perge fic ad reliqua Argumenta Logica.

5. Sed reftant Difficultates aliquot exfolvendae. (1.) Si Qua-

drata fufficiant, cur igitur Appendix ad Secundum Quadr.? Refpond.: facilitatis caufâ. Alioqui Axiomata Appendicis continentur fatis in Axiomatibus Quadratorum. Primum enim Axioma Appendicis continetur in 1. Axio. 1. Quadr. et in 1. Axio. 2. Quadr. fimul fumptis; quod enim dicitur de uno Concordium (Praedicato), dicitur de Subjecto communi utriufque Concordium (ubi militat 1. Axio. 1. Quadr.), et quod dicitur de Subjecto illo, dicitur de altero Concordium particulariter fumpto, id eft, de Praedicato particulariter fumpto (ubi militat 1. Axio. 2. Quadr.). Secundum autem Axioma Appendicis continetur in 2. Axio. 2. Quadr. et 2. Axio. 1. Quadr.

(2.) Secunda Difficultas: Si Cubus fufficiat, tam operofa Formae ac Materiae in Argumentis defcriptio cui bono eft? Refpond.: infinuavi aliquid hac parte fect. 2. cap. 11. n. 4., item hac fect. cap. 6. n. 3., quia facilius eft Memoriâ et fenfibus uti, quam Intellectu, praefertim inaffuetis et in Publico verfantibus. Deinde Cubus fupponit Argumenta pura; hinc labor refolvendi fi Praegnantia proponantur; Forma autem etiam Praegnantia ifta complectitur. Si quis tamen fatis firmo et praefenti in rem animo fit, auctor fim, ut ad Formam iftam nunquam attendat, fed Cubo noftro contentus fit; id enim humanius eft, cum alterum illud magis animale fit.

(3.) Tertia Difficultas eft: Quomodo Cubus ille fufficiat Argumento-a-Repug.; hoc enim eft Argumentum Difforme, omnes autem Maximae in Cubo funt Uniformes feu directrices Argumentorum Uniformium. Refpond.: Argumentum-a-Repug. fundatur in 2. Axio. 2. Quadr. Quando enim unus Repugnantium Affirmatur de aliquo Subjecto, quoniam de hoc Praedicato diftributo Negatur alius Repugnantium (*parte* 3. *fect.* 2. *cap.* 2. *n.* 4. *et n.* 23.); hinc etiam alius ille Repugnantium negatur de illo Subjecto (per 2. Axio. 2. Quadr.). Hoc interim verum eft, Argumentum-a-Repug., quatenus Diffiorme, non dirigi ab ifto Axiomate; unde etiam aliam Maximam ei praefcripfi, ubi

de ipſo tractavi. Sed quid refert? Abſolute, ut vides, iſto Axiomate dirigitur.

(4.) Quarta Difficultas eſt circa Syllogiſmum Hypotheticum Directum ac Argumenta-a-Diviſis-ad-Conjuncta et contra. Non apparet enim, in quo Axiomate Cubi fundentur. Reſpond.: Argumenta illa videntur ad Repetitionem ſpectare; ideoque ante Cubum noſtrum ſunt, innixa iſti Principio: *Si eſt*, *eſt.* Si enim integrum Principium Directivum Hypothetici Directi, v. g. hujus: *Si ſto*, *ſtare poſſum*; *ſed ſto*, *ergo ſtare poſſum*, tibi proponas, non aliud invenies quam hoc: *Si ex Antecedente ſequatur Conſequens*, *ex Antecedente ſequetur Conſequens*, id eſt, *Si eſt*, *eſt.* Igitur qua fronte Hypothetici Directi Diſputationes publicas frequentant, et tam crebro ad Probandum aſſumuntur? Argumentum-a-Diviſis-ad-Conjuncta, ſi Maximas ejus indages, etiam Repetitionem eſſe videbis. Una Maxima: *De quo dicuntur Praedicata Diviſa*, *de eo etiam dicuntur Praedicata Conjuncta.* Sed quid refert, Diviſa an Conjuncta ſint? Eadem eſſe debent utroque caſu; ni fuerint, non valebit Argumentum, juxta Regulas ejus, parte 3. ſect. 2. cap. 7. n. 2. et 6. De reliquis ejus Maximis, atque de Maximis Argumenti-a-Conjunctis-ad-Diviſa, idem eſto judicium.

PARS IV.

SECTIO I.

De Inſtrumentis Logicis.

Fructus Logicae ſunt Inſtrumenta; quo haec rite fiant, illa diſcitur et docetur. Sed noli hic malleum, aut ſerram, aut calamum, aut citharam, ſimiliaque vocata paſſim Inſtrumenta cogitare, ſed Inſtrumenta Scientiarum cogita. Illa hic perdiſcenda ſunt; eo fine caetera praemiſſa ſunt.

Caput I.

De Inſtrumento Logico in genere.

1. Inſtrumentum Logicum eſt apta reſponſio ad quaeſtionem Scientificam. Quaeſtionem Scientificam voco, qua paſſim in tradendis Scientiis uti conſuevimus. Et non eſt aliud quam quaeſtio *Quid eſt?* aut ex ea nata; v. g. ſi petatur: *Quid eſt Corpus?* reſpondeaſque: *Corpus eſt ens extenſum*, haec reſponſio eſt inſtrumentum. Niſi malis dicere Formulam illam Reſpondendi eſſe Inſtrumentum Scientiae, Reſponſionem autem ipſiſſimam Scientiam eſſe; quod magis exactum et accuratum eſt.

2. Quaeſtio Scientifica dividitur in primam et ſecundam. Prima eſt, quae ex alia quaeſtione non naſcitur. Et talis eſt ſola quaeſtio *Quid eſt?* Etiamſi enim aliquando ſoleamus quaerere, quomodo vocetur, antequam exacte ſciamus, quid ſit (v. g. in hortis Botanicorum: *Quomodo vocatur iſta herba?*), tamen etiam

tunc aliquatenus ſcimus, quid ſit (quomodo enim alioqui interrogare poſſemus: *Quomodo vocatur?*), et ex illa quaeſtione *Quomodo vocatur?* non naſcitur quaeſtio *Quid eſt?* cum ſcientes, quomodo vocetur, nihilo plus inſtructi ſimus ad exacte ſciendum, quid ſit, per ſe loquendo. Cur ergo, inquis, tam avide quaerunt in hortis Botanicorum: *Quomodo vocatur haec Herba*, *iſte frutex?* et in Theatro Anatomico: *Quomodo vocatur iſte muſculus*, *iſta vena?* et curru vel navi praetervecti: *Quomodo vocatur iſte Pagus*, *iſtud Caſtellum?* Reſpondeo: ut ſi quid ipſi ante ſciverint, vel impoſterum ab aliis audiant, poſſint conjungere cum imperfectâ illâ ſcientiâ, quam hîc ſenſûs beneficio conquirunt, atque ita ad uſus humanae vitae accommodare.

3. Quaeſtio Secunda eſt quaeſtio ex quaeſtione nata, ſcientifica nempe ex ſcientifica. Quaeſtio autem non per ſe naſcitur ex quaeſtione, ſed per accidens, cum nempe ex reſponſione ad unam quaeſtionem, ſequitur reſponſio ad aliam quaeſtionem; v. g. *Quid eſt Eſſentia?* Haec eſt prima quaeſtio circa Eſſentiam; cui reſpondemus: *Eſſentia eſt Praedicatum in Subjecto*, *id eſt Praedicatum quod praecedit ex parte Subjecti*, *antequam veniat ad locum ſibi deſtinatum.* Ex qua reſponſione facile parati ſumus ad reſpondendum iſti quaeſtioni: *Quotuplex eſt Eſſentia?* Cum enim Praedicatum, quod etiam praecedit Copulam, ſtare poſſit ab anteriore illâ parte, vel ut integrum Extremum, vel ut pars iſtius Extremi, hinc etiam inventa eſt reſponſio ad quaeſtionem: *Quotuplex eſt Eſſentia?* Nempe oportet, ut quaedam praecedat Copulam, tamquam integrum Extremum conſiſtens ante Copulam; quaedam tantum ut pars iſtius Extremi; hanc *Partialem*, illam *Totalem Eſſentiam* voco.

4. Hinc patet, multas eſſe quaeſtiones non ſcientificas; v. g. *An exiſtat Carolus? An exſul fuerit? An uxorem ducturus ſit? Ubi regat? Ubi degat?* Hae, inquam, et ſimiles non ſunt ſcientificae quaeſtiones; non enim naſcuntur ex quaeſtione *Quid eſt?* Quantumcunque enim ſcias exacte reſpondere ad quaeſtionem

Quid eſt Carolus? (aliud autem reſpondere non poteris, quam *Carolus eſt homo hic*), nihilo per hoc inſtructior eris, ut reſpondeas praedictis quaeſtionibus. Non enim ex hac reſponſione: *Carolus eſt homo hic*, ſequitur *ergo Carolus exiſtit*, ſeu *Carolus eſt in vivis* (quae eſt reſponſio ad primam quaeſtionem propoſitam), nec ſequitur *Eſt homo hic*, *ergo fuit exſul*, *ergo uxorem ducet*, *ergo degit et regit in Angliâ*.

5. Ex quo jam clare intelligitur illud Axioma Philoſophorum: *Contingentium non eſt Scientia*. Scientia enim proprie dicta, et quae ad Diſciplinas ſpectat, non eſt aliud quam apta reſponſio ad quaeſtionem *Quid eſt?* aut ad quaeſtionem inde natam; jam autem nec ad quaeſtionem *Quid eſt?* per Contingentem propoſitionem reſponderi poteſt, nec ex reſponſione ad quaeſtionem *Quid eſt?* Contingens propoſitio ſequi poteſt. Non prius, quia ad quaeſtionem *Quid eſt?* reſponderi non poteſt niſi per Eſſentiam Subjecti, de quo quaeritur, quid ſit. Jam vero talis affirmatio eſt neceſſaria, imo fons neceſſitatis, ut patet ex ſupra dictis. Non poſterius, quia tunc ex Neceſſario ſequeretur Contingens, quod eſt impoſſibile. Hinc, Carolum eſſe, eum eſſe regem, exſulem fuiſſe, uxorem ducturum, degere in Angliâ, non ex Diſciplinâ aliquâ vel Scientiâ profitemur, ſed ex Senſu vel Hiſtoriâ aliorumque narratione.

6. Dicunt etiam Philoſophi, *Singularium non eſſe Scientiam*. Quod de Scientiâ ſpeciali et notatu dignâ accipio. Alioqui datur prima Scientia Singularium, cum ea non ſit aliud quam reſponſio ad Quaeſtionem *Quid eſt?* ſeu Definitio, quae circa ſingularia valde obvia eſt, adeo ut loco nominum eorum, quibus plerumque hîc deſtituimur, circumferamus eorum Definitiones; v. g. *Haec charta*, *Hic calamus*, *Haec menſa*, Definitiones ſunt et non nomina. Errant igitur qui dicunt, Singularia definiri non poſſe; potiori jure dixiſſent, ea non niſi definiri poſſe; nominari enim extra Humanam ſpeciem vix ſolent, et ut univerſim nominentur, inutile eſt, imo impoſſibile. Ex primâ illâ Scientiâ

Singularium, quam loco nominum eorum circumferimus, non refultat alia. Non *Quotuplex eſt?* quia Singulare eſt individuum. Non *Quodnam eſt?* quia Exemplum Definitionis Singularis non differt ab ipſa. Similiter quaeſtio *Cur eſt?* nihil ſpeciale poteſt elicere circa Singulare, quod non praeceſſerit circa Speciem ejus ſeu circa Superius ejus.

Caput II.

De Numero Inſtrumentorum Logicorum.

1. Numerus Inſtrumentorum Logicorum numero Quaeſtionum ſcientificarum par eſt. Videtur autem numerus Quaeſtionum ſcientificarum quaternario definiri: *Quid eſt? Quod eſt? Quotuplex eſt?* et *Cur eſt?*

2. Et prima quidem harum Quaeſtionum eſt *Quid eſt?* Fruſtra enim aliquid aliorum ſcire deſiderat, qui necdum, quid ſit, perceperit. Ex hac primâ Quaeſtione ſcientificâ facile et primo, ut apparet, loco naſcitur Quaeſtio *Quodnam eſt?* cum nempe, ſubjectâ reſponſione ad quaeſtionem *Quid eſt?* petimus *Quodnam eſt?* v. g. hoc ordine procedentes: *Quid eſt Eſſentia?* Reſpondetur: *Praedicatum in Subjecto.* Rurſum: *Quodnam eſt tale Praedicatum*, ſeu, *Da tale Praedicatum.* Reſp. *Homo reſpectu hominis albi*; haec enim reſponſio facile elicitur ex reſponſione ad primam quaeſtionem. Cum enim Eſſentia ſit Praedicatum in Subjecto, poſito hoc praedicato, *Homo*, et hoc illius ſubjecto, *Homo albus*, neceſſum erit, illud praedicatum hujus ſubjecti eſſentiam eſſe, cum illud praedicatum ſit in hoc ſubjecto.

3. Tertio loco occurrit Quaeſtio *Quotuplex eſt?* v. g. *Quotuplex eſt Eſſentia?* Quae quomodo ex Quaeſtione *Quid eſt Eſſentia?* dimanet, ſupra oſtendi. Atque hae ſunt Quaeſtiones ſcientificae, quae verſantur potiſſimum circa Terminos ſeu circa

Subjecta incomplexa; quamvis tamen ſuo modo etiam verſari poſſint circa Enunciationes, ut infra patebit.

4. Quarto loco occurrit Quaeſtio *Cur eſt?* Et haec verſatur circa Subjectum complexum, ſeu circa Enunciationem; v. g. *Cur Eſſentia eſt prior Accidente?* Reſpondetur: *Quia Eſſentia eſt in Subjecto, Accidens vero tantum conſiſtit ex parte Praedicati.* Et quod haec reſponſio facile ſequatur ex reſponſione ad Quaeſtionem *Quid eſt Eſſentia?* per ſe notum videtur.

5. Sed difficultas ſuboritur circa Quaeſtionem *An eſt?* nam et illa inter Scientificas computanda videatur. Videtur enim etiam ex Quaeſtione, *Quid eſt?* deduci poſſe; v. g. *An eſſentia ſit prior Accidente?* Reſponſio ad hanc quaeſtionem non minus ſequitur ex reſponſione ad quaeſtionem *Quid eſt Eſſentia?* quam quaeſtio *Cur Eſſentia eſt prior Accidente* ex eadem ſequatur. Sed reſpondeo, Quaeſtionem *An eſt?* complicari cum caeteris quaeſtionibus ſcientificis, et praeſertim cum Quaeſtione *Cur eſt?* V. g. *An Eſſentia ſit in Subjecto?* complicatur Quaeſtioni *Quid eſt Eſſentia?* imo in re eſt illa ipſa quaeſtio. Magis ordinarie Quaeſtio *An eſt?* complicatur Quaeſtioni *Cur eſt?* ut infra patebit. Saepe etiam Quaeſtio *An eſt?* non eſt Scientifica, quando nempe non naſcitur ex Quaeſtione *Quid eſt?* v. g. *An Carolus eſt rex?*

6. Cum igitur inſtrumentum non ſit aliud quam apta reſponſio ad Quaeſtionem ſcientificam, quatuor autem dumtaxat occurrant tales quaeſtiones, patet, quatuor etiam dumtaxat Inſtrumenta aſſignari debere. Nempe Definitionem, qua reſpondemus ad quaeſtionem *Quid eſt?*. Exemplum, quo ſubjectâ Definitione reſpondemus ad quaeſtionem *Quod eſt?* Diviſionem, qua reſpondemus ad quaeſtionem *Quotuplex eſt?* Et denique Rationem, qua reſpondemus ad quaeſtionem *Cur eſt?* Ex quo patet, Methodum a quibuſdam male connumerari cum Inſtrumentis, cum illa non ſit Inſtrumentum, ſed plurium Inſtrumentorum apta inter ſe coordinatio. Ac proinde hujus tractatio non ſpectat etiam ad Logicam niſi per accidens.

7. Ex his patet, Quid ſit Logica? Nempe Ars reſpondendi ad Quaeſtiones ſcientificas. Sunt autem iſtae reſponſiones, materialiter conſideratae, ipſae Scientiae; unde et Logica eſt Ars Sciendi.

Caput III.

De Definitione.

1. Definitio eſt apta reſponſio ad Quaeſtionem *Quid eſt!* Eique adhaeret Definitum, quod non eſt aliud quam id de quo quaeritur, quid ſit, ſubſequente aptâ reſponſione; v. g. *Quid eſt Eſſentia?* reſpond. *Praedicatum in Subjecto*; hîc *Eſſentia* Definitum eſt, *Praedicatum in Subjecto* Definitio.

2. Nota, Quaeſtionem *Quid eſt?* ſubinde improprie ſumi, ut coincidat cum Quaeſtione *Quomodo vocatur?* Ut cum in diſſectionibus Anatomicis paſſim quaerunt ignari: *Quid eſt hoc?* reſpond. v. g. *Diaphragma*; *Quid eſt iſtud?* reſpond. v. g. *Pancreas*, etc. Similiter pueri, cum primum loqui incipiunt, de quibuſlibet rebus ſenſum incurrentibus, petunt: *Quid eſt hoc? Quid eſt illud?* Reſpondent matres: *Hoc eſt piſcis*, *hoc eſt liber*, *etc.* Pueri autem eo caſu non niſi nomina quaerunt; unde iis etiam non aliter quam nomen reddendo reſpondetur; eâ nempe cognitione, quam ſenſus ingerit, contenti ſunt, nomina autem naturaliter petunt, quo poſſint impoſterum intelligere aliorum ſermones, cum eos de his aut illis rebus loquentes audient. Sic ego hîc non capio Quaeſtionem *Quid eſt?* ut ſolummodo nomen rei exquirat; ſed intelligo Quaeſtionem *Quid eſt?* proprie ſumptam, cui non ſatisfit niſi Definitione. Atque hoc eſt diſcrimen inter Quaeſtionem *Quid eſt?* proprie et improprie ſumptam, quod improprie ſumpta tantum demonſtret; v. g. *Quid eſt hoc? Quid eſt iſtud?* proprie autem ſumpta, non ſimpliciter demonſtrat, ſed nomen promit iſtius rei, de qua

inſtituitur Quaeſtio; v. g. *Quid eſt Eſſentia? Quid eſt Praedicatum? Quid eſt Logica? etc.*

3. Definitio diſtinguitur in Applicantem et Applicatam. Definitio applicata eſt praeciſa reſponſio ad quaeſtionem *Quid eſt?* nihil ſcilicet reſumens ex quaeſtione. Atque Definitio applicata ſemper eſt Terminus aliquis; v. g. *Praedicatum in Subjecto* eſt definitio *Eſſentiae.* Hinc Definitio applicata vocari poſſet *Terminus Definiens.* Definitio applicans eſt propoſitio, in qua Definitio applicata affirmatur de Definitio, ut *Eſſentia eſt Praedicatum in Subjecto*; haec non eſt tam praeciſa reſponſio ad quaeſtionem *Quid eſt?* ſed ex quaeſtione mutuatur ſibi Subjectum et Copulam. Interim Definitione applicatâ reſpondentes ad quaeſtionem *Quid eſt?* implicite etiam reſumimus Subjectum et Copulam ex quaeſtione, licet expreſſe tantum reddamus Praedicatum, ſeu Terminum definientem.

4. Definiuntur proprie Termini; illis enim ſubjectis, proprie quaeritur *Quid ſint?* v. g. *Quid eſt Corpus? Quid eſt Lapis? etc.* Sed tamen etiam ſuo modo definiuntur Enunciationes; nec omnino tam inepte, illis ſubjectis, quaeritur *Quid ſint?* v. g. *Quid eſt, ſolum animal ſentit?* Reſpond. *Id eſt, et animal ſentit, et nihil diſtinctum ab animale ſentit.* Igitur Definitio Enunciationum non ſic vocatur, ſed vocatur *Expoſitio Enunciationum*, de qua ſupra dictum, *parte* 2. *ſect.* 2. *cap.* 4.; quodque ibi Expoſita, id hîc Definitum, quod ibi Exponens, hîc Terminus definiens eſt, cum proportione.

5. Inquiunt Philoſophi: *Scire eſt per Definitionem cognoſcere.* Scire non eſt aliud quam, in promptu habere reſponſionem ad Quaeſtionem ſcientificam; omnis autem Quaeſtio ſcientifica vel eſt quaeſtio *Quid eſt?* ad quam reſpondetur per Definitionem, vel eſt quaeſtio inde nata. Itaque Definitio totum humanum ſcire complectitur; quidquid ſciendum eſt, inde eliciendum eſt. Hoc tamen non crude de Definitionibus Formalibus intelligo, ſed Definitiones Eminentes etiam comprehendo; de quibus infra.

6. Inquiunt et Philofophi: *Oportet Difcentem credere.* Difcipulus, inquam, debet Magiftro fuo credere Definitiones. V. g. *Quod Effentia fit praedicatum in fubjecto*, *quod Forma fit Effentia adjectiva*, *quod Subjectum fit id de quo affirmamus*, *etc.* Hoc autem non eft aliud quam, haec et illa fic vocari, aut faltem fic vocari a Docente. Qualis fides merito debetur Docenti; cum enim acturus fit de rebus, quas vulgus non confiderat, et quibus proinde nomina non indidit, neceffum eft ei alia nomina adinvenire, et quid illis dictum velit, indicare; quod fit per Definitionem. In caeteris oportet cum Catone credere, qui etiamnum puer fic magiftris fuis credebat, ut identidem pofceret et caufam. Uno verbo: in caeteris non oportet credere Docenti; eum enim non credendi fed fciendi caufâ accedunt Difcipuli, itaque ex Definitionibus fuis deducat neceffe eft, fi quid a Difcipulis fuis recipi velit. Aliud hîc jubere, eft Scholafticum Tyrannum agere. Sed, inquis, fi creduntur Definitiones, ergo Quaeftio *Quid eft?* non eft Scientifica, cum ei non ex Scientiâ, fed ex fide, quam Docenti habemus, refpondeatur. Refpondeo, Definitiones credi tantum quoad nomen Definiti; fciuntur vero quoad Effentiam Definiti. Definitio enim ultra nomen Definiti, quod exhibet ex parte Subjecti, infuper rem aliquam diftincte proponit ex parte Praedicati, quam percipere et confiderare, non eft fidei, fed fcientiae; cum Docens quidem poffit nomen dare rei, fed rem ipfam facere aut praeftare non poffit.

Caput IV.

Prima Proprietas Definitionis.

1. *Definitio convertitur cum Definito*; id eft, Definitum et Terminus definiens funt Termini Convertibiles. Ratio hujus Proprietatis eft, quia ad Quaeftionem *Quid eft?* non apte refpondetur, nifi per Convertibile. Si enim quaeratur: *Quid*

eſt Brutum? reſpondeaturque: *Res ſentiens*, reſponſio quidem data fuerit per Subalternans, ſed non valebit, ut patet ex communi ſenſu. Quotquot enim aderunt (nam omnes in iſta materiâ ſatis verſatos ſe exiſtimant), objicient, hominem etiam ſentire, nec tamen eſſe brutum. Si autem ad eandem Quaeſtionem: *Quid eſt Brutum?* reſpondeas: *Animal latrans*, reſponſio quidem data fuerit per Subalternatum, ſed item reprehenſioni obnoxia; dicent enim, equum etiam eſſe brutum, nec tamen latrare. Si vero per Diſparatum reſpondeas, minus adhuc valebit reſponſio; v. g. *Quid eſt Brutum?* reſpondeas, *Animal bipes*, duplicem patieris reprehenſionem. Quidam enim dicent, hominem eſſe bipedem, nec tamen eſſe brutum, alii dicent bovem eſſe brutum, nec tamen eſſe bipedem. Si tandem per Repugnans reſponderis ad praedictam Quaeſtionem, nugatoria cenſebitur Reſponſio, et ne quidem reprehenſione digna.

2. Igitur cum Terminus ad Terminum neceſſario ſe habeat uno ex quinque modis, *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 1.*n.* 4., atque oſtenſum ſit Terminum Definientem cum Definito nec repugnare poſſe, nec diſparari, nec etiam ſubalternari poſſe Definito, aut ſibi ſubalternare Definitum, reſtat ut cum Definito convertatur.

3. Ex his ſatis detegitur communis error Logicorum, qui ad Quaeſtionem *Quid eſt?* apte reſponderi volunt per Superius, per Genus nempe vel Speciem Praedicabilem Subjecti quaeſtionis, ſeu ejus de quo quaerebatur Quid eſſet? Adeoque penes Quaeſtionem *Quid eſt?* etiam definiunt Genus ac Speciem. Sed ſatis errorum iſtum confutat ſenſus communis omnium hominum; qui talem reſponſionem non tolerant, ſed reprehendunt; v. g. *Quid eſt homo?* reſpond. *Animal.* Inquient: *Brutum etiam eſt animal*; adeoque iſtâ admonitione innuunt, non ſatis factum videri Quaeſtioni.

4. Ex hac Proprietate ulterius dimanant iſtae: *Quod continetur Definito, continetur Definitione, et contra.* Item *Quod excluditur a Definito, excluditur etiam a Definitione, et contra.*

Contineri Definito aut Definitione eſt eſſe Subjectum Definitionis aut Definiti. Excludi autem a Definitione vel Definito eſt repugnare cum Definito vel Definitione. Sic poſito hoc Definito : *Homo*, et poſitâ hac ejus Definitione : *animal rationale*, continetur quidem Definito *Petrus*, et is etiam continetur Definitione; excluditur vero, tum a Definito iſto tum a Definitione, *Bos*. Sufficit igitur ad redarguendam Definitionem, ſi aliquid eâ contineri, quod non continetur Definito, vel contra, aut aliud ab ea excludi, quod non excluditur a Definito, vel contra, oſtenderimus. Eſtque hic tritus admodum et receptus in Scholis Definitiones impugnandi modus.

Caput V.

Secunda Proprietas Definitionis.

1. *Definitio explicat ſuum Definitum.* Explicare eſt Partes ſigillatim et expreſſe proponere, quae ante in Toto confuſe et conjunctim proponebantur. Unde omnis Explicatio Totum aliquod reſpicit. Ratio Proprietatis eſt, quia ad Quaeſtionem *Quid eſt?* non apte reſpondetur niſi explicando. Si enim petatur *Quid eſt enſis?* reſpondeaturque *Gladius*, non ſatisfactum videtur Quaeſtioni; explicationem enim expectabat percunctator, quae ibi nulla redditur. In Lexicis tamen et Vocabulariis non tam inepta videntur iſta; *Quid eſt homo?* reſpond. *Menſche*; *Quid eſt Philoſophia?* reſpond. *Amor Sapientiae*; *Quid eſt ſubjicibile apud Logicos?* reſpond. *Subſtantivum apud Grammaticos*. Sed hic improprie ſumitur Quaeſtio *Quid eſt?* ut eadem ſit cum Quaeſtione *Quomodo vocatur?* v. g. *Quomodo homo Belgice dicitur?* Reſpond. *Een Menſche*; *Quomodo Latine redditur Philoſophia?* reſpond. *Amor Sapientiae*; *Quomodo apud Grammaticos vocatur Subjectum?* reſpond. *Subſtantivum*. Et quidem adhuc alias ita improprie ſumi Quaeſtionem *Quid eſt*? ut aequivaleat Quaeſtioni *Quomodo vocatur*? atque tunc non elicere Definitionem, ſupra dixi.

2. Definitio autem plerumque explicat Definitum per Materiam et Formam ejus. Nempe Definitum Formam ſuam et Materiam contegit, et ſub uno vocabulo ingerit; Definitio eaſdem illas retegit, et ſingulas ſeorſim reddit; in eoque conſiſtit explicatio, qua Definitio Definitum ſuum explicat. V. g. haec Definitio: *Eſſentia eſt Praedicatum in Subjecto*, explicat Definitum ſuum per Materiam et Formam Definiti; Materia enim *Eſſentiae* eſt *Praedicatum*; Forma ejus eſt *In ſubjecto*, ſiquidem ille obliquus cum praepoſitione aequivalet Adjectivo, ut alibi obſervavi, *Parte* 1. *Sect.* 1. *cap.* 4. *n.* 6.

3. Dices: non ſemper Definitum Materiam et Formam ſuam ſub uno vocabulo ingerit, ſed ſubinde etiam eas ſeorſim depromit; v. g. *Eſſentia totalis*, *Eſſentia partialis*, *Enunciatio copulativa*, *Enunciatio neceſſaria*, *etc.* ſunt Definita Definitionum a nobis antea aſſignatarum; et tamen Materiam ſuam et Formam palam habent, et prae ſe ferunt Subſtantivum cum Adjectivo. Reſpondeo, illa non eſſe legitima Definita, ſed integras Definitiones; ſufficiuntur autem in locum Definitorum propter penuriam nominum. Quod ſi quis ſatis magnam voces inſtituendi auctoritatem ſibi ſumeret, nihil horum ex parte Definiti ferendum erat. Dum interim haec quomodocunque ex parte Definiti reponuntur, non tota definiuntur; ſed ſoli Formae accommodatur Definitio, reſumptâ Materiâ ex Definito, et in Definitionem tranſlatâ. V. g. *Eſſentia totalis eſt Eſſentia eadem cum ſuo ſubjecto*; ex Definito hîc reſumitur Materia in ipſam Definitionem, nempe *Eſſentia*; et quod reliquum eſt Definitionis explicat Formam, nempe particulam *Totalis.*

4. Videtur Definitio aliquando etiam Explicare Definitum per Partes Integrales; ut haec Definitio: *Syllogiſmus eſt Enthymema cum Supplemento praemiſſo*, quia Enthymema et Supplementum Enthymematis ſunt Partes Integrales Syllogiſmi, ut colligere potes ex definitione Partium Integralium, *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. Facile tamen tales Definitiones reducuntur eo,

ut per Partes Eſſentiales, nempe per Materiam et Formam, explicent Definitum. V. g. praedicta Definitio ſic reducitur: *Syllogiſmus eſt compoſitum ex Enthymemate et Supplemento praemiſſo*, ubi *Compoſitum* habet rationem Materiae, et Praepoſitio cum Obliquis ſubſequentibus ſimul faciunt unum Adjectivum et exhibent Formam.

5. Ex hac Proprietate dimanat alia Proprietas, nempe *Definitio illuſtrat ſuum Definitum.* Ita enim a Natura comparati ſumus, ut plura ſigillatim propoſita melius clariuſque intelligamus, quam ſimul et junctim obtruſa. Sicut melius noviſſe videmur hortum aliquem, ſi prata ac viridaria ejus feriati luſtravimus, ſingula conſiderando, quam ſi apertâ forte januâ, et mox iterum clauſâ, oblatus ſit unicus ejus et repentinus conſpectus; atqui hic hortus jam Definitum, et tunc Definitio quodammodo erat.

Caput VI.

Prima Regula Definitionis.

1. Ex ſecundâ hac Proprietate ſequitur Capitalis Regula Definitionum: *Quae ſatis clara ſunt, definiri non debent.* Cum enim eo naturaliter tendat Definitio, atque ob hoc ſolum eſſe videatur, ut declaret illuſtretque Definitum, ſi id jam ante ſatis clarum ac illuſtre ſit, fruſtra definitur; nam obtento fine ceſſant media.

2. Hac Regulâ excuſamur a definienda Mente ac Animo noſtro, eorumque operationibus. Unde non tenemur definire, quid ſit *Affirmare*, *Negare*, *Inferre*, *Supponere*, *Accipere*, *Copulare*, *Diſjungere*, *Praeſcindere*, *etc.* Item *Amare*, *Odiſſe*, *Laetari*, *Triſtari*, *Sperare*, *Timere*, *etc.* Quibus annumeramus ea, quae ab hiſce denominantur; ut *Verum*, *Falſum*, *Bonum*, *Malum*, *Requiri*, *Sufficere*, *Senſu ſequi* et *Praecedere*, *Eodem* ac *Diverſo Senſu dicere*, *etc.* Haec enim omnia nobis ſunt per

Confcientiam, quâ eorum in nobis ipfi confcii fumus, clariffima pefpectiffimaque.

3. Quod quidam obfcura haec velint, et aliis paffim perfuadeant obfcura effe, non aliâ de caufâ fit, quam quod imaginatione velint attingere, quod folo intellectu percipi poteft. Unde fimiles funt iis, qui queruntur lumen effe perceptu difficile, quia id non audiunt, licet quam poffunt altiffimo filentio aufcultent. Sed lumen videndum erat, non audiendum; fic et ifta, quae commemoravi, intelligenda funt, non imaginanda, cum omni careant imagine et corporea extenfione. Scio equidem, cum Intellectus de rebus iftis cogitat, folere obverfari Phantafiae idolum aliquod, quod cum re ab Intellectu perceptâ conciliare volunt, qui non fatis accurant fuas cogitationes, ac proinde non mirum, fi fentiunt talem difficultatem, qualem fentimus, cum montem fine valle, aut circulum fine area contendimus imaginari; verfantur enim in aeque difficili, imo aeque impoffibili fubjecto. Haec difficultas conciliandi res tam difpares et inconciliabiles effecit, ut perfuafum habeant, res illas difficulter intelligi.

4. Cum interim Mentis noftrae operationes habent aliquos characteres et notas, quae funt exiguae molis Vocabula, admodum notae fignificationis, quibus totam earum naturam exprimere folemus, videor eo adduci poffe, ut per eos characteres et definiri finam, et ipfe definiam. Si modo fit hoc definire, et non potius notam aliquam ejus, de quo quaerebatur, quid effet, adferre; v. g. Affirmare eft dicere *Eft*, Negare eft dicere *Non*, Inferre eft dicere *Ergo*, Copulare eft dicere *Et*, Difjungere eft dicere *Vel*, Praefcindere eft dicere *Quatenus* aut *In Quantum*, Diftribuere eft dicere *Omnis*, Particulariter accipere eft dicere *Aliquis*, Verum dicere eft dicere *Sicut eft*, Falfum dicere eft dicere *Aliter quam ficut eft*. Sic etiam operationes Animi folent habere pro fuis characteribus certos tonos; aliter enim rogantes, aliter fuadentes, aliter imperantes intonamus eandem

etiam quoad verba Sententiam; aliter triſtes, aliter laeti, aliter irati vocem modulantur.

5. Deridiculi etiam fiunt, qui hîc attentant, qui Actuum iſtorum Definitiones pollicentur; nam cum maxime definire ſibi ac aliis viſi ſunt, convincuntur non Definiviſſe. Veluti ſi pro Definitionibus haec obtrudas: *Affirmatio eſt Propoſitio quae Partes conjungit*; *Negatio*, *quae ſeparat ac dividit.* Sic inſto: verene et proprie haec ſeparat Partes, illa conjungit? Non, ſed per Tropum, per Metaphoram, per Similitudinem aliquam. Igitur, inquam, hoc dicis: Negatio velut ſeparat, Affirmatio veluti conjungit; haec conjungenti, illa dividenti ſimilis eſt. Atqui Quaeſtio, quae Definitionem expoſcebat, non, cui ſimilis Affirmatio vel Negatio, ſed *Quid eſſent*, quaeſiverat; huic cum necdum reſponderis, necdum etiam Definiviſti.

6. Dices: ſi non oportet definire operationes noſtrae Mentis, ergo nec Definitio, nec Diviſio caeteraque Inſtrumenta Definienda fuerint; haec enim ſpectant etiam ad operationes noſtrae Mentis, et quidem illuſtri Titulo. Reſpondeo, non definiri etiam a nobis, niſi penes ſuas Notas, ut Definitionem per *Quid*, Rationem per *Cur*, etc., quae ſunt propriae notae ac proprii characteres ipſorum Inſtrumentorum; ipſos autem illos Characteres, qui deſignant Formam Inſtrumentorum iſtorum, nunquam definiendos eſſe dico, imo definiri non poſſe contendo.

7. Cum per hanc Regulam excuſamur a Definiendo, plerumque ad ſecundum Inſtrumentum, nempe Exemplum, omiſſo Primo, per ſaltum imus; mox etiam Demonſtrationes, ubi res exigit, Diviſioneſque ſubnectimus. Sic initio hujus Libelli, omiſſâ Definitione Affirmationis, adhibui Exemplum; mox ſubjunxi Demonſtrationem, qua Subjectum et Praedicatum in Affirmatione demonſtrabam.

8. Sed cum aliquid propter nimiam ſuam claritatem non definitur, non cenſeo ego penitus omiſſam eſſe Definitionem, ſed Definitionem eminenter datam eſſe intelligo. Adeoque

Definitionem Eminentem voco illam Scientiam, qua ſcimus optime et intuitive, ut loquuntur, quid res ſit, etiamſi forte exterius non poſſimus ullam ejus Definitionem adferre.

Caput VII.

Secunda Regula Definitionis.

1. *Definitum non licet ponere in Definitione.* Definitio enim debet explicare Definitum, adeoque plura, quae in Definito complicantur, exſolvere et ſigillatim offerre; ſunt autem iſta plura partes Definiti, inter quas proinde nequit eſſe ipſum Definitum, cum idem non ſit pars ſui. Atque hinc convincitur, Definitum non poſſe ingredi Definitionem, qua parte explicat; ſi quid autem ultra explicationem addatur Definitioni, id ſuperfluum eſt. Adeoque ſolum hoc poſtremum Regula eſt, prius enim illud neceſſitas erat et proprietas Definitionis. Inquam, Definitum non ingredi Definitionem, quâ parte Definitio explicat, eſt proprietas Definitionis; Definitum autem ultra iſtam Explicationem non adjici in Definitione, eſt Regula, quae ex Lege Naturae de vitandis ſuperfluis derivatur.

2. Peccat igitur iſta Definitio: *Sonus eſt quod percipitur a Facultate perceptiva ſoni; Familia eſt Societas hominum ſub Patrefamilias.* Et quidem hae Definitiones ſunt eſſentialiter malae, ſeu non ſunt Definitiones; conjiciunt enim Definitum intra ſuam explicationem, quod in veram Definitionem cadere non poteſt. Haec vero poteſt haberi pro accidentaliter tantum malâ: *Homo eſt animal rationale quod eſt homo*, ſi nempe abſolutâ et peractâ jam explicatione cenſeamus adjicere Definitum; hoc enim cum ſuperfluum ſit, vitiatur accidentaliter Definitio.

3. Aliquando non tam aperte Definitum ponitur in Definitione, ſed tecte et per circulum; non minus tamen vitii tunc eſt, quam cum aperte peccatur. Circulus autem inter definiendum

committi dicitur, cum Definita mutuas ingrediuntur Definitiones; ut ſi interrogatus: *Quid eſt ſonus*? reſponderis: *Id quod percipitur ab auditu*; ulterius autem interrogatus: *Quid eſt Auditus*? reſpondeas, *Eſt Facultas perceptiva ſoni.* Hîc enim Definitionem *Soni* ingreditur *Auditus*, et Definitionem *Auditus* ingreditur *Sonus*; adeoque Definita Definitiones mutuas ingrediuntur. Hoc cum fit, Definitum etiam recte ponitur in ſuâ ipſius Definitione; hoc modo: *Sonus eſt id quod percipitur* (ab auditu; id eſt, juxta tuam Definitionem) *a Facultate perceptiva Soni.* Item: *Auditus eſt facultas percipiens* (ſonum, id eſt, juxta tuam Definitionem) *id quod percipitur ab auditu.* Talis Circulus etiam hîc committitur: *Familia eſt ſocietas hominum ſub Patre-familias*, et *Pater familias eſt caput familiae.* Et perinde facile eſt oſtendere ex ſenſu, eo etiam caſu Definita poni in ſuis ipſorum Definitionibus, non tantum in mutuis; hoc modo: *Familia eſt ſocietas hominum* (ſub patre-familias, id juxta ſubſequentum definitionem eſt) *ſub capite familiae.* Item: *Pater-familias eſt caput* (familiae, id eſt juxta praecedentem definitionem) *Societatis hominum ſub Patre-familias.* Et hae quidem Definitiones omnes ſunt eſſentialiter malae, cum Definita ſua ſuis explicationibus immiſceant. Et omnino difficile eſt ut Definitio aliqua hîc peccet, et tamen retineat naturam Definitionis; cum enim Definitio ſit ad explicandum, quidquid adducitur, cenſetur explicationem ingredi.

4. Sed dices: Ante definitur: *Eſſentia totalis eſt eſſentia indiſtincta a ſuo Subjecto.* Ecce definitum, *Eſſentia*, ponitur in ſuâ definitione. Reſpond.: *Eſſentia* non eſt definitum iſtius definitionis, ſed *Eſſentia totalis*; haec vero non ponitur in definitione. Quod vero *Eſſentia* ponatur in iſta definitione, nil mali, imo ſic debebat; cum enim *Eſſentia* ſit materia definiti, merito ponitur in definitione. Sed, inquis, *Totalis* eſt forma; conjiciatur ergo etiam in eandem definitionem. Nequaquam; Definitio enim debet explicare Definitum; quod non praeſtabit

ſi eaſdem partes expreſſe perhibeat, quas aeque expreſſe perhibebat Definitum.

5. Atque hinc dimanat alia quaedam Regula Definitionis, nempe, Nitendum quidem eſſe, ut Definitum ſit ſimplex vocabulum, et non explicet; ſed cum hoc conſequi non poſſumus, ita temperandum eſſe negotium, ut prior pars Definiti, quae obtinet rationem Materiae, reſumatur in Definitione, ac reliqua explicatio accommodetur poſteriori parti Definiti ſeu Formae ejus. Ut vides factum eſſe in Definitione mox propoſitâ et multis ſimilibus: v. g. in Definitione *Enunciationis neceſſariae*, *Enunciationis modalis*, *Argumenti Formalis etc.*

Caput VIII.

De Deſcriptione.

1. Simia Definitionis eſt Deſcriptio, ei quod Externam apparentiam ſimilis, inſuper etiam convertibilis cum Deſcripto; ſed non explicat ipſum. Loco enim ejus, quod adferret plura quae ſunt in ipſo, adfert plura Accidentia quae ſunt ad ipſum aut circa ipſum Deſcriptum; v. g. *Petrus eſt ille juvenis*, *qui habitat in foro*, *et utitur veſte nigrâ*, *et frequentat Collegium Logicum ſub N.*, *etc.* Ubi clarum eſt non fieri explicationem *Petri*, cum non adferantur plura quae ſunt in *Petro*, ſed tantum circumſtant ipſum, ut *Juvenis*, *Habitans*, *Frequentans*, etc., quae omnia ſunt ejus accidentia. Unde etiam Deſcriptio non recte reſpondetur ad Quaeſtionem *Quid eſt?* Non quadrat enim *Quid eſt Petrus?* reſpond. *Juvenis*, *habitans*, *frequentans etc.*, sed hoc quadrat: *Quid eſt Petrus?* reſpond. *Eſt homo hic.*

2. Petes: ad quam ergo Quaeſtionem reſpondemus per Deſcriptionem? Reſpondeo: ad Quaeſtionem *Quis eſt?* Sic quadrat v. g. *Quis eſt Petrus?* reſpond. *Juvenis ille qui habitat ad interſigne bovis etc.* Objicies: ad Quaeſtionem *Quodnam?* et per conſequens ad Quaeſtionem *Quiſnam*, et *Quaenam*, reſpondemus

per Exemplum, ut cap. 2. dicitur; ergo jam male dicimus, per Defcriptionem refponderi ad illam Quaeftionem. Refpondeo: Ad Quaeftionem *Quifnam eft?* subjectâ Definitione refpondemus per Exemplum; v. g. petitur: *Quid eft Terminus inferens?* refpond. *Eft Terminus qui ponitur in Antecedente Enthymematis, et non in Confequente.* Petitur: *Quifnam eft talis in hoc Enthymemate, fto, ergo ftare poffum?* refpond. *Stans.* Ubi quia Definitio fubjicitur ifti Quaeftioni *Quifnam?* refpondendum eft ei per Exemplum; fed ad Quaeftionem *Quifnam eft?* non fubjectâ Definitione, refpondemus per Defcriptionem.

3. Defcriptio dividitur in Quafi-definitionem et Defcriptionem ftricte dictam. Quafi-definitio eft Defcriptio affignata per Proprietatem ejus, cujus dicitur defcriptio; ut *Corpus eft res divifibilis, Corpus eft res palpabilis.* Haec in eo mere deficit a Definitione, quod loco Formae Proprietatem affumat; atque ideo *Quafi-definitionem* voco, quia propius accedit ad veram Definitionem quam Defcriptio, ficut Proprietas magis accedit ad Effentiam quam Accidens ftricte dictum. Unde et quadrat aliquatenus in Quaeftionem *Quid eft?* v. g. *Quid eft Corpus?* Refponfio *Res palpabilis* non eft omnino tam inepta. Defcriptio ftricte dicta eft, quae affignatur per Accidens ftricte dictum ejus, cujus dicitur defcriptio; atque ea non quadrat in Quaeftionem *Quid eft?* fed *Quis eft?* ut ante dixi.

4. Defcribere folemus Singularia; illa enim fub fua Specie non differunt in Effentia, nifi penes *Hic* et *Ille*, quae differentia non continet in fe aliquid fpeciale feu notatu dignum. Singularia vero fub eadem Specie multum differunt in Accidentibus. V. g. Carolus eft rex, et Petrus eft civis, Petrus eft mas, et Anna eft femina, Croefus eft dives, et Irus eft pauper, etc., adeoque accumulatis Accidentibus fit Defcriptio, qua ab aliis fecernantur notabiliter, cum Effentiâ vix differant.

5. Sed Defcriptio excidit e noftris Inftrumentis; quia non continet Scientiam, ficut caetera Inftrumenta, fed Senfum,

Experientiam, aut Fidem, quae omnia ſunt extra Scientiam. V. g. *Petrus eſt iſte juvenis*, *qui habitat in foro etc.* non continet aliquam Scientiam aut Doctrinam, ſed Senſum, quo ipſe hoc vidi, aut Fidem, qua aliis hoc credo. Igitur non ſtudioſe excolemus Deſcriptionem; ſed remittemus eam ad Rhetoricam, Poëſim, et vulgare commercium, quibus debetur. Hoc tamen intellige de Deſcriptione ſtricte dictâ; nam ad Quaſi-definitionem ſaepe cogimur propter difficultatem inveniendi Formas rerum; conſtricti enim hoc pacto ſaepe ſumus, ut loco Formae Proprietatem aliquam, quod ea facilius occurrat, ſurrogemus.

Caput IX.

De Exemplo.

1. Exemplum eſt apta reſponſio ad Quaeſtionem, qua ſubjectâ Definitione quaeritur *Quodnam ſit?* Ut cum ſic procedimus: *Quid eſt Eſſentia?* reſpond. *Praedicatum in Subjecto*, hîc eſt Definitio; *Quodnam eſt Praedicatum in Subjecto?* reſpond. v. g. *Homo reſpectu Hominis albi*, haec reſponſio eſt Exemplum. Exemplum etiam praemiſſâ Definitione plerumque ſolemus expetere hac formulâ: *Da tale aliquod*; v. g. ſi praeceſſerit *Quid eſt Eſſentia?* reſpond. *Praedicatum in Subjecto*, ſubjungimus examinando: *Da tale aliquod*; reſpond. *Homo reſpectu hominis albi.* Et quidem circa Exemplum aptior eſt haec Petitio, quam fuerat iſta Quaeſtio; hinc et uſitatior. Ad haec Exemplum ſubnectimus Definitioni mediante particula *Ut*, aut *V. g.*, ita ut iſta ſit applicatio Exempli ad ſuum Exemplatum (ſi ita dicere licet) ſicut Verbum *Eſt* eſt applicatio Definitionis ad ſuum Definitum. Eſt autem Exemplatum (ſi quis iſto nomine offendatur, is *Typum* dicat, *Formam*, aut *Normam*, propter analogiam de qua cap. ſequen. agemus) Definitio, quando ea per Exemplum appoſitum illuſtratur.

2. Definitionem nunquam adhibemus nisi subjungamus Exemplum; Exemplum tamen quandoque adfertur nullâ praecedente Definitione; cum scilicet excusamur a Definiendo per primam Reg. Definit. Nisi quis forte contendat, tunc saltem eminenter praecessisse Definitionem. Sic initio hujus libelli, Affirmatione et Negatione non Definitis, subjungimus utriusque Exempla.

3. Quamvis autem Exemplum deducamus ex Definitione (Formali scilicet vel Eminenti), non tamen semper et quolibet proposito casu dicere possumus, sitne Exemplum idoneum, quod proponitur, an non, etiamsi Definitionem exacte intelligamus. Sic, licet habeamus bonam et Eminentem Definitionem *Veri*, non possumus tamen dicere, sitne hoc: *Arenae maris sunt numero pari*, Exemplum *Veri*, nec ne. Interim vix videtur fieri posse, ut Definitio aliqua sit nobis satis clara, et non innotescat etiam clare aliquod saltem exemplum; sic in casu posito habemus ad manum quamplurima et quam clarissima Exempla *Veri*; v. g. *Petrus est Petrus*, *Duo et tria sunt quinque*, *etc.*, etiamsi haereamus circa multa, sintne etiam illa Exempla *Veri*, nec ne.

4. Sicut Primum Instrumentum, scilicet Definitio, non tantum competit Terminis, sed suo modo etiam applicatur Enunciationibus; sic et Secundum Instrumentum seu Exemplum etiam Enunciationibus illustrandis inservit, praesertim Regulis, Legibus, et Axiomatis. V. g. proposito hoc Axiomate: *Ex vero nil nisi verum*, idem illustratur hoc Exemplo: *Sic quia verum est*, *Sum homo*, *ex eo nihil falsi unquam sequi poterit.* Sed Exemplum Enunciationibus accommodatum non subnectitur Definitioni, seu potius Expositioni Enunciationis (sicut Exemplum Terminis accommodatum subjungimus semper Definitioni Termini), sed, ut dixi, Regulis generalibus et Axiomatis. Multae enim inter Enunciationes Definiuntur, id est Exponuntur, quarum Expositioni Exemplum subdi non potest; v. g. *Solus sto*, *id est*, *sto*, *et nemo alius stat*, hîc Definitio seu Expositio; sed si velis Exemplum subnectere, *Ut*, *v. g.*, *etc.*,

videbis te haetere, et non niſi ridicule tali Schemate ſermonis poſſe procedere. Atque adeo hoc diſcrimen aliquod eſt inter Exemplum Terminis, et Exemplum Enunciationibus accommodatum.

5. Et quidem Regulae, Leges, et Axiomata non tantum Exemplo illuſtrantur, ſed etiam Peccato. V. g. Propoſito eodem Axiomate: *Ex vero nil niſi verum*, illuſtrabitur hoc peccato: *Sum homo*, *ergo ſum bos*; haec enim ideo non valet Conſequentia, quia peccat contra Regulam: *Ex vero nil niſi verum.* Et Peccato circa Regulam analogice reſpondet Excluſum circa Definitionem; ſicut enim Peccato illuſtratur Regula, ſic etiam illuſtratur Definitio adducto eo quod ab illa excluditur. V. g. haec Definitio: *Eſſentia eſt Praedicatum in Subjecto*, illuſtratur non tantum ſi dicas: *Sic homo eſt eſſentia hominis albi* (quod eſt Exemplum adducere), ſed etiam ſi dixeris: *Rex autem non eſt Eſſentia Caroli*; quia ſcilicet non eſt in illo ut Subjecto; quod eſt Excluſum adducere. Ne tamen ideo exiſtimes, augendum eſſe numerum Inſtrumentorum hac novâ acceſſione; nam Excluſum ſatis intelligitur ad Contentum ſeu Exemplum, et poſſumus utrumque generali *Exempli* nomine complecti.

Caput X.

Proprietates et Regulae Exempli.

1. Exemplum habet analogiam cum Materia; Exemplatum autem ſeu Definitio cum Forma Artificum. Sicut enim in Formam artificialem conjicitur Materia liquefacta, quae intra capacitatem Formae coagulata, prodit eâdem iſtâ Formâ inſignita; ſic etiam Exemplum quodammodo in Definitionem conjicimus, eique Definitionem ſic applicamus, ut Definitioni per omnia conforme videatur. Atque hinc fit, ut Exemplum naturaliter illuſtret Definitionem. Sicut enim Formam aliquam artificialem melius cognoſcimus, cum cera liquefacta in cavum

ejus immiſſa, ibidemque concreta, tandem lineamentis Formae circumſcripta rurſum excluditur, ſic etiam Definitionem aliquam longe melius intelligimus, ubi Exemplum aliquod velut Materia ei apponitur, cui ſigillum et characterem ſuum imprimat. Habet etiam Exemplum analogiam cum libris impreſſis, et Definitio cum typis Librariorum, quos prelo ſubdunt. Sicut enim inaſſueti difficillime legunt literas ex typo (literae enim non ita clare apparent, inſuper dextrorſum ac ſiniſtrorſum inverſae ſunt), eaſdem vero in Exemplari aliquo impreſſas facile quivis legit, ſic etiam Definitio difficulter intelligi ſolet, niſi exemplo alicui inprimatur. Quod adeo verum eſt, ut Tirones Scientiarum nullam unquam Definitionem recte percipiant, niſi ei Exempla plura, eaque craſſa ac palpabilia ſubdantur; Veterani autem non ita adhaerent Materiae, ſed ſolâ Definitione ſaepe contenti ſunt, eamque ſine ullo Exemplo probe intelligunt.

2. Hinc etiam ſequitur Regula Exempli: *Exemplum debet eſſe exutum Formâ Definitionis ac Definiti.* Fruſtra enim in Formam aliquam conjicitur Materia, quae jam Formâ iſtâ circumſcripta eſt. V. g., *Eſſentia eſt Praedicatum in Subjecto*; *Ut Eſſentia*, aut, *Ut Praedicatum in Subjecto*, mala Exempla ſunt, quae ibi mediante particulâ *Ut* ſubduntur Definitioni. Imo non ſatis idoneum apparet hoc Exemplum ejuſdem Definitionis: *Ut Eſſentia totalis*; non ſatis enim exuitur illud Exemplum Formâ Definiti. Sed cur Exemplum debet exui Formâ Definiti, cum non ſit ejus Materia, ſed Materia Definitionis? Reſpond.: etiam eſt Materia Definiti; videmur enim non tantum Definitionis, ſed etiam Definiti Exemplum dare, adeo ut Exemplum quadret potius in Definitionem applicantem quam applicatam.

3. Sequitur ex Prima illa Proprietate Exempli adhuc alia Proprietas, quam tamen etiam vicem Regulae licet accipere: *Exempla craſſa bene docent.* Exempla craſſa ſunt Exempla e rebus obviis et ſenſum valide moventibus petita; haec bene docent,

quia habent analogiam cum Materiâ craſſâ ac durâ, quae Formam ſibi impreſſam tenaciter ſervat. Sic enim etiam Exempla iſta Definitionem ſibi ſemel applicatam perpetuo fere cuſtodiunt; et quia familiaria ſunt ſeu e rebus obviis petita, hinc ſaepius occurrentia habent vim refricandi Memoriam, et Formam ſeu Definitionem, qua ſemel ſignata ſunt, ſaepius offerendi. Delectant etiam iſta Exempla; juvat enim videre res viles et communes Definitione, velut Philoſophica veſte, circumamictas, e Trivio in Scholam trahi. Atqui tirones non niſi pellice aliqua voluptate rapiuntur ad Philoſophandum. Unde tam multa, imo omnia fere noſtra Exempla hactenus fuerunt *Sto*, *Homo*, *Petrus*, *Homo albus*, *Carolus*, *Rex*, *Homo eſt animal*, *Aurum vel metallum*, *etc.*; quae omnia ſunt maxime obvia, et ſenſum valide pulſantia. Inter craſſa et familiaria Exempla etiam refero, quae in Arte vel Scientiâ, in qua adferuntur, antea bene tractata et perpenſa fuerunt; illa enim commodiſſime poſtea in Exemplum trahuntur. Hinc tam frequens apud nos Exemplum ab *Eſſentiâ* ejuſque Definitione petitum, et ab aliis alibi ante tractatis in hoc libello.

4. Inquiunt etiam Philoſophi: *In Exemplo non requiritur veritas.* Sufficit enim quod veriſimile ſit, et paſſim omnes apprehendant, quod Definitio ei bene conveniat. Exempla enim non propter ſe adducuntur In Scientiis, ſed mere ut Definitionem veluti incorporent et palpabilem reddant. Sic in Logica dicimus: *Bos* et *Brutum* concordant, *Bos* et *Mus* diſcordant, non quaſi de Bobus et Muribus velimus inſtituere ſermonem, ſed ut melius intelligatur Definitio Terminorum Concordantium aut Diſcordantium. Sic etiam ſupra per modum Exempli diximus, quod *Brutum* et *Bipes* concordent in *Ave*; licet forte avis aliqua non ſit bipes, hoc enim ibi non tam rigide penſandum erat, cum tantum ſerviret pro Exemplo. Similiter dicimus ſaepe: *Homo eſt animal*, etiamſi non ipſe, ſed corpus ejus animal potius dicendum videatur quibuſdam. Haec enim

talia non convenit hoc loco examinare; sed supponuntur sic esse cum communi Logicorum Schola; et hoc satis est, ut Exempli vicem habeant.

Caput XI.

De Divisione.

1. Divisio est apta responsio ad Quaestionem *Quotuplex est?* Ut: *Quotuplex est Essentia?* respond. *Alia totalis*, *alia partialis*; haec responsio est Divisio. Divisum vero est id de quo quaeritur *Quotuplex est?* subsequente aptâ responsione. Sic in Exemplo proposito Divisum est *Essentia.* Divisio etiam distingui se patitur in Applicantem et Applicatam. Divisio applicata est praecisa responsio ad Quaestionem *Quotuplex est*, quae scilicet nihil resumit ex ipsa Quaestione; et talis est divisio jam proxime allegata. Solet vero Divisionem applicatam praecedere illa particula: *Duplex*, *Triplex*, *etc.*, quae non videtur proprie pars ejus, sed Nota, sicut *Ut* est nota Exempli. Divisio applicans componitur ex Divisio et Divisione applicatâ tamquam suis Extremis; ut: *Essentia*, *alia totalis*, *alia partialis.*

2. In Divisione applicatâ spectantur Membra dividentia; suntque Substantiva illa, quae ponuntur in Divisione, faciuntque numerum correspondentem Quaestioni *Quotuplex?* Connectuntur autem inter se mediante particula *Alius*; v. g. *Essentia*, *alia totalis*, *alia partialis*; hîc membra dividentia sunt *Essentia totalis*, *Essentia partialis.* Adduci etiam poterant antea Membra Definientia, quae sunt Materia et Forma Definiti, sed non erant tantae considerationis sicut Membra dividentia.

3. Ex Membris Dividentibus cum interjectâ particulâ *Vel* exsurgit Terminus Dividens. Sic positâ hac Divisione: *Animal aliud homo*, *aliud brutum.* Terminus Dividens assignatur *Homo vel brutum*; ille enim componitur ex utroque Membro Dividenti

cum interjectâ particulâ *Vel.* Et quamvis Terminus Definiens coincidat cum Definitione Applicata, Terminus tamen Dividens non penitus coincidit cum Divifione Applicatâ. Membra enim in Divifione fecernuntur illâ particulâ: *Alius*, et fic fecreta, non proprie conftituunt Terminum; aft cum particulâ *Vel* interjectâ, proprie dictum Terminum faciunt, qui de aliquo affirmari poffit. Saepe Divifio fumitur pro Termino Dividente.

4. *Membra Dividentia debent inter fe repugnare.* Debent enim in Divifione cohaerere mediante particulâ *Alius*, quo pacto non bene cohaerent Termini Concordes. V. g., *Animal*, *aliud brutum*, *aliud bipes*, inconcinna et falfa locutio, cum non fit neceffe ut brutum aliud fit a bipede, aut bipes aliud fit a bruto. Multo minus haec conveniunt: *Vivens*, *aliud animal*, *aliud homo*, aut, *Homo*, *alius flebilis*, *alius rifibilis*; cum non fint alia, quae ibi alia dicuntur.

5. *Singula etiam Membra Dividentia debent fubalternari Divifo.* Quia ad Quaeftionem *Quotuplex eft?* non apte refpondetur nifi per talia membra. Sume tibi cujufvis generis membra; quamdiu non fubalternantur Subjecto quaeftionis, tamdiu videbis, ineptam per ea fieri refponfionem ad quaeftionem *Quotuplex eft?* V. g. *Quotuplex animal?* refpond. *Aliud lapis*, *aliud lignum*; abfurda refponfio eft, quia non per membra fubalternata, ut decebat, fed per membra repugnantia cum Divifo inftituitur. Non minus ineptum hoc: *Homo alius animal*, *alius ens*; ubi per membra fubalternantia fibi Divifum inftituitur refponfio. Et fic porro.

6. Sequitur jam ex his, *Membra dividentia debere effe Partes Potentiales divifi.* Unde et fequitur, quod Divifio explicet Divifum confideratum tamquam Totum Potentiale. Ex quo etiam ulterius fequitur, quod Divifio illuftret fuum Divifum. Et ex hoc Regula: quod, quae fatis nota funt in genere Totius Potentialis, dividi non debeant. Sic ineptae Divifiones: *Albor alius hic albor*, *alius ifte*, *alius ille albor*, *etc.*; *Homo alius hic*, *alius ifte homo*, *etc.*, *feu alius Petrus*, *alius Paulus*, *etc.* Divifa

enim ibi quoad iſtas partes Potentiales ſatis quam nota ſunt, ut non oporteat ullam per eas inſtituere Diviſionem. Hinc et Regula eſt, *Ne in Diviſionibus procedatur uſque ad Singularia.* Quae omnia tam clare ſequuntur ex dictis, praeſertim conſideratis iis, quae in ſimili praeceſſerunt circa Definitionem, ut non ſit opus iis exaggerandis diutius immorari.

Caput XII.

De Proprietatibus et Regulis Diviſionis.

1. Proprietates et Regulae Diviſionis, ſervatâ proportione, eaedem ſunt cum Regulis et Proprietatibus Definitionis. Nam Diviſio explicat Diviſum per Partes Potentiales, ſicut Definitio explicat Definitum per Partes Actuales. Secundo Diviſio (quod inde ſequitur) illuſtrat Diviſum etc., quae paulo ante commemorata ſunt.

2. Haec omnia magnam arguunt affinitatem analogicam ſeu proportionatam inter Definitionem et Diviſionem. Cui et illud accedit: Quod Diviſio etiam debeat eſſe convertibilis cum Diviſo. Cenſetur autem Diviſio converti cum Diviſo, quando Terminus Dividens convertitur cum Diviſo; v. g. haec Diviſio: *Animal*, *aliud homo*, *aliud brutum*, convertitur cum Diviſo, quia Terminus dividens, nempe *Homo vel brutum*, convertitur cum Diviſo, nempe cum *Animali.* Similiter et iſta Diviſio: *Eſſentia*, *alia totalis*, *alia partialis*, convertitur cum Diviſo; membra enim dividentia ſunt *Eſſentia totalis*, *Eſſentia partialis*, quae ſine dubio, commiſſa per *Vel*, facient Terminum convertibilem iſti Termino *Eſſentia.*

3. Quod autem Diviſio debeat eſſe convertibilis, facile probatur; quia quamcunque eam facias, quamdiu non erit convertibilis cum ſubjecto quaeſtionis, tamdiu non quadrabit in Quaeſtionem *Quotuplex eſt hoc?* ſed tantum in Quaeſtionem

Quotuplex ſit aliud quidpiam. V. g. ſi petatur, *Quotuplex eſt Animal?* reſpondeaſque, *Aliud homo*, *aliud avis*, certum eſt non reſpondiſſe te ad Quaeſtionem propoſitam; at reſpondiſti ad hanc quaeſtionem: *Quotuplex eſt animal bipes?*; illud enim, aliud homo, aliud avis eſt. Si vero ad eandem Quaeſtionem reſpondere volueris: *Aliud canis*, *aliud bos*, ſimiliter convincam te non reſpondiſſe ad illam Quaeſtionem, ſed ad aliam, v. g. *Quotuplex eſt A?* ſumendo A ut ſignificet Animal bovi et cani praeciſe commune.

4. Ex eo quod Diviſio convertatur cum Diviſo, ſequitur etiam iſta Proprietas: *Quod continetur Diviſo*, *continetur altero Membrorum Dividentium*, *et contra.* Item *Quod excluditur a Diviſo*, *excluditur ab utroque Membrorum Dividentium*, *et contra*, aut, ſi velis, *Quod continetur Diviſo*, *continetur etiam Diviſione*, *et contra*, *et quod ab hac*, *etiam ab illo excluditur*, *et contra*; ſed per Diviſionem ibi intellige Terminum illum, qui ex Membris dividentibus intercedente particulâ *Vel* conſurgit, ſeu Terminum Dividentem.

5. Magna illa affinitas, quae eſt inter Definitionem et Diviſionem, effecit, ut Diviſio etiam non uſque adeo male quadret in Quaeſtionem *Quid eſt?* Ubi Diviſionem capio ſicut paulo ante, nempe pro Termino compoſito ex Membris Dividentibus cum interjectâ particulâ *Vel.* Sic v. g. ad hanc Quaeſtionem: *Quid eſt animal?* non peſſima reſponſio eſt *Homo vel brutum.* Et ſolent paſſim Philoſophi ad quaeſtionem, qua quaeritur *Quid eſt enunciatio?* reſpondere: *Oratio vera vel falſa.* Ubi ſane loco Definitionis ſuppeditant Diviſionem ſeu Terminum Dividentem; quia *Oratio vera vel falſa* eſt Terminus Dividens Enunciationem, non vero Definiens. Sed affinitas iſta, etſi efficiat ut Diviſio quandoque ſuppleat locum Definitionis, non tamen impetrare poteſt, ut vice verſâ, Definitio aliquando ſuppleat locum Diviſionis. Definitio enim, ſeu id quod proprie reſponſionis loco quadrat in Quaeſtionem *Quid eſt?* nunquam quadrare

poteſt in Quaeſtionem *Quotuplex eſt?* V. g. *Quotuplex Eſſentia?* reſpond. *Praedicatum in Subjecto*, Fatua profecto reſponſio.

Caput XIII.

De Diſtinctione.

1. Simia Diviſionis eſt Diſtinctio. In hac loco Diviſi conſiſtit Vocabulum Homonymum, et loco Membrorum Dividentium plures Termini, qui iſto Vocabulo ſignificantur; v. g. *Sentiens aliud actu, aliud potentiâ ſentit*; aut formâ minus fictâ: *Sentiens per actum et per potentiam ſumitur.* Diſtinctio itaque cum non ſit proprie Diviſio, non proprie etiam reſpondetur ad Quaeſtionem *Quotuplex eſt?* ſed ad Quaeſtionem *Quotupliciter ſumitur?* vel *Quinam Termini veniunt ſub iſto nomine?*

2. Et quamvis Diſtinctio non ſit inter Inſtrumenta, adeoque per accidens tantum ad Logicam ſpectet ejus Tractatus; non tamen ita rejicienda eſt ſicut Deſcriptio. Hac enim nec Logica, nec ulla alia Diſciplina utitur circa ſua objecta; Deſcriptio ſiquidem verſatur circa Singularia, circa quae non verſantur Diſciplinae; ad haec non confert ſcientiam Deſcripti, ſed ſenſum vel teſtimonium, ut ante dicebamus. At Diſtinctione tum Logici, tum caeteri Doctores jugiter opus habent. Cum enim aliqua contermina ſunt in Diciplinis, facile acquirunt idem nomen; adeoque Diſcipulum occupat confuſio et perplexitas, dum modo ſic, modo aliter capitur idem Vocabulum, niſi bona Diſtinctione praeveniatur. V. g. in noſtra Arte *Negatio* ſumitur pro Negatione Propoſitionis, et pro Adverbio negandi *Non.* Item Definitio Formalem aliquando et ſaepius, Eminentem aliquando et rarius ſignificat; aliquando Applicantem, aliquando Applicatam; aliquando nomine Diviſionis intelligitur Terminus Dividens; et infinita ſimilia occurrunt, de quibus ſi non admoneatur Diſcipulus, adhibitâ legitimâ Diſtinctione, nihil diſtincte percipiet.

3. Regula Diſtinctionis: *Ne inter Membra ejus referantur ea, quae ſpectant ad aliam Scientiam ab ea, in qua Diſtinctio adfertur.* V. g. in Logicâ licet Subjectum diſtinguere in Subjectum Actu, Potentiâ, et Dignitate. Non vero etiam in Subjectum Affirmationis et Subjectum Inhaeſionis, quia hoc poſterius membrum non ſpectat ad Logicam, ſed ad Metaphyſicam. Similiter Diviſionem non diſtinguet Logicus in realem, qua corpora dividuntur in partes, et inſtrumentalem ſeu mentalem; prius enim illud membrum ſpectat ad Phyſicam. Hanc Regulam dum quidam minus accurate ſervant, congerunt ingentes rhapſodos, in quibus tot Diſtinctiones non ſunt niſi una confuſio, et taedioſa earundem rerum repetitio ac prolixitas.

4. Diſcrimen inter Diviſionem ac Diſtinctionem hoc eſt, *Quod Diviſum de Membris Dividentibus dicatur in eodem ſenſu, Diſtinctum vero de Membris Diſtinguentibus dicitur in diverſo ſenſu.* V. g. *Sentiens* alio ſenſu dicitur univerſim de omni animali, alio ſenſu de eo animali, quod jam verberatur et verbera iſta ſentit. Quidnam autem hoc ſit, eodem vel diverſo ſenſu affirmari, non debemus dicere, cum hoc ſit inter operationes noſtrae mentis aut inde denominetur. Qui haec conantur explicare, aut operam ludunt, aut obſcuris ambagibus involvunt, quod nos breviter et clare diximus. Et licet Tirones aegre ſubinde diſcernant inter Homonymum ac Synonymum, et per conſequens non bene diſcernant inter Diviſionem ac Diſtinctionem, hoc non arguit, Definitionem hîc aliquam requiri, qua explicetur, quid ſit idem vel diverſus ſenſus, quo vocabula de pluribus affirmantur, ſed arguit, eos ob exiguam experientiam, quam habent circa Terminos artis, ut vocant, non bene judicare circa Exempla ſeu circa Materiam. Alioqui quoſcunque homines abunde noviſſe, quid ſit eodem, quid ſit diverſo ſenſu affirmari, ſatis arguit, quod Formam illam in aliquâ ſaltem Materiâ ſeu Exemplo, promptiſſime et ſine ulla haeſitatione agnoſcant. Sic omnes intelligunt alio ſenſu Ludovicum dici Gallum, alio ſenſu

avem noſtram dici Gallum. Et ſit Belga quidam, idiota, omnium artium ac ſcientiarum expers, hoc ſane novit, alio atque alio ſenſu dici: *Den Dagh is licht*, *de Pluym is licht.* Formam ergo ſatis noverunt, licet non noverint illam in omni Materia, propter opacitatem et tenebras analogicas, quas multae Materiae conferunt ſecum, et Formis quibus ſignatae ſunt affundunt. Ponam in ſimili: Petrus bene notus eſt omnibus hujus Oppidi civibus; perpetrato facinore, ut effugiat, ſumit habitum muliebrem et jam notiſſimorum etiam oculis imponit. Idem ſaepe fit in Formis: Secundum ſe, et in familiari Materiâ, admodum notae ſunt; in peregrinis autem materiis non agnoſcuntur.

5. Praeter Diſtinctionem, de qua hactenus, datur alia quadam, in qua loco Diviſi res quaepiam, et loco Membrorum Dividentium eadem illa res diverſis circumſtantiis aut conſiderationibus imbuta; adeoque in hac Diſtinctione Membra cohaerent mediante particula *Modo* (v. g. *Modo pluit et modo ſudum eſt*; Item *Luna modo creſcit*, *modo decreſcit*), aut particulis *Hîc*, *ibi* (v. g. *Sol hîc emollit*, *et ibi indurat*; item *Eſſentia hîc tecta*, *et ibi retecta eſt*), aut particulâ *Quatenus*, quo caſu tamen aliquid ultra Diſtinctionem adducimus. V. g. *Homo quatenus homo*, *ratiocinatur*; *quatenus animal*, *ſentit*; ubi ultra Diſtinctionem reperiuntur illa Praedicata *Ratiocinatur* et *Sentit.*

SECTIO II.

De Inſtrumento Complexo.

Definitio, Diviſio, et Exemplum, occupantur circa Terminos; ſeu Subjectum Quaeſtionis, cui reſpondent iſta Inſtrumenta, Terminus quidam eſt; ideoque vocari poſſunt Inſtrumenta Simplicia. Ratio autem circa Enunciationes verſatur, quae ideo Inſtrumentum Complexum dici poteſt. Nam Terminos Simplicia, Enunciationes Complexa Themata vocare, receptum apud Logicos.

Caput I.

De Ratione.

1. Ratio eſt apta reſponſio ad Quaeſtionem *Cur eſt?* Veluti ſi quaeratur: *Cur ex vero nil niſi verum?* reſpondeaſque: *Quia verum non poteſt dicere, verum eſſe, quod non eſt verum.* Ibi integra illa Enunciatio, quae ſubſequitur Notam *Quia*, et reſponſio eſt ad Praedictam quaeſtionem, et ideo etiam Ratio; at Nota *Quia* eſt nota Rationis, ſicut *Eſt* Affirmationis, *Non* Negationis notae ſunt. Rationes maxime elucent in Demonſtrationibus; v. g. *Cur Subjectum et Praedicatum concordant?* reſpond. *Quia dicuntur de eodem, nempe de ipſo Subjecto* (Parte 1. Sect. 2. cap. 2. n. 1.); *Cur Subjectum non poteſt diſcordare a Praedicato?* reſpond. *Quia Terminus non poteſt dici de Termino repugnante ſecum* (ibid. n. 5.). Et ſic ubicunque Demonſtrationes in hoc libello videbis, ſemper etiam Locupletem aliquam Rationem deprehendes, quam aptiſſime reſpondere poteris ei qui Theorema demonſtratum quaeſtioni *Cur?* ſubjecerit.

2. Sicut Definitioni Definitum, Diviſioni Diviſum, et ſumptâ licentiâ voces fingendi, Exemplo accommodavimus Exemplatum; ſic Rationi Ratum apponimus; et non eſt aliud quam Subjectum quaeſtionis *Cur?* ſeu id de quo quaerimus *Cur ſit?* aptâ ſubſequente reſponſione. Sic in Exemplis proxime allegatis *Ex vero nil niſi verum*, *Subjectum et Praedicatum concordant*, *Subjectum non poteſt diſcordare a Praedicato*, Rata ſunt. Ego paſſim *Ratam* dico, quia ſubaudio *Enunciationem*; haec enim ſola Rata eſt, cum Terminus Ratus eſſe non poſſit, utpote qui non poſſit ſubjici quaeſtioni *Cur?* ſed quod ei quaeſtioni ſubjicitur, ſemper Enunciatio eſt, ut infra videbimus.

3. Ordine Inventionis et Naturae Ratio praecedit Ratam; ſed ordine Diſpoſitionis ac Diſciplinae Rata praecedit Rationem; inſiſtentes enim ordini Naturae, primo novimus eam Propoſi-

tionem, quae Ratio eſt; ex ea concludimus aliam Propoſitionem, quae per hoc Rata eſt. V. g. ordine Naturae et Inventionis primo deprehendimus hanc Propoſitionem: *Vera Enunciatio non poteſt dicere id eſſe verum quod non ſit verum*, ex qua bene ſequitur illa: *Ex vero nil niſi verum*, quae proinde per illam Sequelam denuo deprehenditur. Ordine vero Diſpoſitionis in Logicâ primo ponitur iſta: *Ex vero nil niſi verum*, ex altera ſubſequitur in Demonſtratione hoc modo: *Quia Verum non poteſt dicere etc.* Sed dices: Ratio hujus Theorematis: *Repugnantes non poſſunt ſe habere ut Subjectum et Praedicatum*, eſt iſtud Theorema: *Subjectum et Praedicatum concordant*, et tamen in Logicâ noſtrâ illa Ratio praecedit hanc Ratam, *Parte* 1. *ſect.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. *et* 2. Reſpond., Enunciationem quae eſt Ratio in Diſciplinis debere praecedere Enunciationem quae eſt Rata, quia bene conſtitutae Diſciplinae ordine Naturae procedunt. Sed hoc ſolum contendo, Rationem qua talem in Diſciplinis ſequi poſt Ratam; v. g. loco citato in Logicâ noſtrâ Prima lex praecedit Secundam, qua Theorema; ſed quatenus Ratio ſecundae Legis, ſic ſubſequitur Secundam Legem.

4. Quaeſtio *Cur eſt?* complicat in ſe quaeſtionem *An eſt?* Et quidem ordine Periculi ſeu Examinis praecedit *An?* et ſequitur *Cur?* v. g. hoc modo: *An Subjectum et Praedicatum concordent?* reſpond. *Concordant.* Rurſum: *Cur concordant?* reſpond. *Quia affirmantur de eodem.* Sic quaerendo procedere ſolent, qui periculum faciunt ſeu examinant aliquem. At in ordine Inventionis ac Naturae redundat *An?* Si enim neſcias *Cur ſit*, *aut non ſit*, nunquam ſtatues *An ſit*, *nee ne*; ſi vero hoc inveneris, *Cur ſit*, *aut non ſit*, jam fruſtra inquiris, *An ſit*, *nec ne*, cum, ſi ſcias *Cur ſit*, hoc ipſo ſcias *Eſſe*, et ſi ſcias *Cur non ſit*, hoc ipſo ſcias *Non eſſe.* V. g. quamdiu neſcis, *Cur Subjectum et Praedicatum concordent*, quamdiu etiam neſcis, *Cur non concordent*, tamdiu fieri nequit, ut ſcias, *Concordent*, *an non concordent*; ſed ſimul atque ſciveris, *Cur concordent*,

aut ſimul atque ſciveris *Cur non concordent*, jam vanum eſt quaerere quod inventum eſt, *An concordent nec ne.*

5. Sed: Quid? inquis, nonne omnes noverunt, An Magnes trahat ferrum? nonne item, aut nemo, aut certe pauci noverunt, Cur Magnes trahat ferrum? Reſpond. Sicut hîc noverunt *An*, ſic etiam noverunt *Cur*; quia ferrum a Magnete trahi ſciunt propter Rationem Externam, nempe Experientiam Senſus, aut Teſtimonium Hiſtoriae. Et ſicut hoc non eſt proprie ſcire Cur, ſic ipſi etiam non ſciunt proprie An. Nullum enim proprie dictum Scire eſt, niſi ex Ratione proprie dictâ ſuſceptum.

Caput II.

De Ratione-Ut, Ne et Quia.

1. Ad Quaeſtionem *Cur?* reſpondentes, ſubinde praetendimus illam particulam *Ut*; v. g. *Cur ſtudes*? reſpond. *Ut fiam doctus*; atque hic redditur Ratio-ut. Subinde auſpicamur reſponſionem ab illa Nota: *Ne*; v. g. *Cur ſtudes?* reſpond. *Ne ſim ignarus*; atque ea reſponſio continet Rationem-ne. Tandem etiam reſponſioni noſtrae ſubinde praefigimus Notam *Quia*; v. g. *Cur Corpus eſt palpabile?* reſpond. *Quia Corpus non eſt penetrabile*; atque hic reſpondetur per Rationem-quia.

2. Ratio-ut jam pridem *Finis* vocatur, item *Cauſa finalis*; Ratio-ne non habet adhuc nomen; ego ſoleo illam *Initium* vocare, eâdem licentiâ, qua Ratio-ut *Finis* vocatur: quippe voluntas noſtra inter Bonum ac Malum hoc pacto conſiſtit, ut in Bonum quidem tendat per Media (ideoque Bonum in hoc motu habet conditionem Finis), a Malo autem recedat per Remedia, adeoque Malum habet condicionem Initii. V. g. Voluntas inter doctrinam, quae ut bona apprehenditur, et gnorantiam ſic ſita eſt, ut ab hac recedat, et in illam tendat; et doctrinae quidem conſequendae ſtudium adhibeat tamquam

medium, idem ſtudium contra ignorantiam adhibeat tamquam remedium.

3. Igitur nota Finis eſt *Ut*, nota Initii eſt *Ne*. Utrumque motivum voluntatis eſt; Finis enim allicit voluntatem quaſi a fronte, Initium urget illam quaſi a tergo. Neutrum proinde proprie dicta ratio eſt; haec enim ad Mentem ſpectat. Unde etiam neutrum eſt Enunciatio; v. g. *Cur ſtudes? Ut ſim doctus*, aut *Ne ſim ignarus*; ibi Finis et Initium ſequuntur ſuas notas, *Ut*, *Ne*, ſed neutrum eſt Enunciatio, at imperfectum hoc: *Sim doctus*, *Sim ignarus*. Neutrum etiam exacte quadrat in quaeſtionem *Cur*; ſed Finis potius in quaeſtionem *Quam-ob-rem?* item *In quem finem?* Initium autem in quaeſtionem *Quâ-de-cauſâ? Quo intuitu?*

4. Rationes-ut et -ne plauſibiles dicuntur, quando cadunt in quaeſtionem habentem pro Subjecto ſuo Propoſitionem independentem a noſtro arbitrio: v. g., *Cur ſol unicus? Ne ſi plures ſint*, *comburant Univerſum. Cur dierum et noctium*, *aeſtatis et hiemis viciſſitudines? Ut ſit varietas in rebus*, *et ne pulchra vileſcant ſi nullâ moleſtiâ interpolentur. Cur quatuor Inſtrumenta? Cur quatuor Axiomata ſexies repetita Cubum Logicum conſtituunt? Ut ſit harmonia in rebus*; *Natura nempe quaternario numero gaudere videtur.* Hae, inquam, et ſimiles ratiunculae plauſum habent apud vulgum, quia Fabulis admodum ineſcatur; apud veros Philoſophos faſtidium. Licet enim ſit ordo, varietas et harmonia in Univerſo, etiamſi Mundi incendium aliaque ſimilia incommoda belle caventur, haec tamen omnia poſteriora ſunt, nec debent nos movere ad ſtatuendum aliquid de rebus (ſunt enim infinitis erroribus obnoxii tales diſcurſus); ſed cum ex veris ac legitimis Rationibus pervenerimus ad rerum notitiam, inveniemus res ſic eſſe ordinatas, omnia ſe habere concinne, et Deum ſuum ubique teſtari.

5. Sola igitur Ratio-quia eſt, quae ad verae Rationis locum aſpiret; ſub ejus tamen velamine latent aliquae rationes-ut et -ne;

quales v. g. hîc inſinuantur: *Cur ambulas? Quia coelum ſerenum eſt. Cur domi manes? Quia pluit*; hoc enim eſt, *Ut coelo ſereno fruar*, et *Ne a pluvia madeſcam.* Hae igitur et ſimiles ſpuriae rationes, detractâ Notâ, quae iis non debetur, amandentur ad ſui congeneres.

Caput III.

De Ratione Bonâ et Malâ.

1. Ratio-quia diſtinguitur in Bonam et Malam. Bona Ratio eſt, quae apte reſpondetur ad quaeſtionem *Cur?* Mala Ratio eſt, quae quidem loco Rationis reſpondetur ad quaeſtionem *Cur?* ſed non bene quadrat in illam quaeſtionem. Unde non eſt vera Ratio, ſed ſuppoſititia. Ex quo patet, bonam Rationem etiam veram, et malam ſuppoſititiam vocari poſſe.

2. Et Mala quidem Ratio dividitur in Fatuam et Captioſam ſeu fallacem. Fatua eſt ſic mala, ut ne quidem appareat eſſe bona; v. g. *Cur Eſſentia eſt prior Accidentibus?* reſpond. *Quia baculus eſt in angulo.* Captioſa ratio eſt quae ſic eſt mala, ut tamen appareat eſſe bona; v. g., *Cur civitates A, B ſunt aequales?* reſpond. *Quia habent aequales circuitus, ſeu aequale tempus uni ac alteri circumeundae impenditur.* Haec enim vulgo videtur Bona Ratio (vulgus enim civitates metiri conſuevit tempore quod ſingulis eorum perambulandis impendit), ſed non eſt bona ratio, cum aequales circuitus continere poſſint civitates admodum inaequales; puta ſi hic circuitus ſit rotundus ſeu circularis, is longe majorem civitatem continebit quam alius circuitus oblongus ſeu ovalis, etiamſi ambo ſupponantur aequales, et aequale tempus iis ambulatione conficiendis impendatur.

3. Captioſa Ratio ſubdividitur in Rationem Sophiſticam et Praejudicium. Ratio Sophiſtica eſt Ratio Captioſa propter voces; v. g. *Cur Petrus habet cornua?* reſpond. *Quia necdum*

amiſit ea; illa enim Ratio captioſa eſt propter vocem *necdum*, qua inſinuari videtur, Petrum habuiſſe cornua. Praejudicium eſt ratio captioſa propter rem et non propter voces; v. g. *Cur plumbum celerius labitur quam lignum?* reſpond. *Quia plumbum majori impetu labitur quam lignum.* Illa enim Ratio eſt mala, cum quae inaequali impetu labuntur, ſaepe labantur aequali celeritate (ut conſtat Experientiâ in globo tormenti bellici majoris et pilâ palmariâ, quae ex feneſtrâ domus ſimul demiſſa, ſimul etiam ad terram pertingunt), apparet tamen bona Ratio inexpertis; atque apparentiam illam non habet ex ullis vocibus, ſed ex re ipſa. Tale eſt etiam iſtud Praejudicium: *Cur in lapidibus et metallis plus ſubſtantiae eſt, quam in aëre vel aqua?* reſpond. *Quia duriora et graviora ſunt aëre ac aquâ.* Et plurima talia Praejudicia detecta vide apud Carteſium Praejudiciorum acrem inſectatorem, praeſertim parte 1. Princip. Philoſoph. § 71.

4. Bona Ratio generat Scientiam; Fatua Ratio cauſat riſum aut indignationem; Sophiſtica Ratio gignit confuſionem; Praejudicium parit errorem.

Caput IV.

De Ratione Firmâ et Infirmâ.

1. Bona Ratio ſubdiſtinguitur in Firmam et Infirmam. Ratio Firma eſt, quae Ratam ponit extra dubium, id eſt, certam et vere Ratam facit. V. g. *Cur Corpus eſt diviſibile?* reſpond. *Quia Corpus eſt extenſum*; *Cur Contrariae non poſſunt eſſe ſimul verae?* reſpond. *Quia alioqui Contradictoriae eſſent ſimul verae.* His enim rationibus certum fit atque extra omnem dubitandi aleam ponitur, et quod Corpus diviſibile ſit, et quod Contrariae non poſſint eſſe ſimul verae.

2. Ratio Infirma eſt, quae ſubjectum quaeſtionis ſaltem veriſimile reddit, et non eximit ipſum penitus e dubio; ut: *Cur*

pluet? reſpond. *Quia coëunt multae et craſſae nubes ſupra noſtrum verticem.* Ex hac enim ratione fit quidam veriſimile, quod pluet, ſed non ita, quin abſolute maneat dubium, pluetne an non pluet.

3. Infirma Ratio non eſt proprie ratio, ſed Conjectura; neque tam apte quadrat in quaeſtionem *Cur?* quam in quaeſtionem *Unde conjicis*; v. g. *Unde conjicis quod male ſibi conſcius ſit?* reſpond. *Quia ad commemorationem facinoris totus expalluit.*

4. Firma Ratio Certitudinem gignit; Infirma Ratio generat Opinionem. In hanc vulgus omne propendet; quod arguunt haec iis tam crebro uſurpata vocabula, *Putare*, *Arbitrari*, *Exiſtimare*, *Videri*, *Veriſimile*, *Probabile*, *etc.*, quae omnia denotant Opinionem. Veri autem Philoſophi abſtinent ab Opinionibus; et hinc veteri Adagio *Putare non eſt Sapientis.*

Caput V.

De Ratione Poſitivâ et Negativâ.

1. Secundo Ratio diſtinguitur in Poſitivam et Negativam. Negativa Ratio eſt, non eſſe ſeu non occurrere rationem pro Contradictoria Ratae; v. g. *Cur ex Falſo poteſt ſequi verum? Quia nulla eſt ratio cur id non poſſit*, ſeu *Quia in eo nulla eſt Implicantia*, ut loquuntur, id eſt *nulla Contradictio*; hoc enim perinde eſt ac ſi reſponſum fuiſſet: *Quia nulla eſt ratio dicendi quod non poſſis.* Si enim eſſet ratio dicendi, quod non poſſet, ea eſſet,. quod contradictio in eo lateret, id eſt, ipſo poſito ſequeretur idem eſſe et non eſſe.

2. Ratio Negativa non valet niſi in Favorabilibus. Favorabilia ſunt, quae praeſumuntur ſeu ſupponuntur eſſe, quamdiu non probatur ea non eſſe. Et in Diſciplinis inter favorabilia primum occurrit Potentia; praeſumimus enim pro Potentiâ quamdiu non oſtenditur Impotentia. Secundo Paucitas; multitudo enim et

diverſitas in rebus non praeſumitur niſi probetur; v. g. *Cur intellectus et voluntas realiter eadem ſunt?* Ratio Negativa eſt: *Quia nulla eſt ratio diſtinguendi inter intellectum et voluntatem. Cur non dantur plures Enunciationes Compoſitae, quam Copulativae et Diſjunctivae?* Reſpond. *Quia nulla eſt neceſſitas admittendi alias.*

3. In Foro Favorabilia occurrunt multa; hinc et Rationes Negativae, et Praeſumptiones ibidem multae ſunt. *Cur Reus eſt innocens? Quia non probatur eſſe nocens; Cur non valet Exceptio? Quia non oſtenditur valere; Cur Poſſeſſio eſt bonae fidei? Quia non probatur mala fides; etc.*

4. Extra Favorabilia, in odioſis nempe vel neutris, abſurdum eſt uti Ratione Negativa; v. g. *Cur ex Vero non poteſt ſequi Falſum?* abſurda ratio eſt: *Quia non oſtenditur poſſe.* Potentia enim non debet probari, ſed ſine probatione praeſumitur, quouſque non probatur impotentia. Sic etiam in Foro: *Cur eſt nocens? Quia non probatur quod ſit innocens*, abſurdum et iniquum eſt.

5. Ratio Poſitiva eſt ſimpliciter Ratio, ſeu Ratio quae non eſt Negativa; v. g. *Cur ex Falſo poteſt ſequi Verum?* reſpond. *Quia quod falſum eſt poteſt pro aliqua ſui parte verum eſſe.* Nota tamen, quod Ratio poſitiva bene poſſit eſſe Enunciatio negativa; v. g. *Cur non ſtat? Quia non poteſt ſtare*, poſitiva ratio eſt, etiamſi ſit Enunciatio negativa. Ratio enim non cenſetur negativa, niſi in hoc tota ſit, *Non eſſe rationem pro oppoſita parte.*

6. Ratio Negativa non eſt proprie ratio, ne quidem in favorabilibus, ubi tamen ſuo modo valet; quia non bene redditur ad quaeſtionem *Cur ſit?* ſed potius ad quaeſtionem *Cur praeſumendum ſit?* V. g. *Cur reus eſt innocens?* in hanc quaeſtionem non bene quadrat: *Quia Actor non probat*; ſed ea reſponſio potius in hanc Quaeſtionem quadrat: *Cur reus praeſumitur innocens?* nec enim ideo eſt innocens, quia Actor non probat, ſed ideo praeſumitur innocens.

7. Ratio Positiva Assensum conciliat Subjecto quaestionis seu suae Ratae; Ratio Negativa Praesumptionem parit Subjecto quaestionis. Quae Praesumptio in eo consistit, quod etiam citra assensum, ita tamen agamus circa Propositionem, ac si assensum praestitissemus. V. g. Judex ex Ratione Negativâ, Actore scilicet non probante, non potest moveri ad assensum istius Propositionis: *Reus est innocens* (hîc enim ei, stante solâ ratione negativâ, tam dubia est, quam ista: *Arenae maris sunt numero pari*); ita tamen agit ac si assentiretur; hinc et Reum absolvit, et Actorem multat.

Caput VI.

De Ratione Internâ et Externâ.

1. Ratio interna est, quae sequitur ex Subjecto quaestionis, seu ex Rata; v. g. *Cur Corpus est divisibile?* respond. *Quia Corpus est extensum*; sequitur enim: *Corpus est divisibile, ergo Corpus est extensum*, ex Ratâ Ratio. Nota vero, cum Ratio et Rata sunt Enunciationes negativae, etiam Rationem censeri internam, quando Contradictoria Rationis sequitur ex Contradictoria Ratae; v. g. *Cur lapis moto suo non defatigatur?* respond. *Quia non potest defatigari*, aut *Quia non est animal*, Interna Ratio est; non sequitur tamen: *Non defatigatur, ergo non potest defatigari*, neque: *Non defatigatur* (actu scilicet), *ergo non est animal.*

2. Ratio Externa est, quae non sequitur ex Subjecto quaestionis; v. g. *Cur graviora non semper per aëra celerius labuntur minus gravibus?* respond. *Quia constat Experientiâ; et ad oculum videmus crustam panis simul cum plumbo multi ponderis e manu hominis stantis in pavimento demissa, simul etiam ad pavimentum pertingere.* Haec Ratio est Externa, quia non sequitur ex Subjecto quaestionis; haec enim consequentia nulla est: *Ita est, ergo ita esse constat Experientiâ.*

3. Ratio Externa dividitur in Teſtimonium et Experientiam. Teſtimonium eſt aſſertio, quâ quis aſſerit certam Propoſitionem, ſeu dicit illam Propoſitionem eſſe veram. Fitque Ratio ſui generis, cum ad quaeſtionem *Cur eſt?* reponitur; v. g. *Cur Mundus eſt ab aeterno?* reſpond. *Quia Ariſtoteles ſic dicit.* Ut Teſtimonium in ſuo genere ſit bona Ratio (abſolute enim non eſt bona Ratio, ut ſtatim patebit), requiritur peritia et probitas Teſtantis ſeu Teſtimonium perhibentis; bonus videri debet, ne videatur decepturus; peritus videri debet, ne exiſtimetur ipſe deceptus eſſe; utrumque fidem dictis ejus derogabit, ſi aut decipere velle videatur, aut ipſe deceptus eſſe credatur. Hae duae condiciones, Probitas inquam et Peritia, cum penes aliquem manifeſte reperiuntur, dicimus eum habere Auctoritatem.

4. Experientia eſt perceptio Senſus circa aliquam Propoſitionem. Ut Experientia, qua experimur Aloëm ventrem ſubducere, ferrum ad Magnetem accedere, Aeſtus maris a Luna pendere, etc. Fit ratio ſui generis, cum ad quaeſtionem *Cur eſt?* reponitur. Ut Experientia in ſuo genere ſit bona Ratio, requiritur Senſus conſtans, et verae Rationi non contrarius. Conſtans quidem, quia ſemel iterumve deprehendiſſe ſenſu non facit fidem, cum ſenſus facile decipiatur; v. g. *Poſt ſumptum hoc pharmacum aeger convaluit*, non eſt ſufficiens Experientia, ut hoc pharmacum iſti aegritudini pellendae commendetur; ſed demum ſi ſaepius et conſtanter aegri liberentur. Requiritur etiam ad legitimam Experientiam ſenſus Rationi non contrarius; quia cum Senſus contradicit Rationi, quantumvis ille ſit conſtans, non fundat legitimam experientiam. V. g. cum oculus fuſte percutitur, Senſus ſatis conſtanter obſervat ſcintillas; non licet tamen ideo dicere quod Experientiâ conſtet, eo caſu ſcintillas circa oculum diſpergi; huic enim Ratio reclamat; ſed hoc tantum conſtat experientiâ, talem fieri eo caſu perceptionem, qualis ſolet a ſcintillis excitari. Similiter aſtra omnia, excepto Sole et Lunâ, valde exigua et flammulis candelarum noſtrarum

non abſimilia demonſtrat Senſus admodum conſtans; ipſum Solem et Lunam lancibus menſae non multo majores. Hae ſenſus noſtri perceptiones non faciunt Experientiam, quia Ratio iis adverſatur.

5. Ratio externa non eſt vera Ratio, quia ad Quaeſtionem *Cur eſt?* non apte reponitur. V. g. *Cur acus in pyxide nautica jugiter ſe vertit ad Septentrionem?* Reſpondes: *Quia conſtat Experientiâ, et ipſe ſaepius vidi.* Mala reſponſio; non enim ideo ſic erat, quia tu ſic vidiſti, ſed contra tu ſic vidiſti, quia ſic erat, ſi modo recte videris. Et ſimiliter: *Cur Mundus eſt ab aeterno?* Inepta reſponſio: *Quia Ariſtoteles hoc dixit*; nec enim ideo ab aeterno eſt, quia ipſe hoc dixit, ſed quia ab aeterno eſt, ideo dixit ab aeterno eſſe; ſi modo ſat bonus et ſat peritus hoc dixerit, ſi nec decipiat hoc dicens, nec ipſe decipiatur.

6. Ratio interna fulgorem praeſtat ſuae Ratae; Ratio externa caliginem quidem ei non affundit, ſed nec diſpellit. Res enim nobis veluti contectae ſunt, et ſpiſſis tenebris involutae, antequam lumen verae Rationis acceſſerit. Interim Externa Ratio, cum ipſa ſatis valida eſt in genere ſuo, gignit etiam aſſenſum ſatis firmum erga Subjectum quaeſtionis, ſeu erga Ratam.

Caput VII.

De Ratione Adaequatâ et Inadaequatâ.

1. Ratio adaequata eſt Ratio reciproca cum Ratâ, id eſt, poſitâ Ratâ ponitur Ratio, et contra. V. g. *Cur Corpus eſt diviſibile?* Reſpond. *Quia eſt extenſum*; recte enim ſequitur: *Diviſibile eſt, ergo extenſum eſt*, et contra. Ex quo patet, Rationem Adaequatam ſemper etiam internam eſſe.

2. Inadaequata Ratio eſt, quae non eſt reciproca cum Subjecto quaeſtionis. Eaque vel Latior eſt vel Strictior. Ratio

Strictior eſt, quae infert Subjectum quaeſtionis, ſed ab eo non infertur. V. g. *Cur laſſus eſt? Quia vehementer cucurrit*; ſequitur enim: *Vehementer cucurrit*, *ergo laſſus eſt*, ſed non ſequitur: *Laſſus eſt*, *ergo cucurrit*, cum et bajulando et ſaltando aut equitando feſſus eſſe poſſit. Ratio Latior eſt, quae infertur a Subjecto quaeſtionis, ſed ipſum non infert. V. g. *Cur feſſus eſt? Quia egit*, aut *Quia eſt animal*, aut *Quia defatigabilis erat*; recte enim ſequitur: *Feſſus eſt*, *ergo egit*, aut *ergo animal eſt*, aut *ergo defatigabilis erat*, ſed *Egit*, aut *animal eſt*, aut *defatigabilis eſt*, *ergo defatigatus eſt*, nulla Conſequentia eſt.

3. Ratio Diſparata non datur. Si enim interrogatus *Cur laſſetur?* reſponderis: *Quia albus eſt*, aut *Quia ingenioſus eſt*, Fatuam Rationem reddere videris; cum tamen Rationes Inadaequatae, licet non ſint omnino verae Rationes, non tamen eo uſque malae ſunt, ut fatuae dici poſſint; ſed quadrant aliquatenus in quaeſtionem *Cur?* et in ſuo genere bonae ſunt. Attamen hoc non eſt inconveniens: *Cur feſſus eſt? Quia cucurrit*; cum tamen diſparata videantur *fatigari* et *cucurriſſe*. Sed ſi bene attendas, videbis hîc reddi Rationem Strictiorem; quia quod ordinarium eſt in ea conſideratur; ordinarium autem eſt, ut currens defatigetur: adeoque ordinariâ ſaltem lege ex Ratione hîc ſequitur Rata, quamvis non contra. Cum Diſparata Ratio ſit Fatua, ſtultior adhuc erit Ratio Repugnans; v. g. *Cur non ſentit? Quia eſt animal.*

4. Inadaequata Ratio abſolute non eſt bona Ratio; quia rigide loquendo, non recte quadrat in quaeſtionem *Cur?* Nec enim ideo feſſus eſt, quia defatigabilis erat, multi enim defatigabiles ſunt et non feſſi; ſimiliter nec ideo ſimpliciter feſſus eſt, quia cucurrit, ſed ideo tantum currendo-feſſus eſt. Ratio Inadaequata paſſim etiam non tam Ratio vocatur quam Condicio; et Ratio quidem latior *Condicio-ſine-qua-non*, Ratio autem ſtrictior *Condicio-cum-qua-ſic* vocatur; ut *Animal eſſe* eſt Condicio-ſine-qua-non *Defatigationis*; et *Currere* eſt Condicio-

cum-qua-ſic *Defatigationis.* Ratio Strictior ſecundum ſe etiam non eſt Interna, ſed tantum ex genere ſuo; non ſequitur enim ſecundum ſe ex Subjecto Quaeſtionis, ſed tantum ſecundum genus ſuum; non ſequitur enim *Feſſus eſt*, *ergo cucurrit*, ſed *Feſſus eſt*, *ergo vehementer exercuit*, cujus vehementis exercitii ſpecies quaedam eſt curſus.

Caput VIII.

De Ratione a Priori et a Poſteriori.

1. Ratio-a-Priori eſt Ratio quae aſſignatur per Terminum priorem in Ordine Logico; id eſt, Subjectum Rationis Subjecto Ratae, aut Praedicatum Praedicato, Logice prius eſt. V. g. *Cur Materia eſt in Subjecto? Quia Eſſentia eſt in Subjecto; Eſſentia* enim eſt prior *Materiâ*, cum ſit Superius *Materiae.* Item *Cur lapis non fatigatur? Quia non eſt animal*; *Animal* enim prius eſt *Fatigato* tamquam Eſſentia, Proprietate dimanante ex illâ Eſſentiâ, aut tamquam Actu iſtius proprietatis, ſi nempe *Fatigatum* actu intelligas.

2. Ratio-a-poſteriori eſt quae aſſignatur per Terminum poſteriorem in Ordine Logico. V. g. *Cur poteſt ſtare? Quia ſtat*; *Stans* enim poſterius eſt *Potente ſtare*, ut ſupra videre potes. Item, *Cur Corpus infinite extenſum? Quia infinite diviſibile eſt*; *Diviſibile* enim poſterius eſt *Extenſo* tamquam Proprietas Differentiâ ex qua reſultat.

3. Petes: qualis eſt Ratio data per integram Definitionem; v. g. *Cur A eſt Eſſentia? Quia A eſt Praedicatum in Subjecto.* Item: *Cur Petrus eſt homo? Quia eſt animal rationale.* Reſpondeo, hanc rationem gratiâ ſuarum partium eſſe a priori; gratiâ ſui totius nec a priori, nec a poſteriori, imo nec rationem eſſe, ſed idem. Quatenus igitur Definitio ſeorſim ſuas partes, Materiam inquam et Formam, applicat alicui, eatenus eſt Ratio

Definiti; ſed quatenus illas conjunctim applicat, idem eſt cum Definito. Et Definitio quidem etiam ſubinde *Ratio* dicitur. Veluti cum dicimus: *Habet rationem Eſſentiae*, *Habet rationem Praedicati*, *etc.*, quod perinde eſt atque Definitionem Eſſentiae, Praedicati, etc. ei competere.

4. Ratio-a-Poſteriori non eſt proprie dicta Ratio, quia non dicit *Cur ſit*, ſed *Quod ſit.* V. g. *Stare me* non dicit *Cur ſtare poſſim*, ſed tantum dicit *Quod ſtare poſſim.* Ratio-a-poſteriori dividitur in Inductionem et Indicium. Inductio eſt Ratio-a-poſteriori aſſignata per omnes Species Generis in Ratâ expreſſe vel implicite contenti; v. g. *Quare Extrema Argumenti debent eſſe Enunciationes?* reſpond. *Quia et Antecedens debet eſſe Enunciatio, et etiam Conſequens debet eſſe Enunciatio*; ibi enim in Ratâ Genus eſt *Extremum Argumenti*, cujus omnes Species adferuntur in Ratione, nempe *Antecedens* et *Conſequens.* Item: *Cur Terminus Definiens et Definitus debent Converti?* reſpond. *Quia nec Subalterni eſſe poſſunt*, *nec Diſparati*, *nec Repugnantes*; ibi enim in Ratâ implicite ponitur Genus iſtarum Specierum, quae enumerantur in Ratione; inſinuat enim Quaeſtio, quod Definiens et Definitus non poſſint ſe habere alio modo quam ut Convertibiles; ubi *Alio modo* importat Genus omnium reliquorum modorum. Igitur Inductio non ſpectat principaliter ad Argumenta, ut vulgo perſuaſum habent; transfertur tamen ſecundario etiam ad Argumenta ſeu Ratiocinationes; ſicut generatim omnes Rationes, ſeu proprie dictae ſeu analogicae, eo transferuntur, ut infra patebit.

5. Indicium comprehendit quamlibet Rationem-a-poſteriori diſtinctam ab Inductione. Et ſub eo primo loco occurrit Exemplum; quod eſt Ratio-a-poſteriori aſſignata per unam tantum Speciem Generis in Rata contenti, v. g.: *Cur ex Falſo poteſt ſequi verum?* reſpond. *Quia v. g. Sum bos eſt falſum; et tamen ex eo ſequitur hoc verum: Sum ens*; ibi enim una tantum Species ſeu unum tantum Subalternatum *Falſi verum inferentis* depro-

mitur. Exemplo tantum locus eſt, cum Rata continet Potentiam, aut Genus particulariter ſumptum. Cum autem Rata continet neceſſitatem, aut Genus diſtributum, utendum eſt Inductione. Unde :*Cur Definitio debet eſſe convertibilis?* reſpond. *Quia v. g. iſta Definitio: Homo eſt animal rationale, eſt convertibilis*, valde manca et inepta reſponſio; eſto enim, haec Definitio ſit convertibilis; unde conſtat, nullam alibi eſſe, quae convertibilis non ſit? Et diſtinguendum magnopere inter Exemplum ut Exemplum, nempe quatenus ſpectat ad Secundum Inſtrumentum, ac inter Exemplum quatenus eſt quaedam Ratio-a-poſteriori. Et quidem Exemplum qua tale non male ſubnectitur Propoſitioni Univerſali, in qua Genus diſtribuitur. V. g.: *Definitio debet eſſe convertibilis; ſic v. g. iſta Definitio: Animal rationale, convertitur cum Definito ſuo, nempe Homine*, non eſt ineptus ſermo; ſed tunc demum ineptit Exemplum, cum iſto caſu locum Rationis affectat, et ad quaeſtionem *Cur?* reſponderi ſe ſinit; non vero cum tantum velut Materia incorporandae Propoſitioni ſubjicitur.

6. Secundo loco ſub Indicio reperitur Argumentum, ſed aliâ ſignificatione quam qua *Parte* 3. *ſect.* 1. *cap.* 1. et deinceps a nobis uſurpatur. Eſt igitur Argumentum hîc Ratio-a-poſteriori aſſignata per Actum, cum Rata contineat Potentiam, aut per Proprietatem, cum Rata contineat Eſſentiam, aut per Proprietatem poſteriorem, Ratâ continente priorem. Sic *Sto* arguit (id eſt, Argumentum eſt) *Me ſtare poſſe.* Et, quod *Corpus diviſibile ſit*, arguit, *Corpus extenſum eſſe.* Et, quod *Palpabile ſit*, arguit, ipſum *Reſiſtere et Impenetrabile eſſe.* Argumentum, quoad primum Membrum, ſaepe participat cum Exemplo.

6. Quamvis autem Ratio-a-posteriori non ſit proprie dicta Ratio, communicat tamen cum genuina Ratione in iſta excellenti Proprietate: *Probat*, et non minus invincibiliter probat, quam vera Ratio. Unde et nos ea ſaepe ſaepius uſi, ut *Parte* 2. *ſect.* 2. *cap.* 4. *n.* 3. 4. 7. 8. 9. 10. 11., ubi Exemplis et Indiciis jugiter utimur loco Rationis; et *n.* 3. breviter oſtenditur,

Indicia et Exempla iſtis caſibus ſufficere ad demonſtrandum. Inductione etiam ſaepe uſus ſum, praeſertim *Parte* 3. *ſect.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. et ibidem *cap.* 10. *n.* 3., *etc.*

Caput IX.

Prima Proprietas Rationis.

1. *Ratio illuſtrat.* Habet enim Ratio maximam analogiam cum Lumine; cum citra Rationem omnio nobis ſint obſcura et velut in denſiſſima nocte conſtituta. Unde apud omnes cujuſcunque condicionis homines haec audias, non videre ſe, obſcurum ſibi eſſe quod dicitur, quamdiu rationem non intelligunt ejus quod dicebatur; quam ſimul atque perceperint, clarum jam ſibi eſſe, jam ſe conſpicere dicunt id de quo ſermo fuerat; et ſi, quod ſibi ratione factum eſt clarum, alii adhibitis iiſdem rationibus non intelligant, ajunt eos caligare aut etiam coecos eſſe.

2. Et quidem Ratio propriiſſime illuſtrat. Caetera enim Inſtrumenta aut explicando (velut Definitio et Diviſio) aut incorporando (velut Exemplum) illuſtrant; quod ſane non eſt proprie illuſtrare, ſed dumtaxat occaſionem praebere ut illuſtretur. Cum enim v. g. tapetem, qui complicatus fuerat, evolvimus, aut aeri inciſam imaginem injecto atramento chartae imprimimus, tantum ponimus condicionem ut illuſtretur tapes aut imago a lumine circumfuſo; non autem aut ipſo colluſtramus, aut condicio illa colluſtrat. Sic etiam Inſtrumenta incomplexa non illuſtrant proprie, ſed ſunt condiciones extrinſecae, quibus poſitis naturaliter ſuccedit illuſtratio ſeu declaratio Subjecti circa quod adhibentur; Ratio vero illuſtrat proprie tamquam ipſa lux affuſa et infuſa Propoſitioni quam dictat.

3. Ex quo patet, hanc eſſe primam Proprietatem Rationis; Rationi enim proprie competit, nec datur ratio cur ei competat, ſicut non datur ratio cur lux luceat et illuſtret, niſi ratio

eminens. Caeteris vero Inſtrumentis illuſtrare competit improprie, ut jam proxime declaratum eſt; et ex ratione competit; ideo enim Definitio et Diviſio illuſtrant, quia explicant; ideo Exemplum illuſtrat, quia incorporat, et craſſum ac palpabile reddit.

4. Haec Proprietas principaliter competit Rationi verae. Rationes enim improprie dictae non illuſtrant; velut Ratio externa, Ratio negativa, Ratio inadaequata latior non illuſtrant, Inadaequata ſtrictior ſubinde non nihil illuſtrat, quia ſubinde continet in ſe veram rationem aut cauſam ſicut Antecedens ſuam concluſionem; Ratio-a-poſteriori, quando caeteroqui bona eſt, ſatis etiam illuminat, niſi quod tergum quodammodo et non faciem irradiet. Cauſa etiam, quamvis non ſit proprie ratio, proprie tamen illuſtrat, nec hac in parte cedit Rationi. De Cauſa mox ſequetur.

Caput X.

Secunda Proprietas Rationis.

1. *Ratio probat.* Probat conciliando aſſenſum Propoſitioni per ipſam Ratae ac dictatae, idque ſuo merito.

2. Quid ſit Aſſenſus, non debet dici niſi per Exemplum. Si in animo et ex animo tecum dixeris *Duo et tria ſunt quinque*, jam aſſenſum praebuiſti iſti propoſitioni: *Duo et tria ſunt quinque.* Aſſentiri alicui propoſitioni a parte rei eſt dicere quod illa propoſitio ſit vera; dicere, inquam, in animo et ex animi ſententia. Aſſenſui opponitur Diſſenſus; et diſſentiris v. g. iſti propoſitioni: *Duo et tria ſunt ſex*, ſi tecum ex animo dixeris, non ita eſſe, ſeu falſum id eſſe.

3. Hinc dimanant iſtae Proprietates: 1. *Manifeſte vero aſſentiri poſſumus, diſſentire non poſſumus*; v. g. huic: *Duo et tria ſunt quinque*, aſſentiri perfacile; diſſentire, quidquid conemur,

impoſſibile eſt; quamvis quidem ore tenus negare poſſimus illam Propoſitionem, ſed hoc non eſt ei diſſentire. 2. *Manifeſte falſo diſſentire poſſumus, aſſentiri non poſſumus*; v. g. huic propoſitioni: *Duo et tria ſunt ſex*, diſſentire perfacile, ſed aſſentiri penitus impoſſibile. 3. *Dubio nec aſſentiri poſſumus nec diſſentire*; v. g. huic: *Arena maris ſunt numero pari*, nec aſſenſum nos praeſtare poſſe nec diſſenſum, ſed haerere, et inter utrumque librari, quam clariſſime ſentimus in nobis ipſi. Et quidem quod dubium eſt, poſſumus opinari, dum intra limites dubii magis ad verum accedere videtur, adeoque *Veriſimile* vocatur aut *Probabile*; ſed tamen abſolute non poſſumus aſſentiri; opinari enim eſt infirmiter aſſentiri, id eſt propendere et inclinari in aſſenſum, necdum tamen aſſentiri.

4. Ratio non hoc ſolo probat, quod aſſenſum conciliet Propoſitioni ratae, ſed hoc etiam quod digna ſit aſſenſu, ſeu aſſenſum iſtum mereatur Propoſitioni a ſe dictatae. Alioqui Captio etiam ſeu Captioſa ratio conciliat ſaepe aſſenſum ſubjecto quaeſtionis; tunc tamen non cenſetur probare, ſed decipere, quia aſſenſum, quem conciliat, non meretur Subjecto quaeſtionis; adeoque ille aſſenſus *Error* vocatur; v. g. *Cur civitates A et B ſunt aequales?* reſpond. *Quia habent aequales circuitus*. Vulgus ob hanc rationem aſſentitur ſubjecto quaeſtionis; ſed ratio non meretur illum aſſenſum, adeoque vulgus ob rationem illam aſſentiendo Errat; et ſic ratio iſta non probat, ſed imponit vulgo.

5. Non ſola Ratio probat, ſeu merito conciliat aſſenſum Propoſitioni ratae. Sed etiam Ratio externa, praeſertim Experientia, conciliat ſaepe firmum aſſenſum Subjecto quaeſtionis. Idem praeſtat Ratio-a-poſteriori, quae in probando certe non cedit Rationi-a-priori, quamvis in illuſtrando primas ei deferat. Ratio inadaequata latior nihil probat. Probat ſaepe Ratio ſtrictior. Nihil denique Ratio infirma, Negativa, aut Mala probant. Sed Negativa Praeſumptionem, Infirma Opinionem

conciliat Subjecto quaeftionis; jam autem nec Praefumptio nec Opinio funt affenfus. Ratio mala fubinde conciliat affenfum; eo tamen non probat, fed decipit ac in errorem ducit, ut dictum eft.

6. Omnis tamen Ratio proprie dicta probat; adeo ut cum alium in finem petimus *Cur?* quam ut nobis probetur Subjectum quaeftionis, refponfio ad iftam quaeftionem exuat naturam Rationis, et potius jam Caufa fit. Atque adeo illo cafu non tam proprie petimus *Cur?* quam *Unde?* Velut: *Unde Eclipfis in Luna?* refpond. *Ab interpofita Terra inter Solem et Lunam*; melius inquam ibi petitur *Unde?* quam *Cur?* quia probari nobis non petimus Eclipfim, cum de eâ nullum fit dubium, tamquam de re fenfui manifeftâ; quapropter refpondens non tam proprie Rationem cur fit Eclipfis, quam Caufam unde fit Eclipfis reddere cenfetur.

7. Atque hinc fit, ut Contingentium non detur proprie Ratio; quia non petimus illa nobis probari, cum vel fenfu pateant vel omnino nos lateant. Cum fenfu patent, non petimus ea probari, quia hoc fruftra foret; v. g. nemo petit fibi probari ventos, nimbos, fulmina, aeftus maris, dierum noctiumque viciffitudines, incrementa ac decrementa Lunae, Eclipfes, etc., cum fatis ifta videat quilibet; fed unde fint, naturaliter quaerimus; adeoque Caufam hîc quaerimus et non Rationem, proprie fcilicet loquendo; Caufa enim ficut admodum affinis eft Rationi, ita faepe etiam nomine Rationis fe ingerit.

Caput XI.

Tertia Proprietas Rationis.

1. *Ratio militat.* Militat pro Ratâ fuâ, et in Contradictoriam fuae Ratae. Militia ejus maxime confiftit in eo, quod conciliet diffenfum Contradictoriae Propofitionis quam ipfa Ratio dictat-

Unde Ratio eâdem operâ, qua probat, etiam militat; Aſſenſus enim unius et Diſſenſus alterius Contradictoriam aequivalent, et in re quodammodo idem ſunt (ſicut dicere: verum eſt *Sto*, et dicere: falſum eſt *Non ſto*, idem ſunt in re); atqui probando Ratio conciliat aſſenſum propoſitioni Ratae; ergo et diſſenſum Contradictoriae ejuſdem Ratae, quod eſt Militare hîc.

2. Oritur interim hîc Diviſio Rationis in Directam et Indirectam. Directa Ratio eſt, quae principaliter probat (ita ſcilicet, ut ſecundario tantum et velut ex accidenti militet). Indirecta Ratio eſt, quae principaliter militat (ita nempe ut ſecundario tantum probet). V. g. *Cur ex vero nil niſi verum?* reſpond. *Quia verum non poteſt dicere quidquam falſi, ſed quidquid dicit, verum ſit neceſſe eſt.* Haec ratio directa eſt, et principaliter probat Subjectum quaeſtionis. *Cur ex vero nil niſi Verum?* reſpond. *Quia alioqui Verum diceret aliud quidpiam eſſe Verum, quod tamen non foret verum; hoc autem eſt impoſſibile.* Haec Ratio indirecta eſt et principaliter militat; hoc enim principaliter agit, ut evertat Contradictoriam Ratae, oſtendendo nempe quod ex Contradictoria Ratae ſequatur impoſſibile; quo oſtenſo concidit illa Contradictoria, juxta Principium Logicum *Falſum non niſi ex falſo.*

3. Ratio Indirecta ordinarie conjicitur in Syllogiſmum Hypotheticum Indirectum, quem et ideo *Indirectum* vocavi; v. g. *Si ex Vero ſequeretur aliquid quod non eſſet Verum, jam Verum diceret aliquid eſſe Verum, quod tamen non eſſet Verum; ſed poſterius eſt abſurdum, ergo et prius.* Ratio Directa nititur iſto Principio Logico: *Ex vero nil niſi verum*; Ratio Indirecta iſto: *Falſum non niſi ex falſo.*

4. Rationis Indirectae frequens uſus eſt in Mathematicis diſciplinis; incipitque in earum Demonſtrationibus hac formulâ: *Si enim non credatur etc.*

Caput XII.

Quarta Proprietas Rationis.

1. *Ratio convincit.* Nempe fortiter inclinando nos in aſſenſum Propoſitionis ab ipſa dictatae. Eâdem igitur operâ, qua probat et militat, eâdem inquam operâ nos convincit. Et quidem fortiſſime convincit. Quidquid imponant hominum Teſtimonia, quidquid urgeant Experientiae, quidquid ſtatuat Praeſumptio, quidquid ſuadeant Conjecturae, circumveniant Fallaciae; his omnibus potentior eſt vel unica non fucata Ratio.

2. Vincit autem haec omnia ſola Ratio, tum conciliando tum profligando. Experientias ſaepe conciliat Ratio, et inter ſe et ſecum, id eſt, cum ipſa Ratione. Caetera ſibi adverſa, velut Praeſumptionem, Teſtimonia, Conjecturam et Captiones profligat; nec plus illa valent affulgente Ratione, quam tenebrae ſub dio deprehenſae valeant adverſus orientem Solem.

3. Experientiam conciliat ſecum. Videamus in Exemplo. Ratio dictat, *Corpus a Corpore penetrari non poſſe*; Experientia videtur oppoſitum ſuadere. Nam cyathus cineribus repletus tantundem ferme admittit aquae quam vacuus; quod ſic videbis: Cyathum aquâ reple, mox eandem aquam effunde in ſcyphum vacuum; tum cyathum probe deterſum reple cineribus per cribrum antea tranſmiſſis; tum aquam e ſcypho ſenſim affunde; totam pene bibet. Hîc Experientia Rationi adverſari videtur; ſed eam Ratio in Phyſicis ſecum conciliat.

4. Experientias inter ſe conciliat. Videamus in Exemplo. Plumbum et lignum ſimul demiſſa ex feneſtra domus, ſi ſoluta ſint, ſimul ad terram pertingent; ſi interjecto bacillo colligentur, praecedit plumbum. Has Experientias, quantum apparet, inter ſe diſſidentes, Ratio conciliat. Item, ſi in ſitula aquam continente plumbum ex funiculo ſuſpenſum ita demergas, ut nec fundum nec latera tangat, gravior fiet ſitula; ſed multo gravior fiet ſi lapidem, qui ſit cum iſto plumbo aequalis ponderis,

eodem modo e manu ſuſpenſum demergas (quod ſtaterâ, ſi vis, expendere potes; ita enim invenies, ut dixi). Haec et infinita ſimilia ſunt in Phyſicis praeſertim Diſciplnis, quae Rationi conciliare incumbit.

5. Atque inde patet, Experientiam dignitate quam proxime accedere ad Rationem (ſub Ratione hîc etiam comprehendo Rationem-a-poſteriori, nempe Inductionem et Indicia). Utpote quam Ratio nunquam a ſe repellit, cum legitima eſt, nec hoſtiliter profligat, ut caetera ſibi adverſa; ſed amice conciliat ſibi, tamquam egregium ſub ipſâ militem; ſed nempe ſub ipſâ. Cum Teſtimonio (hominum nempe, de eo enim loquor) non tam benigne agit Ratio; ſed ubi hoc illi adverſum fuerit, ſit quantumvis legitimum, et uſu atque conſenſu firmatum, Ratio tamen illud evertit, et auctoritatis vel in partem vel in ſolidum apud alios diſpendio multat Teſtantem.

6. Quatuor ſunt adhuc Proprietates Rationis, quae vim ſuam principaliter exſerunt in Animum, ſicut, quae praeceſſerunt, in Mentem; quas curſim appono: 1. *Quietat*; 2. *Delectat*; 3. *Paſcit*; 4. *Satiat.* Quietat Ratio (ubi cum Ratione etiam Cauſam comprehendi volo); Animus enim irrequietus, donec Rationem inveniat. Cum enim etiam Experientiâ certi ſumus eſſe, non ibi ſiſtimus, ſed naturaliter cur ſit inquirimus. Certum Experientiâ eſt, ferrum accedere ad Magnetem; non acquieſcimus, ſed inſtamus: *Cur accedit?* Certum eſt, e pleno vaſe, bene undique obturato, detracto epiſtomio, nihil effluere; centies id vidimus; ſed hoc nihil eſt; quaeritur, *cur nihil effluat?* Et ita jugiter urgemus illud *Cur?* et in quaerendo *Cur eſt?* totum noſtrum Cor eſt. Nihil Animo bono gratum, niſi quod bonae Menti Ratum.

7. Nec jam plura dicam de his effectis. Hoc videbit qui volet, Rationem eſſe veram imaginem Divinitatis, cui cum probe conformamur Animo et Mente, jam bene Rationales, jam boni homines, et quantum nobis datum eſt, Divi ſumus.

Caput XIII.

De Primâ Notione.

1. Prima Notio eft Propofitio neceffaria cujus non eft petenda Ratio. Ut *Ens eft Ens.* Dico *Neceffaria;* quia licet Contingentium non petatur ratio, non tamen primae notiones vocantur.

2. Prima Notio fubinde etiam eft prima Ratio, nempe quando non tantum non petenda eft ejus Ratio, fed neque poteft reddi ulla ejus Ratio praeter ipfam; fic ifta eft prima Ratio: *Ens eft Ens*, quia nec petendum eft cur fit, nec fi petatur, reddi poteft alia Ratio praeter id ipfum quod pofitum erat in quaeftione. Datur vero Prima Notio, quae non fit prima Ratio; ut *Corpus eft Corpus.* Etiamfi enim non debeat peti ratio, fi tamen petita fuerit, reddi poteft *Quia Corpus eft Extenfum.*

3. Objicis: Philofophi dicunt: *Effentiae non datur Ratio.* Refpondeo: dicere volunt: *Non eft danda.* Alioqui iidem dicunt, *Formam effe rationem quidditatis*; id eft, fi aliquid Formam habens affirmetur de Subjecto, Ratio iftius Affirmationis reddi poterit per iftam Formam; adeoque haec juxta eos bona Ratio eft: *Lapis eft Corpus*, *quia lapis eft extenfus*, imo etiam: *Corpus eft Corpus*, *quia Corpus eft extenfum.* Si enim *Quoddam Corpus* (id eft lapis) *ideo Corpus fit*, *quia extenfum eft*, certe etiam *Corpus ideo Corpus eft*, *quia extenfum eft.*

4. Prima Notio apte redigitur in quaedam Capita. Primum Caput contineat Propofitiones effentiales, in quibus nempe Effentia dicitur de fuo Subjecto. Hae femper funt Primae Notiones, quando bene intelliguntur; cum enim Effentia femper fit in Subjecto, tales Propofitiones non nifi identicum aliquod continent; v. g. *Corpus eft ens*, id eft, *Certum illud ens eft ens; Corpus eft extenfum*, id eft, *Res extenfa eft extenfa*; aliud enim non intelligimus per *Corpus* quam *Rem extenfam.* Et fi quis aliud quiddam velit, is non de eadem re loquetur, de qua

nos loquimur et quam nos *Corpus* vocamus, etiamſi eodem nomine aliam illam rem deſignet, quod nihil operatur in ipſa re.

5. Secundum Caput contineat illas Propoſitiones, in quibus prima Proprietas affirmatur de Subjecto Definitionem non admittente; ut *Verum nihil falſi dicit*, *Aequalia coincidunt* (cum ſcilicet unum alteri rite ſuperponitur). Cum enim Subjecta iſtarum Propoſitionum juxta Regulam Definitionis non debeant definiri, primae Proprietates iſtorum Subjectorum ſuccedunt quodammodo in locum Eſſentiae, adeoque conſtituunt Primas Notiones. Et talis farinae ſunt plerumque Communes Notiones quae in Scientiis circumferuntur, ut videre potes in Elementis Euclidis.

6. Tertiam Claſſem facio earum Propoſitionem neceſſariarum, in quibus primum Analogum dicitur de Subjecto; ut *Ratio illuſtrat*, *Exemplum incorporat*, *Aequalia coincidunt.* Licet enim haec ſaepe multum probari et illucidari debeant a poſteriori, antequam rite capiantur, tamen nullâ Ratione-a-priori probari poſſunt; adeoque nulla vera Ratio iſtorum reddi poteſt, aut certe nulla petenda eſt. Plures forte tales Claſſes concinnari poſſunt, a quibus recenſendis abſtineo brevitatis ſtudio.

Caput XIV.

De Ratiocinatione.

1. Ratiocinatio eſt Ratio in Argumentum redacta. Quod fit, cum Ratio loco Antecedentis ponitur (ſaepe etiam adhibitâ applicatione, quae applicatio *Subſumptum* vocatur aut *Minor*), Rata vero loco Concluſionis reſervatur; v. g. *Eſſentia eſt in Subjecto et Accidens tantum conſiſtit loco Praedicati*; *Atqui Subjectum ſenſu prius eſt Praedicato*, *ergo Eſſentia eſt prior Accidente*; ubi applicatio Rationis ſequitur notam *Atqui*, haec enim proprie eſt nota applicationis Rationis, ſeu nota ſubſumpti. Item

Corpus eſt extenſum, *Atqui extenſum eſt diviſibile*, *ergo Corpus eſt diviſibile.* Unde Ratiocinatio ſervat ordinem Naturae, quem invertit Rationis-quaeſtio ſeu Quaeſtio-Cur cum adhibita reſponſione; vide hac Sect. cap. 1.

2. Ex dictis patet, quod omnis Ratiocinatio ſit Argumentum, quamvis non omne Argumentum ſit Ratiocinatio; paſſim tamen confundunt. At ſicut Ratio analogice ſeu cum adjunctis particulis extendit ſe ad Rationem bonam et malam, fatuam et captioſam, firmam et infirmam, etc., ſic etiam Ratiocinatio cum iiſdem particulis dicitur, ac etiam Argumentum. Ita ut hoc pacto loquendo Argumentum Bonum ſeu bona Ratiocinatio ſit quae continet bonam Rationem ſuae concluſionis; et conformiter cenſendum de Argumento Malo, Captioſo, Fatuo, Sophiſtico, Firmo, Infirmo, etc. V. g. hoc eſt Argumentum Plauſibile: *Convenit eſſe varietatem in Univerſo*; *ergo conveniens erat poni dierum et noctium viciſſitudines.* Item *Conveniebat alimentum in promptu eſſe nutriendis infantibus*; *ergo conveniebat lac eſſe in mamillis puerperarum*; ſuggerit enim rationem plauſibilem pro ſuâ Concluſione. Hoc eſt Argumentum Captioſum: *Civitates A et B habent aequales ambitus*, *ergo ſunt aequales*; ſuggerit enim Rationem Captioſam pro ſua Concluſione. Et tali methodo facile conficies Argumenta Poſitiva, Negativa, Firma, infirma, etc. habitis ſimilibus Rationibus.

3. Argumentum Infirmum vocant paſſim *Argumentum Dialecticum.* Argumentum autem Firmum, ſi etiam internum fuerit, vocatur *Demonſtratio*, item *Argumentum Demonſtrativum*, aut *Apodicticum.* Eſtque Demonſtratio aut a priori, aut a poſteriori, prout ſcilicet Rationem-a-priori vel Rationem-a-poſteriori pro ſuâ Concluſione adducit. Quibus addunt Demonſtrationem-per-reductionem-ad-impoſſibile, quae ſcilicet continet Rationem indirectam pro ſua concluſione. V. g. haec eſt Demonſtratio-a-priori: *Corpus eſt extenſum*, *Atqui extenſum eſt diviſibile*, *ergo Corpus eſt diviſibile.* Haec eſt Demonſtratio a poſteriori: *Recte*

ſequitur: Sum bos, ergo ſum animal; Atqui prius eſt falſum, et poſterius eſt verum; ergo ex falſo poteſt ſequi verum. Haec eſt Demonſtratio-per-reductionem-ad-impoſſibile: *Si ex vero ſequeretur falſum, jam verum diceret, quod falſum eſſet verum; Atqui poſterius eſt abſurdum, ergo et prius.*

4. His etiam Dilemma ſubjungo; quod non eſt aliud quam Demonſtratio ex Contradictoriâ Concluſionis; infrequens genus Demonſtrationis ſed fortiſſimum. Ideo autem rarum eſt Dilemma, quia rarum eſt, Propoſitionem aliquam ſequi ex ſuâ Contradictoriâ. Eſtque talis propoſitio ſumme neceſſaria; ſive enim ſit vera, vera eſt, ſive ſit falſa (id eſt, Contradictoria ejus ſit vera), equidem vera eſt. Duo Dilemmata invenies in hoc Libello circa duas primas partes Legis Contradictoriarum *Parte* 2. *Sect.* 2. *cap.* 10. *n.* 3. Mathematici etiam tales aliquas Demonſtrationes exhibent, ſed paucas. Dilemma dicitur a Forma, qua proponi aliquando ſolet; v. g. hoc modo: *Vel Contradictoriae ſunt ſimul verae, vel non ſunt ſimul verae; ſi non ſunt ſimul verae, bene habet; ſi ſint ſimul verae, ergo non ſunt ſimul verae;* quae poſtrema Conſequentia probanda eſt Demonſtratione a nobis exhibitâ loco proxime citato. Atque ea continet nucleum Dilemmatis; cum apparatus ille qui praeceſſit, quique ei nomen dedit, tantum ſit cortex.

Caput XV.

Conſiderationes circa Inſtrumenta.

1. Prima Conſideratio: In Definitione, Diviſione, et Ratione, Subjectum Quaeſtionis Scientificae ſubjicitur etiam in Reſponſione, et Inſtrumentum ſequitur velut ex parte Praedicati. In Exemplo autem is ordo invertitur, et Inſtrumentum ponitur loco Subjecti. V. g. *Quid eſt eſſentia?* reſpond. *Eſſentia eſt*

Praedicatum in Subjecto; ibi Subjectum quaeſtionis, nempe *Eſſentia*, ſubjicitur etiam in reſponſione, Inſtrumento ſeu Termino Definiente poſito ex parte Praedicati. Idem facile apparet in Diviſione. In Ratione vero Subjectum quaeſtionis in Reſponſione non quidem proprie obtinet locum Subjecti, Inſtrumento tenente locum Praedicati (cum ſint Enunciationes), ſed veluti; v. g. *Cur Corpus eſt diviſibile?* reſpond. *Corpus eſt diviſibile*, *quia Corpus eſt Extenſum*; ibi Rata in reſponſione veluti ſubjicitur, et Ratio veluti praedicatur. In Exemplo autem: *Detur Eſſentia*, reſpond. *Homo eſt Eſſentia* (nempe *Hominis albi*), Subjectum quaeſtionis in Reſponſione praedicatur, et Inſtrumentum ponitur loco Subjecti. Et hinc confirmatur ratio analogica Materiae in Exemplo.

2. Secunda Conſideratio: Subjectum Rationis eſt Enunciatio; Subjecta reliquorum Inſtrumentorum ſunt Termini. Etiamſi enim hoc valeat: *Cur calamus?* reſpond. *Ut ſcribatur*, tamen ibi non eſt Ratio, ſed tantum Ratio-ut, ſeu Finis. Si vero reſponderis *Quia convenit ſcribere*, aut idem valet cum praecedenti reſponſione, aut nihil valet; non enim ideo eſt calamus, quia hoc convenit; poſito enim quod aliquid ſit conveniens ſeu bonum, non ideo neceſſum eſt ſuppetere media ad ipſum; ut convenit Daedalum avolare, non ideo ei ſunt alae.

3. Tertia Conſideratio: Ratio continet duo Inſtrumenta, Exemplum et Diviſionem. Cum enim reſponſum fuerit ad quaeſtionem *Quodnam?* aut *Quotuplex?* reſponſio ſubjici debet quaeſtioni *Cur?* alias non eſt Inſtrumentum ſciendi. Itaque duo tantum ſunt Inſtrumenta capitalia, Definitio et Ratio. Imo cum Definitio ſit Eminens Ratio ſui ipſius, merito quis dicat, unum tantum Inſtrumentum eſſe, nempe Rationem. Haec enim, ut vidimus, omnia reliqua Inſtrumenta complectitur. Haec igitur Logicae Objectum eſt, et ab hac *Logica* ſeu *Rationalis* Ars noſtra dicitur.

Caput XVI.

De Sophiſmate.

1. Sophiſma idem eſt quod Argumentum Sophiſticum, id eſt, Argumentum ſuppeditans Rationem Sophiſticam pro ſua Concluſione; v. g. *Petrus necdum amiſit cornua*, *ergo Petrus adhuc habet cornua.* Sophiſmatum ingentem plerique Logici farraginem obtrudunt. Nos tribus hiſce generibus totam Sophiſmatis latitudinem exhauriri exiſtimamus; inquam: Sophiſmate Difformi, Sophiſmate Vago, et Sophiſmate Mimico.

2. Sophiſma Difforme eſt, quod fallit, quia admiſſâ Ratione in uno ſenſu, poſtea ſubſumitur Applicatio, aut infertur Concluſio juxta alium ſenſum Rationis. Fundamentum hujus Sophiſmatis eſt, quod Ratio ejus admittatur juxta Regulam de favendo Veritati *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 8. *n.* 3.; in ſubſumendo autem vel inferendo negligatur Regula de conformitate locutionis *ibid. n.* 4. V. g. *Quidquid non amiſiſti*, *habes*; *cornua non amiſiſti*, *ergo cornua habes*; ubi prima propoſitio admittitur (juxta Regulam de favendo Veritati) in ſenſu commodo, nempe hoc: *Quidquid habuiſti*, *et non amiſiſti aut aliter alienaſti*, *hoc adhuc habes*; poſtea ſubſumitur *Cornua non amiſiſti*, non juxta illum ſenſum primae propoſitionis, ſed juxta alium ejus ſenſum qui rigidus eſt, nempe: *Quidquid non amiſiſti ſimpliciter* (*ſive interim habueris*, *ſive non*), *hoc adhuc habes.* Similiter hîc: *Cornua necdum amiſiſti*, *ergo cornua adhuc habes*, Antecedens juxta Regul. de fav. ver. conceditur in ſenſu rigido; infertur autem Conſequens juxta ſenſum commodum Antecedentis, nempe hunc: *Cornua quae habuiſti*, *non amiſiſti*: nam particula *quae habuiſti* videtur aliquatenus ſubindicari iſtâ particulâ *Necdum.* Tale eſt etiam iſtud Sophiſma: *Cuncti intrant hanc Civitatem per portas*, *ergo magnus Turca intrat hanc Civitatem per portas.* Juxta Reg. de fav. ver. admittitur Antecedens; ideoque Antecedenti datur ſenſus commodus, nempe *Cuncti intrant hanc*

Civitatem per portas, *cuncti*, inquam *qui intrant*; infertur autem Conſequens juxta ſenſum rigidum Antecedentis, ac ſi dictum fuiſſet, quod *Cuncti intrarent hanc Civitatem*, *et quidem cuncti intrarent per portas.*

3. Solvitur Sophiſma Difforme, difformitatem tollendo et Conformitatem ei reſtituendo. His enim rite factis evaneſcit ejus fallacia, et detegitur fatuitas. V. g. *Quidquid habui et non amiſi*, *adhuc habeo*; Concedo Majorem. *Cornua habui et non amiſi*; Nego Minorem pro priori parte. Hîc reponitur conformitas quoad ſenſum commodum. Item: *Cornua necdum amiſi*; Concedo Antecedens. *Ergo cornua adhuc habeo*; Nego Conſequentiam, quia quod non amiſi, habere non debeo, niſi habuerim. Hîc reponitur conformitas quoad ſenſum rigidum.

4. Sophiſma Vagum eſt, quod fallit quia habet fere omnia requiſita ad Argumentum Logicum in certâ ſpecie, ſed re bene examinatâ peccat contra Regulam generalem aut ſpecialem iſtius argumenti. Hoc Sophiſma vagatur circa omnes ſpecies Argumenti Logici. Aliud enim ferme Converſio eſt; v. g. *Mus rodit caſeum*, *ergo caſeus rodit murem*, ſed peccat contra Reg. de integre tranſponendis extremis. Aliud fere Syllogiſmus eſt; v. g. *Omnis homo eſt animal*, *nullum brutum eſt homo*, *ergo nullum brutum eſt animal*, ſed peccat contra Reg. de non proced. a non diſtrib. ad diſtrib. Item: *Omne animal ſentit*, *qui profunde dormit non ſentit*, *ergo qui profunde dormit*, *non eſt animal*, peccat contra Reg. de vitanda Homonymia. Et plura Sophiſmata hujus farinae vide ſupra. Aliud ferme Argumentum a-diviſis-ad conjuncta; v. g. *Hic canis eſt pater*, *hic canis eſt tuus*, *ergo hic canis eſt pater tuus.* Et ſic porro.

5. Solvitur Sophiſma vagum adferendo Regulam e Logica, contra quam peccat. Et nota, quo magis celat vitium ſuum, eo magis Sophiſma eſſe, quale eſt illud: *Omne ſentiens eſt ens*, *ſolum animal ſentit*, *ergo ſolum animal eſt ens.* Item: *Quidquid eſt domi meae*, *eſt Leidae*, *unicus catellus eſt domi meae*, *ergo*

unicus catellus eſt Leidae; quae duo Sophiſmata peccant contra Reg. de non proced. a non diſtrib. ad diſtrib. ex parte majoris extremitatis, quae in Antecedente eſt Praedicatum affirmationis (adeoque ibi non diſtribuitur), in Conſequente autem eſt Praedicatum negationis, ſed tecte, nec patet niſi exponendo Conſequens. Tale etiam eſt iſtud: *Duo et tria ſunt par et impar*, *quinque ſunt duo et tria*, *ergo quinque ſunt par et impar*; quod peccat contra Reg. de cavenda Homonymia; nempe Terminus *Duo et tria* accipitur aequivoce propter particulam *Et*, quae in Majori laxe copulat, et in Minori preſſe.

6. Sophiſma Mimicum eſt, quod ſimulat Argumentum Logicum in certâ ſpecie, ſed re aliquatenus examinatâ immane diſcrepat ab illo. V. g.: *Qui promittit eſt gratus*, *et praeſtans quod promiſit adhuc gratior*, *ergo qui promittit verbera eſt gratus*, *et cum verberat adhuc gratior*; ſimulat enim Argumentum a genere ad ſpeciem, ſed re aliquatenus perpenſâ nulla eſt apparentia, ſed eſt Argumentum a repugnantibus, et proinde nihil valens. *Promittens* enim et *Promittens verbera* non ſunt ſubalterna, ſed repugnantia, cum promittens verbera minime promittat, ſed minetur. Tale eſt etiam iſtud Sophiſma: *Chriſtus eſt agnus*, *ergo Chriſtus eſt beſtia*; videtur enim primâ fronte eſſe Argumentum a ſpecie ad genus; ſed re aliquatenus inſpectâ eſt a repugnantibus, et per conſequens abſurdum; *Agnus* enim et *Beſtia*, etiamſi in proprietate ſint ſubalterna, tamen prout ibi per Tropum ponuntur, ſunt repugnantia.

7. Solvitur hoc Sophiſma larvam ei detrahendo, et reducendo ipſum ad illum locum unde petitum fuerat.

8. Inter Sophiſmata eminet unum, quod ideo ſplendidum vocare ſoleo, nempe: *Quicunque dicit te eſſe animal*, *dicit verum*; *ſed qui dicit te eſſe aſinum*, *dicit te eſſe animal*; *ergo qui dicit te eſſe aſinum*, *dicit verum*. Et licet Sophiſma iſtud in iſtis tantum Terminis circumferri ſoleat, forma tamen ejus communis valde eſt, et infinitas ſimiles nugas admittit. Unde

ſi attendant Sophiſtae, hic iis ubertim nata eſt occaſio quidlibet abſurdi Sophiſtice concludendi. V. g., Probare vis, album eſſe nigrum? Sic perge: *Quicunque dicit, album eſſe coloratum, dicit verum; ſed qui dicit, album eſſe nigrum, dicit album eſſe coloratum; ergo qui dicit, album eſſe nigrum, dicit verum.* Vis probare, ... Sed quid opus eſt plura adferre? cum enim quidlibet ſit ens, de quocunque Sophiſtice inferre poteris, ipſum eſſe quidlibet aliud.

9. Solutionem hujus Sophiſmatis, quotquot adhuc videre datum eſt, infeliciter aggreſſi ſunt omnes, et quidam tam miſere, ut non ſatis ſe vindicent ab illa labe, qua eos denigrat concluſio Sophiſmatis. Quo autem ſolutionem ejus expediamus, Nota, dupliciter aliquem hoc vel illud dicere, nempe Formaliter et Conſequenter. Formaliter aliquid dicere eſt, conceptis verbis aliquid dicere; ſic ille Formaliter dicet, te eſſe animal, qui totidem verbis dicit: *Tu es animal.* Conſequenter aliquid dicere eſt, non hoc ipſum diſertis verbis dicere, ſed eſt dicere Antecedens, ex quo hoc bene ſequatur. Sic qui dicit *Sto*, conſequenter dicit, ſe ſtare poſſe, ſed tamen hoc formaliter non dicit; at formaliter tantum dicit *Sto.*

10. His poſitis, veniat ad criterium Sophiſma. *Quicunque dicit me eſſe animal, dicit verum*; Concedo Majorem, tum juxta Reg. de ſenſu obvio, tum juxta Reg. de favendo verit.; atque ideo hîc fit ſenſus: *Quicunque formaliter dicit, me eſſe animal, ille dicit verum*; non eſt enim neceſſe, ut qui conſequenter hoc dicit, etiam verum dicat. Licet enim verum ſit, me eſſe animal, poteſt tamen verum ex falſo ſequi, adeoque qui conſequenter dicit, me eſſe animal (id eſt, Antecedens aliquod dicit, ex quo ſequatur me eſſe animal), nullatenus neceſſum eſt ut is verum dicat. Atque ita ſatisfactum eſt Majori. Pergamus ad Minorem: *Atqui qui dicit, me eſſe aſinum, dicit, me eſſe animal.* Nego Minorem juxta Regul. de conformitate locut.; ille enim qui dicit, me eſſe aſinum, non dicit formaliter, me eſſe animal,

ſed tantum conſequenter. Si inſtet Sophiſta et velit, in Minori hoc, *dicit me eſſe animal*, intelligi *ſive formaliter ſive conſequenter*, Concedo ei Minorem. *Ergo qui me dicit eſſe aſinum*, *dicit verum*; Nego Conſequentiam. Eſt Syllogiſmus, clamat Sophiſta. Reſpond.: ſunt quatuor Termini; Medius enim Terminus, *Dicens me eſſe animal*, accipitur Homonymôs; in Majori eſt *Formaliter dicens*, *me eſſe animal*; in Minori *Sive formaliter ſive conſequenter dicens me eſſe animal.* Sed importunus eſt Sophiſta. Cape, inquit, in Majori, in Minori, ſive formaliter, ſive conſequenter. Reſpond.: Eſto; teneor enim obedire juxta primam Regulam *Parte* 1. *Sect.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. Acceptionis; ſed jam nego Majorem. Qui enim ſive formaliter ſive conſequenter dicit me eſſe animal, non eſt neceſſe ut is verum dicat.

11. Tandem huc condeſcendo, ut, ſi in praedicto Syllogiſmo per vocem *dicit*, ubique intelligat Sophiſta *Formaliter vel conſequenter dicit*, concedam ei integrum Syllogiſmum, Majorem, Minorem, Conſequentiam, et Concluſionem. Ridet Sophiſta, et jam, inquit, intentum habeo, jam fateris te aſinum eſſe cum caeteris; a qua labe alios non bene ſe expedire cenſebas, eandem et ipſe incurris. Bona, inquam, verba, bona verba. Hic eſt ſenſus Syllogiſmi a me ſic plene admiſſi: *Quicunque formaliter vel conſequenter dicit*, *me eſſe animal*, *is formaliter vel conſequenter dicit verum*; *Atqui*, *qui me aſinum eſſe dicit*, *is formaliter vel conſequenter dicit*, *me eſſe animal*; *Ergo*, *qui me aſinum eſſe dicit*, *is formaliter vel conſequenter dicit verum.* Ecce non fateor, me aſinum eſſe; ſed, qui me aſinum eſſe dixerit, eum formaliter vel conſequenter aliquid veri dicere; quod ſane ita eſt, cum, qui *me aſinum eſſe* dicit, conſequenter dicat *me ſenſitivum eſſe*, *me animal eſſe*, *me ens eſſe*, *etc.*, quae omnino vera ſunt.

APPENDIX.

Methodum tractare non concernit Logicum, ſed aliam aliquam Scientiam, ſecundam a Logicâ, anonymam hactenus, quam circumloquendo vocare poſſemus *Scientiam de Scientiis.* In qua de Notioribus, de Simplicioribus, Facilioribus, de Progreſſu mentis in cognitione rerum, de Gradibus per quos incedit, et offendiculis ac remoris, aliiſque ſimilibus multis tractandum, antequam ratio Methodi legitime conſtet. Tractatum aliquem in hanc Scientiam, Deo dante, brevi faciam publici juris. Auctarii ſaltem loco ex illo Tractatu huc transfero: Cum omnes moneant, in Scientiis nihil omittendum eorum quae dicenda ſunt, Ego hoc moneo, nihil etiam committendum eorum, quae dicenda non ſunt. Ingens hoc Scribentium cacoëthes transformavit omnes ferme Diſciplinas in Rhapſodias. Et malam illam Metamorphoſim potiſſimum debemus communi illi Logicae, quae per Scholas ubique divagatur. Abſtrahant igitur, qui ſcripturi ſunt, et ſecernant Objecta ſua diligenter ab omni colluvione Materiae. Et ut aliquod ſaltem Exemplum habeas legitimae talis Abſtractionis, repete quae dixi *Parte* 3. *Sect.* 3. *cap.* 9. *n.* 2.

FINIS.

DICTATA AD LOGICAM

E COD. SCHOLARUM MS.

PRAEMONENDA.

Logica duplex eſt: Argumentatrix et Ratiocinatrix. Argumentatrix proprie Dialectica, Ratiocinatrix in ſpecie Logica vocatur. Argumentatrix eſt iterum duplex: Inventrix et Indicatrix. Inventrix vel invenit ex alterutrâ praemiſſarum, et vocatur Diſciplina (diſcentium enim eſt, ex praeceptis et cognitis veritatibus novas per Argumentationem elicere), vel ex concluſione, et vocatur Doctrina, item Probatrix. Indicatrix eſt itidem duplex: Indicatrix ſimpliciter, quae dijudicat utrum Argumentum oblatum bonum ſit an malum, et Notatrix, quae vitium inventum oſtendit et notat.

AD PAG. 175:

N. 1. et 2. non proprie ſpectant ad Logicam, ſed referuntur ad Scientiam de Scientiis. Sicut enim datur ſcientia aliqua de virtute (et haec eſt Ethica), item ſcientia aliqua de argumentatione (et haec eſt Logica), item ſcientia aliqua de rebus materialibus (et haec eſt Phyſica), et ſic de caeteris, — ſic etiam datur ſcientia aliqua de ipſis ſcientiis, ubi deſinere, unde incipere debeant; quo tenore, quae tractanda in iis ſunt, diſponi ordinarique debeant. Proinde haec ſcientia praeſcribit etiam Logicae, incipiendum ei eſſe ab Affirmatione, deſinendum in Argumentatione; ſimul quo tenore, quae inter haec interjecta ſunt, exigi debeant, expendit; et ſimilia praeſtat in aliis ſcientiis.

N. 2. Quid ſit Affirmatio non debet dici, et afferuntur rationes duae, ob quas dici hoc non debeat: quia ſc. primum eſt in Logica, et inſuper quia eſt notiſſimum. Nam quod primum eſt in Logica vel

in aliqua aliâ fcientiâ, non debet de eo dici quid fit; fi enim diceretur quid effet, jam non ipfum illud, fed per quod, quid fit, dicitur, primum effet. Sic in Logica fi dicas, quid fit Affirmatio, hoc modo (nam in exemplo non requiritur veritas): *Affirmatio eft arbor cum pomis*, jam non Affirmatio prima erit in Logica, fed Arbor Affirmatione prior erit, et fi, quid fit Arbor, etiam dixeris, jam nec Arbor prima erit, fed id per quod dices, quid fit Arbor, Arbore prius erit. Quod clariffimum eft ex Scientiâ de Scientiis, et vel hìc facile fine demonftratione intelligitur.

Secunda ratio, quare non debeat dici, quid fit Affirmatio, eft quia Affirmatio eft notiffima feu clariffima; ergo non debet, nec poteft declarari; et fi non poffit declarari, non poteft etiam dici quid fit; nam dicere quid fit eft rem declarare, et quidem excellentiffimo modo declarare. Ex his patet, duas effe caufas ob quas aliquando non poffumus dicere quid fit res: 1°. quia res illa eft nimis obfcura (v. g. tirones interrogati, quid fit enthymema, quia ignorant, et nimis obfcurum eft iis); 2°. quia nimis clara et aperta res illa eft, de qua quaeritur quid fit. Sic quilibet interrogatus, quid fit *duo et tria effe quinque*, refpondere non poteft, non quia ignoret, fed quia nimis bene fciat, nimifque ei notum atque clarum fit, et per confequens non poffit amplius declarare; quod tamen faciendum ei erat, fi ad propofitam quaeftionem refpondere aliquid, quod e re fit, decreviffet. Populus tantum agnofcit priorem caufam; fi enim dixeris, non poffe te, quid res aliqua fit, dicere, eo quod ignores, et res illa tibi nimis obfcura fit, feret; fin non poffe te dicere quid fit res, eo quod nimis clara fit, profeffus fueris, explodet, et tanto, inquiet, melius debebas dicere quid fit, quanto tibi clarius eft quid fit. Sed hanc populi repraefentationem facile eludimus regeftâ ei interrogatiunculâ: Quid eft, duo atque tria effe quinque? quidve eft A effe A, etc., quibus quod refpondeant inveniunt nihil, adeoque experientiâ et quafi ipfo tactu convincuntur, poffe rem eoufque claram effe, ut quid fit dici nequeat.

Quando res tam clara eft, tum fieri facile poteft, ut nomen rei obfcurum fit vel ambiguum. Infinita enim eft diverfitas inter rem ipfam et nomen rei; folent tamen tirones et vulgus confundere rem cum nomine fuo. Quod inde factum videtur, quia nominibus inter

loquendum utimur loco rerum, quae tamen minime ideo res ipſae ſunt; ſicut calculi, etiamſi iis inter computandum et ſubducendum pro nummis et ſummis uti ſolemus, minime nummi aut ſummae ſunt. Poteſt ergo ſine dubio facile contingere, ut re quidem clarâ nomen tamen rei obſcurum ſit atque ambiguum. Quod etiam extemplo facile declarari poteſt; nam ſi dictum fuerit: *color leucophaeus*, res quidem nota omnibus (vocatur enim aliter: *color cinereus*), ſed nomen illud multis erit obſcurum. Similiter pueri ſaepe, quod viride eſt, flavum aut rubrum vocant, non quidem in re ipſâ errantes (vident enim colores aeque atque nos), ſed in nomine; non enim ſatis callent idioma maternum. Similiter facile fieri poteſt, et ſit certe, ut cum tironibus Affirmatio ipſa clariſſima ſit, nomen tamen Affirmationis ambiguae ſit illis obſcuraeve ſignificationis.

Cum vero re clara obſcuritas aliqua verſatur in nomine, eximere obſcuritatem illam poſſumus, efferendo primum nomen in alio idiomate; ſic v. g. nomen Affirmationis declarabimus efferendo illud Belgice, ſc. *Verſeeckering*; atque adeo omnis ſententia illa, cui bono ſenſu praefigi poteſt Belgicum noſtrum *ick verſeecker uw*', Affirmatio eſt. Et dico: bono ſenſu, non autem: cum veritate. Haec enim etiam eſt Affirmatio: *Petrus eſt bos*; cui quidem bono ſenſu, ſed nullâ veritate praefigi poteſt Belgicum illud jam dictum.

Secundo poſſumus obſcuritatem nominis illuſtrare afferendo nomen ejuſdem rei in aliâ aliquâ diſciplinâ; et ſic Affirmatio quae apud Logicos vocatur, apud Grammaticos *Indicatio* (inde apud ipſos Indicativus modus) vocanda videtur. Ideoque omnes ſententiae quae ſunt Indicativi modi, et etiam ſolae illae ſunt Affirmationes. Ex quo facile patet, hanc eſſe Affirmationem: *curanda eſt valetudo*; hanc minime: *cura valetudinem*; etiamſi enim duabus hiſce ſententiis res eadem dicatur, non tamen eodem modo dicitur. Alius enim Indicativus (et hic ſolus ad Affirmationem pertinet), alius Imperativus eſt. Quae diverſitas non eſt nullius in Logicâ momenti; inde enim provenit, ut altera iſtarum ſententiarum *vera ſit vel falſa* (nempe quae dicit: *curanda eſt*), altera nec vera nec falſa (quae dicit: *cura*). Et dixi, ſententias ad Indicativum modum pertinentes eſſe Affirmationes; nam verbum *ſum* (cum ſc. verbum ſubſtantivum eſt, et mera nota affirmandi, certe ſe ſolo ſententiam non abſolvit; non vero

cum verbum adjectivum eſt, idemque valet ac *exſiſto*, quo caſu ſententiam integram ſe ſolo abſolvit) non eſt Affirmatio, quia licet Indicativi modi ſit, non eſt tamen ſententia.

Tertio denique manifeſtatur nomen per exemplum aliquod rei ſignificatae per illud nomen. Sic v. g. nomen Affirmationis ſi obſcurum ſit, illuſtrabitur exemplo, et praecipue pluſculis exemplis adhibitis. Afferantur proinde haec: *diſputatur; Petrus eſt doctus; coelum eſt ſerenum; ſto*, etc. Huic adde: ſi affinia quaedam, quae iſto nomine non continentur, in medium protuleris oſtenderiſque, quae ſit horum ab iis quae nomine iſto continentur diverſitas, nomen illud magnopere illuſtraveris. V. g. ſi Affirmationis non tantum exempla afferas, ſed etiam haec atque ſimilia proponas: *cura valetudinem tuam diligenter; utinam eſſem bonus logicus*, etc. Haec enim, cum Affirmationibus affines ſiut ſententiae, ſi, quae diverſitas inter eas et veras Affirmationes intercedat, demonſtraveris (oſtendendo nempe, haec imperanter aut optanter, illa vero indicanter ſeu affirmanter dici, eſſeque illa vera vel falſa, haec neque vera neque falſa) magnam lucem in iſtud nomen contuleris.

Atque hi ſunt tres aut quatuor modi quibus nomen aliquod declarare poſſumus; qui bene obſervari debent, nam ſunt magni in diſciplinis omnibus momenti, cum homines ſaepius ignorantiâ nominis quam rei labantur in errores. Non ſemper autem hi quatuor locum habent, quando res eſt clara et nomen rei obſcurum. Subinde enim fieri poteſt ut nomen ejus alio idiomate expreſſum nihilo clarius ſit eo quod in aliâ linguâ exprimitur nomine. Tunc autem unicum reſtat exemplum, eaque quae exemplo adjecimus, affinia nempe, quae a ſignificatione nominis excludi debent. V. g. Acceptionem et Suppoſitionem (de quibus agitur Cap. IV) ſatis, imo plus quam ſatis intelligimus (cum ſit actus noſtrae mentis, quem ſexcentics agimus quotidie). Cum igitur hîc nomen rei ſatis obſcurum eſſe poſſit, declarari tamen nomen illud non poteſt ſi in alio idiomate efferatur (ibi enim obſcurius forte erit quam in Logicâ), neque in aliâ ſcientiâ (aliae enim ſcientiae hac de re non tractant); ſupereſt ergo exemplum quo declaretur hoc nomen; et plura alia tecum ipſe finge; vide Cap. IV.

Si petas, unde fiat quod Affirmatio nobis tam clara ſit, perfacilis jam eſt reſponſio. Ex iis enim, quae circa nomen ejus explicandum

diximus, ſatis patet, Affirmationem non eſſe aliud quam certum actum noſtrum (certum modum cogitandi noſtrum), ſicut videre, audire, amare, odiſſe, eſurire, ſitire, etc., de quibus nunquam dicendum eſt, quid ſint, cum eorum nimis jam explorata ac manifeſta ſit conſcientia.

Habet vero Affirmatio hanc etiam praerogativam inter iſtos actus, quod ſexcenties eam exerceamus quotidie; ubi ſaepe multi dies, imo et menſes (quod potiſſimum de iis qui aetate aliquantulum proceſſere, et umbraticam vitam inter litteras agunt, accipiendum eſt) elabuntur, quod ne ſemel quidem aut eſuriamus aut ſitiamus. Multum etiam ſubinde temporis eſt, quo non timemus, non ſperamus, non gaudemus, etc. At dies nullus abit quo non affirmemus ſaepe et ſaepius, ſi non ore (nec enim hoc ad affirmandum requiritur) aſt mente, quod ad affirmandum ſatis eſt. Cur igitur haec et re et nomine tam clara? Affirmatio quidem re certe nota, nomine obſcurior? Reſp. quia de aliis illis ſolet populus loqui, de Affirmatione non item, hanc enim philoſophis remittunt. Hinc ergo factum, ut nomina quidem aliarum iſtarum rerum perinde ut res ipſae clara ſint, Affirmationis autem nomen obſcurum manſerit, donec adhibitis declarationibus (de quibus ſupra) perinde clarum fiat et manifeſtae ſignificationis ut nomina famis et ſitis, caeterarumque rerum ante enumeratarum et ſimilium.

N. 3. Hic proprie incipit Logica; quae praeceſſerunt enim ea ex Scientia de Scientiis mutuati ſumus. Nam Logicae non eſt dicendum, quid facere debeat Logica, ſicut militis non eſt dicere quid miles facere debeat, ſed id facere, nec de armis, ſed arma tractare. Haec igitur omnia in prooemio Logices dicta ſint, atque ibi maneant, neque ſe unquam in Logicam ipſam exſerant.

Incipit ergo Logica a Subjecto et Praedicato. Et quidem nota Subjecti eſt *de quo*, Praedicati *quod*; haec enim duo adeſſe debent, ſi Affirmatio ſit; nam ſi dicam, et de quo dicam et quod dicam neceſſum eſt adeſſe ſimul. Si petas: Quid neceſſum eſt ut, cum dico, ſit de quo dicam? — reſp., non debere dici, imo non poſſe dici; nam dicere quare ſit non minus eſt declarare, quam quid ſit dicere; hoc vero declarari non poteſt cum dico: Debet eſſe de quo dicam. Simile quid eſt de iſto: Si dicam, debet eſſe quod dicam. Idea Subjecti abſolvitur in *de quo*, Praedicati in *quod*. Nota vero, quâ homines invicem ſignificare ſolent, quid inter affirmandum ſubjectum eſſe

velint, quid praedicatum, confiftit in ordine aliquo; ponunt enim Subjectum primo, Praedicatum ultimo loco, ficut Belgae, dum quem ab altero verberari, amari, etc. dicunt, inter verberantem et verberatum fimili ordine diftinguunt; nam illum primo, hunc fequenti loco in fententia ponunt. Proinde ficut hic ordo non eft a naturâ (Latini enim non obfervant illum, et amantem ac amatum pro lubitu praeponunt aut poftponunt, folâ cafus diverfitate difcrimen amantis et amati facientes), fic nec ille ordo a natura eft, quo fubjectum primo loco reponitur in Affirmatione. Unde Rhetores et Poëtae faepe mutant et intervertunt eum; v. g. *Homo bellus eft Petrus; Animal homo eft compos mentis*, etc. Ordo igitur hic totus eft ab arbitrio humano; poterant vero meliorem inftituere ordinem, juxta quem nota affirmandi feu verbum, quod jam interponitur, praeponeretur et primo loco prodiret, ut fic prima fronte, quem actum celebrare vellet, audienti fubindicaret loquens. Sicut eadem de caufa notam interrogandi, item exclamandi, etc. primo loco ponunt in fententiâ, ut ita audienti ftatim fe manifeftent in fubjiciendâ fententiâ aut exclamationem, aut optationem, aut interrogationem, etc. velle celebrare. Quamvis igitur hic ordo fit meri arbitrii humani, non tamen negligendus eft Logico; adeoque in fequentibus infinuare invicem debebimus, quid Subjecti, quid Praedicati vicem habere voluerimus; femper Subjectum primo loco in Affirmatione noftrâ reponentes intelligemus hoc ipfo, illud haberi loco ejus *de quo*, et fimiliter Praedicatum ultimo loco conftituentes intelligemus ipfum *quod* loco ejus dicere. Et juffi vel ab homine vel ab Axiomate affirmare de aliquo alio (puta A de B) femper de quo affirmare juffi fumus (puta B) primo loco, et illud quod affirmare jubemur (puta A) ultimo loco reponemus in Affirmatione noftra, fciemufque ex eo indice facile eas effe Affirmationes: *Albedo eft color* et *Color eft albedo*, fed hanc quidem falfam, illam autem veram; licet autem apud Rhetores pro iifdem haberi foleant, qui eundem ordinem in fenfu intelligunt iftius utriufque propofitionis, licet non fit idem in voce. Sed Logici infiftentes decreto ifti de Subjecto primum, et Praedicato deinceps reponendo, plane diverfum fenfum percipiunt in praedictis Affirmationibus, eo ufque ut alteram veram, alteram falfam effe facile intelligant.

Subjectum aliquando fecundum fe affertur in Affirmatione (quo cafu

naturalem Affirmationem eſſe dicimus), ut hîc: *Homo eſt animal*; aliquando ſecundum ſe non affertur, ſed deſignatur tantum per notam *Aliquis* (quo caſu Affirmationem artificialem nos vocamus), ut: *Aliquod animal* (puta homo) eſt rationale. Unde patet, idem eſſe poſſe in utraque Affirmatione ſubjectum, ſed in alterâ expreſſe poni et ſecundum ſe afferri, in alterâ tantum deſignari. Quae ſublatâ notâ *Aliquis* ſuperſunt in Affirmatione artificiali, non Subjectum et Praedicatum, ſed Termini concordes vocantur, de quibus infra in Sect II. Cap. I. In Affirmatione autem naturali proprie Subjectum et Praedicatum reperitur.

Subjectum et Praedicatum communi nomine vocantur Termini. Unde Terminus non eſt aliud quam ſive Subjectum ſive Praedicatum; ubi Subjectum et Praedicatum ſumuntur per potentiam (de quibus Sect. I. Cap. II.); adeo ut Terminus non ſit aliud quam omne id quod ita eſt expreſſum, ut poſſit locum Subjecti vel Praedicati in Affirmatione aliquâ obtinere; ut *Sapientia*, *Sapiens*, termini ſunt, non autem *Sapienter*, *Sapientiam*.

Cum vero unumquodque ſit hoc quod eſt, et per conſequens omnis Terminus de ſe ipſo affirmari poſſit (nam et *ſapientia eſt ſapientia* et *ſapiens eſt ſapiens*, etc.), hinc omnis Terminus abſolute et Subjectum et Praedicatum eſt.

Subjectum et Praedicatum vocantur etiam aliquando Extrema, ſed hoc nomen generalius eſt; nam etiam propoſitiones quae in enunciatione compoſitâ per copulam grammaticalem connectuntur inter ſe, vocantur etiam Extrema enunciationis compoſitae; ut hîc: *Sto et loquor*, extrema ſunt alterum quidem *ſto*, alterum autem *loquor*.

NB. Sunt quatuor Subjecta Affirmationis et Negationis: 1°. Subjectum *de quo* Affirmationis (i. e. de quo affirmo); 2°. Subjectum *quod* Affirmationis (i. e. tota illa propoſitio quam affirmo); 3°. Subjectum *de quo* Negationis (de quo nego); 4°. Subjectum *quod* Negationis (totum illud quod nego).

Propoſitio affirmans et affirmata ſunt idem; negans et negata differunt toto coelo. E. g. *Petrus eſt doctus* eadem eſt affirmans et affirmata; *Petrus non eſt doctus* eſt negans; ſed negata eſt haec: *Petrus eſt doctus*, de ea enim dicitur hîc τὸ *non* ſeu *falſum*.

NB. In aſſignando Subjecto et Praedicato ſtudioſe cavendum eſt,

ne quid plus aut minus demus quam quod petitur. In aſſignando Praedicato tirones ſaepe plus quam Praedicatum aſſignant, idque praecipue in illis propoſitionibus, in quibus Praedicatum cum Copulâ complicatur in verbo grammatico. V. g. *Animal ſentit;* Praedicatum, inquiunt, eſt *ſentit;* hoc vero non eſt Praedicatum, ſed Praedicatum et Copula. In propoſitionibus vero praeteriti vel futuri temporis ſolent illi, qui minus in Logicâ verſati ſunt, pro Praedicato aſſignare partem Praedicati ſeu minus Praedicato. V. g. *Puer erit ſenex;* Praedicatum, inquiunt, eſt *ſenex;* hoc vero non eſt ibi Praedicatum, ſed tantum pars ejus, nam Praedicatum ibi eſt *futurus ſenex.* Simile quid locum habet hîc: *Senex fuit puer.*

Similiter in Subjecto ſaepe ſolent minus aſſignare, ut hîc: *Aliquod animal eſt homo;* Subjectum, inquiunt, eſt *animal;* hoc vero non eſt Subjectum ſed tantum pars Subjecti.

Et ſic porro memores eſſe debemus, eum non dare quod petitur, qui plus vel minus dat quam petitur.

Ad pag. 176.

N. 4. Verbum ſeu Copula verbalis (datur enim et alia copula, quam grammaticalem vocant, quae media inter duas enunciationes, de qua Part. II. Sect. I. Cap. V.) non eſt aliud quam affirmandi nota. Operae ergo pretium eſt ſcire, quid ſit Nota.

Nota eſt ſignum actus ut exerciti; i. e. ſignum quo ſignificamus actum aliquem noſtrum (ut affirmationem, negationem, amorem, odium, etc.) non ſimpliciter (qualiter etiam eſt cum nomen ſuum importatur), ſed prout hîc et nunc a nobis exercetur. Sic *An* eſt nota, et quidem interrogandi nota; ſignificat enim actum aliquem noſtrum (nempe interrogare), et non ſimpliciter ſignificat illum actum, ſed prout hîc et nunc exercetur et a nobis agitur. Dum enim dicimus *An,* etc., non tantum ſignificamus interrogationem, ſed nos interrogare, ſeu interrogationem hîc et nunc exercere.

Nota duplex eſt, nempe nota Mentis ſeu Intellectus, et nota Animi ſeu Voluntatis. Actus enim omnes noſtri vel ad Intellectum vel ad Voluntatem pertinent; cum igitur, illos actus exercere nos, ſignificatum aliis volumus, ſignum aliquod adhibemus, quod hoc ipſo, quo actum illum ut exercitum ſignificat, induit rationem Notae. Et quidem notae Animi ſunt geſtus illi, nutus, et oris inflectiones,

quibus aut amare nos aut odisse, aut timere, detestari, item taedere nos alicujus rei, pudere, poenitere, volentes quidem saepe, et saepe etiam nolentes testamur ac inviti. De notis Animi nihil ad Logicam pertinet; sunt enim hae sine veritate falsitateve, imo ad veritatem falsitatemve nihil faciunt, ad quas tantum Logica pertinet.

Nota Mentis est quae ad veritatem falsitatemque refertur, ut *Est*, *Et*, *Vel*, etc. Nota Mentis dividitur in Puram Notam et Copulam. Pura Nota est quae, licet ad veritatem falsitatemve referatur, potest tamen sine veritate exerceri. Complectitur duas potissimum notas, sc. Praecisivam et Condicionalem. Praecisiva nota est qua eorundem duorum alterum ab altero praecidimus; talis est illa nota *Quatenus*, *In quantum*, etc. *Homo quatenus animal* non ratiocinatur; item *Profundum qua profundum non est altum.* Nota Condicionalis seu Suppositiva est quâ supponimus, ut factâ suppositione illâ aliquid inferamus, negemus, narremus, doceamus; tales notae sunt *Si*, *sit*, etc., ut: *Si Petrus est bos*, *Petrus est bestia;* item: *Petrus sit bos*, *ergo et bestia erit.* Ubi nota, in exemplis allegatis veritatem falsitatemque reperiri quidem, sed post exercitium praedictarum notarum, sic sc. ut illae vim suam totam jam exercuerint antequam veritas falsitasve resultet. Cum enim *Homo quatenus animal* dico, jam praecisio absoluta est, et cum dico *Si Petrus est bos*, jam suppositio peracta est; quod vero iis suppletur, non spectat ad suppositionem praecisionemve, et oratio tota aliunde veritatem suam quam ex praedictis notis sortitur.

Copula vero est talis nota Mentis, quae ad veritatem falsitatemve facit, et sine veritate falsitateve exerceri non potest, ut *Est*, *Et*, *Vel*, *Ergo*, etc. Nihil horum significanter dici potest, quin veritas simul falsitasve dicatur. Copula igitur alia est Verbalis, alia Grammaticalis. Copula Verbalis idem est ac Verbum, non aliud nempe quam nota affirmandi. Copula Grammaticalis est particula, quae juncta propositioni, affirmationi, sensum inficit resarciendum appositione alterius propositionis, de qua agitur in Logica Part. II. Sect. I. Cap. V.

Petes, cur non quatuor Copulae sint, nempe nota affirmandi, nota negandi, nota copulandi et nota disjungendi. Resp. quia negatio non pertinet ad Copulam sed ad Praedicatum; nec enim aliud est Negatio quam Affirmatio, quâ de aliâ Affirmatione affirmamus illam esse falsam;

ex quo clare patet, *Falſum* ſeu *Non* pertinere ad Praedicatum, non vero ad Copulam. Sicut nec *Neceſſario* nec *Forſitan*, nec *Poſſibile* et ſimilia, quae Logici modos vocant, eſſe Copulas, nec etiam ad Copulam pertinere, ſed eſſe Praedicata de Affirmationibus.

Inter Copulas Grammaticales impuras eminent *Quia* et *Ergo*, quarum illa Antecedenti praefigitur, haec Conſequenti, v. g. *Quia cogito, ſum;* item *Cogito, ergo ſum.* Unde praedictum *Quia* continet in ſe hanc Affirmationem: *Cogito eſt Antecedens τοῦ ſum*, et illud *Ergo* continet in ſe hanc Affirmationem: *Sum eſt Conſequens τοῦ Cogito:* Suntque enunciationes iſtae a parte rei enunciationes copulativae hoc modo reſolvendae: *Et cogito, et τὸ Cogito eſt Antecedens τοῦ Sum;* aut *Et cogito, et τὸ Sum eſt Conſequens τοῦ Cogito. Si* vero non eſt Copula, ſed tantum Nota Suppoſitinois aut Condicionis; habet tamen ſaepe expreſſe vel implicite conjunctum *Ergo*, quod eſt *Copula Impura;* atque in enunciatione condicionali non aliud infertur ſeu ſignificatur quam enunciatio quae continetur in *Ergo.*

N. 5. Verbum eſt nota affirmandi, ut *Sunt*, quando dico *Duo et tria ſunt quinque;* ibi enim illud *Sunt* nihil aliud agit quam affirmandi notam. Non tempus ſignificat (quia duo et tria non jam aut alias, ſed ſimpliciter ſunt quinque); non perſonam (quia perſona ſeu ſubjectum praecedit in illis vocabulis *duo et tria*); non praedicatum aut quidvis aliud (ut per ſe notum eſt), igitur tantum eſt affirmandi nota. Nam dempto illo *Sunt* concideret Affirmatio (ſiquidem *Duo et tria quinque* imperfectus ſermo, nedum Affirmatio); igitur non fruſtra eſt illud *Sunt*, ſed ad denotandum Affirmationem omnino neceſſarium.

Quodſi *Sunt* in praedictâ Affirmatione verbum ſit, utique *Amo* non eſt verbum. Si enim homo nudus homo ſit, utique homo veſtitus (i. e. homo cum veſtibus ſuis) non eſt homo, ſed homo et aliquid aliud; item 100 non ſunt 99, etiamſi 99 in ſe complectantur. *Amo* igitur habet aliquid ultra notam affirmandi (ſeu ultra Verbum), nempe Subjectum *de quo* et Praedicatum *quod* et tempus *quando*; ita ut quarta pars ipſius *Amo* tantum ſit Verbum, nempe *Sum* quod in illo includitur (implicite; hoc autem Logico perinde eſt) affirmandi nota et nihil aliud.

Verbi naturam, quae de ſe longe clariſſima eſt, obſcuram nobis reddidit intricatio quâ Verbum cum diverſis aliis diverſimode in unam dictionem intricatur.

I. Intricatur cum his tribus, Subjecto, Praedicato, et Adverbio temporis, hîc: *Amo*; hoc enim eſt *Ego nunc ſum amans.*

II. Intricatur cum Subjecto et Praedicato tantum: *Nunc amo.*

III. Intricatur cum Subjecto et Adverbio temporis tantum: *Sum amans.*

IV. Intricatur cum Praedicato et Adverbio temporis tantum: *Ego amo.*

V. Intricatur cum Subjecto tantum: *Nunc ſum amans.*

VI. Intricatur cum Praedicato tantum: *Ego nunc amo.*

VII. Intricatur cum Adverbio temporis tantum: *Ego ſum amans.*

VIII. Intricatur cum parte Praedicati in Affirmationibus praeteriti et futuri temporis. V. g. *Petrus nunc erit ſenex*; ibi Verbum *Eſt* cum iſta particula Praedicati *futurus* intricatur in unam illam dictionem *erit.* Idem fit in Affirmationibus praeteriti temporis; ibi enim intricatur cum illâ diſtinctione *fuens*, quae Belgice melius effertur *geweeſt.*

Ad. pag. 177.

N. 7. Negatio eſt etiam quaedam Affirmatio; patet ſatis ex indicio illo, quod Belgice expreſſimus: *Ick verſeecker u*; hoc enim tam bene quadrat in Negationem quam in quamvis aliam Affirmationem. In omni enim Negatione affirmamus de certâ aliquâ Affirmatione, quod ſit falſa; v. g. *Non ſto*, id eſt *Sto eſt falſum*; habentque ſe eodem modo *non* et *falſum*, ſicut *fortis* et *fortiter*, quamvis prius illud non perinde appareat ſicut poſterius, eo quod in poſteriori reluceat derivatio Grammatica, quae deficit in priori. Proinde *negare* non differt ab *affirmare* niſi diverſo reſpectu, ut Scholae loquuntur, ſeu diverſis accuſativis quos regant. Sic cum dixi: *Non ſto*, affirmavi pariter atque negavi, ſed aliud ſeu aliam rem affirmavi, aliam negavi; negavi enim *me ſtare*, affirmavi *me non ſtare.*

Ex quo vides, non tantum in Negatione Affirmationem ſemper eſſe, ſed Negationem ipſam ſemper etiam eſſe Affirmationem. Subjectum autem atque Praedicatum dupliciter deſignantur in Negatione. Et ſubjectum quidem Negationis maxime naturale eſt Affirmatio illa quam includit; praedicatum autem ejus eſt *non* vel *falſum*; uſitatum vero et famoſum Negationis ſubjectum eſt id de quo negare dicimur (id eſt ſubjectum Affirmationis incluſae), praedicatum autem id quod de illo negare dicimur. V. g. ſubjectum hujus Negationis *Non ſto* verum

quidem et naturaliſſimum eſt *Sto* (de illa enim Affirmatione loquimur), praedicatum vero *Non* vel *Falſum* (hoc enim de praedicta Affirmatione dicimus); ſubjectum vero uſitatum et famoſum eſt *Ego* (de eo enim negamus cum dicimus *Non ſto*), praedicatum vero *Stans* (hoc enim de iſto ſubjecto negabamus).

Ad pag. 178.

N. 1. Subjecto et Praedicato per Actum ſumptis adde etiam Subjectum et Praedicatum per Habitum ſumpta. Subjectum Habitu eſt de quo ſolemus affirmare alterum ad quod comparatur, et Praedicatum Habitu, quod ſolemus affirmare de altero ad quod comparatur. V. g. *Homo* eſt Subjectum Habitu reſpectu *Animalis*, et *Animal* praedicatum Habitu de *Homine.* Subjectum et Praedicatum Habitu non debent eſſe talia per Dignitatem; nam *Frigidum* eſt praed. habitu de *Aqua*, item *Albus* de *Pariete*, haec tamen non ſunt praedicata per Dignitatem. Etenim hae Affirmationes non ſunt verae: *Aqua eſt frigida* (nam Aqua non potius frigida quam calida tepidave eſt); *Paries eſt albus* (nam Paries non potius albus quam niger alteriuſve coloris eſt); hoc tantum verum eſt: *Quaedam aqua frigida* et *Quidam paries albus eſt*; non vero abſolute, quod *Paries albus ſit* et *Aqua frigida.*

N. 3. Praedicatum potentiâ (idem eſt de Subjecto) complectitur reliqua; nam et praed. Actu (ſ. quod hîc et nunc affirmatur) eſt praed. potentiâ (ſ. poteſt affirmari); et praed. Habitu (ſ. quod ſolet affirmari) hoc ipſo poteſt etiam affirmari; et praed. Dignitate (ſ. quod affirmatur in Affirmatione verâ) hoc ipſo poteſt etiam affirmari. Datur autem praed. potentiâ et non actu (ut *Homo*, caſu quo nemo loqueretur); item praed. actu quod non habitu (ut hîc: *Arbor eſt mare claſſibus conſtratum*); et contra praed. habitu quod non actu (ut *Frigidum* reſpectu *Aquae*, ſi nemo loquatur). Sic etiam praedicatum datur habitu quod non dignitate (ut *Frigidum* reſpectu *Aquae*); item dignitate quod non habitu (ut *Negatio eſt Affirmatio quaedam*, etc.).

Participia paſſiva, *Amatus*, *Honoratus*, ſaepe ſolent totidem modis capi. V. g. *amatus* actu is eſt qui nunc amatur, iſque amatus proprie dicitur; *amatus* habitu, qui amare ſolet, ut opes dicimus amari ab hominibus; *amatus* potentiâ, qui poteſt amari, et ille proprie *amabilis* dicitur; denique *amatus* dignitate eſt qui meretur amari, et is proprie *amandus* dicitur.

Participia vero activa folent etiam quatuor modis fumi, tribus quidem prioribus iifdem, fed loco quarti modi, dignitatis fc., adfcifcunt Naturam. Sic *amans* actu eft qui nunc amat, ifque ita proprie dicitur; habitu eft is qui folet amare (et is proprie amativus eft); potentiâ eft qui poteft amare; denique *amans* dignitate f. naturâ eft, qui natus eft amare; fic matres amant fuos liberos, et philofophi φιλάνθρωποι dicuntur.

Homo non eft praedicatum dignitate de *Animali*; non poteft enim affirmari de *Animali* in Affirmatione verâ; nam cui aliquid addi debet ut verum fit, nondum verum eft (ficut 99 non funt 100, quia debet eis addi adhuc 1); jam autem tali Affirmationi, ut vera fit, debet praefigi illa particula *Aliquis*. Quandoquidem autem in verâ Affirmatione dicere non poffim *Animal eft homo*, dicere neceffum eft, ut verum fit: *Animal non eft homo;* nam quidlibet eft vel non eft, et ubi utrumque hoc fcriptum eft: *Eft*, item *Non eft*, ubi unum induxeris et deleveris, neceffum eft ut alterum hoc ipfo remaneat; nam utrumque fimul induci non poteft.

Difcrimen intra Subjectum et Praedicatum Dignitate ab unâ parte, et Subjectum et Praedicatum feu Actu, feu Habitu, feu Potentiâ ab altera parte eft hoc: quod S. et P. Dignitate tantum reperiantur in Affirmatione verâ, reliqua autem tam in veris quam in falfis Affirmationibus. Item etiam hoc difcrimen, quod Subjectum et Praedicatum famofe per Dignitatem capiantur; unde quando feorfim dicimus Subjectum et Praedicatum, oportet ea per Dignitatem capere, nifi forte circumftantiae fermonis aliud requirant. Veluti, fi petatur fubjectum aut praedicatum in eâ quaeftione: *Homo eft lapis*, circumftantiae non finunt S. aut P. per Dignitatem intelligi (cum nullum ibi effet Subjectum aut Praedicatum); oportet ergo hîc per Actum vel per Potentiam accipere.

Nota, hanc diftinctionem Subjecti atque Praedicati non pertinere ad fcientiam aliquam atque doctrinam, fed tantum ad enarrationem aliquam vel hiftoriam. Scientia enim omnis verfatur circa veritatem aliquam aeternam, cum haec diftinctio mere fpectet ad veritatem aliquam fluxam et ab hominum arbitrio penitus dependentem; fiquidem illa nomina *Subjectum* et *Praedicatum* eam habere fignificationem, atque tot quot dictum modis capi, pendet ab inftitutis et placitis

hominum. Idem fere obtinet in caeteris diſtinctionibus. Nihilominus tales diſtinctiones aliquando enarrandae ſunt, ſimileſque hiſtoriae interponendae, cum illae requiſitae ſint et omnino neceſſariae ad evitandam confuſionem reddendumque ſermonem magis clarum et ab aequivocatione liberum. Adhibentur ergo haec et ſimilia inter philoſophandum, ut expeditior nobis ſermo ſit, commodiuſque inter nos de iis quae dicenda ſunt dicere poſſimus. Unde huc etiam ſpectat illud, quod Cap. I. tum de nomine Affirmationis, tum de ſitu atque ordine Subjecti, Copulae, atque Praedicati annotavimus.

AD PAG. 179.

N. 5. Ratio hujus Regulae manifeſta eſt. Affirmatio enim ſolet ſumi per Dignitatem; atque quod ſic affirmatur, debet affirmari in Affirmatione vera; jam autem Affirmatio cui debet aliquid addi ut fiat vera, non eſt vera; ergo quod in illa affirmatur, nondum affirmatur per Dignitatem ſeu Affirmatione verâ.

Ex hoc Regulâ clare ſequitur, quod *Senex* non ſit praedicatum de *Nobis;* etiamſi enim forte in enunciatione verâ dicatur: *Nos erimus ſenes*, tamen ibi aliquid additur ultra quam ſumptum fuerat, nempe adjicitur illa particula *futurus* ante ſumptum, nempe *ſenex.* Ob ſimilem rationem *Infans* non eſt praedicatum de *Nobis*, etiamſi in vera Affirmatione dicam: *Nos fuimus infantes.* Item *Homo* non eſt praedicatum de *Animali;* non enim haec vera eſt Affirmatio: *Animal eſt homo*, quandoquidem ei adhuc addi vel ſubaudiri debeat, ut manifeſta vera eſſe affirmetur, hoc modo: *Aliquod animal eſt homo.*

Et nota bene: quando aliquis terminus non affirmatur de certo ſubjecto, quod tunc neceſſarium ſit ut is de eodem ſubjecto negetur, juxta hoc Axioma: Quidlibet eſt vel non eſt; inde enim ſequitur, ſi expungendum fuerit *Eſt* (ſeu pro falſo ducendum), ſuperſtes futurum *Non eſt* (ſeu pro vero ducendum). Utrumque enim ſimul expungi non poteſt, cum quidlibet ſit vel non ſit. Hinc igitur ſequitur, verum eſſe *Animal non eſt homo*, *Lapis non eſt marmor*, etc. Cum enim ibi non liceat dicere *Eſt*, utique dicendum eſt *Non eſt.*

N. 6. Duo hîc monenda ſunt. Primum quidem monet ipſa paragraphus, ne ſc. quod ante additum vel ſubauditum quid non erat praedicatum, etiamnum poſt additum vel ſubauditum neges eſſe praedicatum. Sic *Homo* non eſt praedicatum de *Animali*, quia debet aliquid

addi, v. g. *quoddam;* hoc vero addito, *Homo* jam eſt abſolute praedicatum, non quidem de *Animali*, ſed (cum addito) de *Quodam animali.* Sic et *Infans* non eſt praedicatum de *Nobis;* aſt cum addito, nempe *Fuens infans*, eſt verum praedicatum de *Nobis.*

Secundum bene notandum eſt, Regulam dicere: Non cenſetur praedicatum cum *debet* aliquid addi vel ſubaudiri, non vero dicere eam: Non cenſetur praedicatum cum *poteſt* aliquid addi vel ſubaudiri. *Animal* eſt verum praedicatum de *Homine*, etiamſi poſſimus aliquid addere ſalvâ veritate ſive ad Subjectum ſive ad Copulam ſive ad Praedicatum (v. g. *Quidam homo eſt animal; Homo neceſſario eſt animal; Homo eſt animal rationale*), quae tamen addi non debent ut veritas ſalve perſiſtat.

N. 7. Praedicatum continet ſuum Subjectum, id eſt, S. et P. ſunt eadem, aut Subjectum cum aliquo alio, intercedente particulâ *vel*, continetur in Praedicato; unde primum ſchema: A eſt A; ſecundum ſchema: A eſt A vel B. Juxta primum ſchema Praedicatum eſt idem cum Subjecto. Juxta ſecundum Praedicatum eſt totum et Subjectum eſt pars Praedicati, quae cum alia parte (nempe B) continetur in Praedicato, intercedente particulâ *vel.* Juxta primum ſchema procedit iſta Affirmatio: *Homo eſt animal rationale*, nam *Homo* et *Animal rationale* habent ſe ut *A* et *A*, *Homo* vero et *Animal* habent ſe ſicut *A* et *A vel B*, quia Animal non eſt aliud quam *Homo vel Brutum.* Affirmationes juxta primum ſchema digniores ſunt et veriores, juxta ſecundum frequentiores.

Ad pag. 181.

N. 2. Nota, ut commode procedas juxta Axiomata Primi Quadrati, *Quod* vel *De quo* in iſtis Axiomatibus deſignare Terminum tertium, qui inveniendus eſt extra Affirmationem primo poſitam; cum eâ tantum differentiâ, quod *De quo* ſignificet illum terminum reponendum loco Subjecti, *Quod* vero ſignificet, reponendum eſſe loco Praedicati. Sed ille tertius Terminus non eſt primo ponendus in Affirmatione, ſed relicto loco vacuo in quo ille reponendus ſit, primum et ante omnia in ſecundâ Affirmatione reponendus qui nobis ſecundum Axioma ſuppeditatur ex primâ Affirmatione, idque vel loco Subjecti vel loco Praedicati prout Axioma praeſcripſerit, quo facto facile videbimus, quis poſſit eſſe tertius ille terminus. Sic v. g. ſi procedendum ſit juxta

Axioma primum, datâ hac propofitione primâ: *Homo eft animal*, quia terminus fuppeditatus ex prima illa propofitione eft praedicatum, idque praedicatum debeat fieri fubjectum in fecundâ propofitione, primo ibi reponatur hoc modo:

Homo eft Animal
Animal eft ——

Ibi jam facile videtur quis poffit tertius effe terminus; nempe talis aliquis, qui quadrat in *Animal* per *eft*.

Si procedendum fit juxta quartum Axioma, datâ eâdem propofitione primâ, quia terminus fuppeditatus ex primâ et transferendus in fecundam eft praedicatum, illudque in fecundâ debeat obtinere locum praedicati per *Non eft*, id igitur fic reponatur:

Homo eft Animal
— — *non eft Animal*

Ibi iterum facile apparet, quis debeat effe tertius terminus, nempe talis aliquis, in quem quadrat *Animal* per *non eft*.

Item de duobus reliquis Axiomatibus.

AD PAG. 202.

N. 1. Termini Concordes melius vocarentur *Compraedicata;* etiamfi enim nomen illud minus Latinum fit, melius tamen rem illam quam volumus fignificat; concordare enim aliquando communi fermone folet intelligi quoad Praedicatum, ita ut illa vulgo concordare dicantur, quae conveniunt in eodem Praedicato; ut *Homo* et *Beftia* concordare dicuntur quod ambo *fentiant.* Nobis vero illi termini concordare dicuntur qui habent idem Subjectum, vel qui compraedicantur. Igitur Terminus Concors f. Compraedicatum eft Praedicatum ejufdem alicujus cum alio Praedicato Subjecti.

Ut vero Concordia illa feu Compraedicatio facile inveniatur, praefige tibi hoc fchema trianguli reclinati:



Per A et B repraefentantur duo termini (puta *Animal* et *Beftia*), de quibus quaerendum an compraedicentur feu concordent. Igitur in

triangulo utrique praefigitur copula *eſt;* videndumque jam an aliquid intra triangulum ante copulam produci poſſit, in quod uterque terminus A et B quadret per copulam *eſt.* Invento autem *Cane*, qui illo loco bene quadrat, dicemus praedictos terminos A et B concordare in *Cane*, ſeu compraedicari de *Cane.* Si vero per A et B intelligamus *Hominem* et *Beſtiam*, quia nihil jam inveniri poteſt quod in cono tranguli reponatur, dicemus A et B non concordare. Videtur quidem in cono produci poſſe *Aliquod Animal;* ſed re bene perpenſa non eſt idem *aliquod Animal*, quod cum A et B intercedente copulâ cohaeret, non enim idem aliquod Animal et Homo eſt et Brutum. Notandum eſt, illud quod in cono ſtatuitur, non debere eſſe tertium diſtinctum ab A et B, ſed poſſe eſſe alterum ipſorum. Unde, is per A *Hominem* et per B *Petrum* intelligas, poterit aliquid in cono trianguli produci, nempe B, adeoque abſolute A et B concordant ſeu compraedicantur. Ex quo patet notabilis diverſitas terminorum concordium; quidam enim in tertio, quidam in altero ipſorum concordant.

Ad pag. 203.

N. 2. Diſcrimen hîc aſſignatur inter Concordiam Diſcordiamque terminorum, hoc nempe: *Concordia eſt mutua, Diſcordia non eſt mutua.*

Concordia eſt mutua, id eſt, quando unus terminus concordat cum alio, tunc alius viciſſim concordat cum priori; nam concordare non eſt aliud quam habere idem aliquod Subjectum; ſicuti ſi ego domum habeo quam tu etiam habes, ergo tu etiam habes aliquam quam ego habeo. Hinc ſequitur, quotieſcunque habemus unum terminum concordem, toties etiam habemus duos concordes; item quandocunque habemus unum qui non concordat, toties etiam habemus duos qui non concordent.

Diſcordia non eſt mutua, id eſt, quando unus terminus diſcordat ab alio, adhuc fieri poteſt ut alius non diſcordet a priori. Et nota generale Axioma: *Poſſe ſatis demonſtratur per unum Actum.* Sint igitur iſti termini: *Habens tria* et *Habens duo*, ubi videmus poſteriorem terminum diſcordare a priori, ſeu habere ſubjectum proprium (cum, qui duo habet, non debeat habere tria); priorem vero terminum non diſcordare a poſteriori (qui enim habet tria, hoc ipſo habet duo). Etiamſi vero Diſcordia in quibuſdam terminis ſit mutua, tamen abſolute debemus dicere: *Non eſt mutua;* non enim poſſumus abſolute dicere: *Eſt mutua.* Hinc quando unum terminum diſcordem habemus,

non ſequitur inde, nos duos habere, et per conſequens non ſunt idem *Diſeordat* et *Diſcordant*; item non ſunt idem *Non diſcordant* et *Neuter diſcordat.* Quae omnia oppoſito modo ſe habent in terminis concordibus.


N. 3. Termini *Repugnantes ſunt qui non eoncordant;* idem eſt ac ſi dicas: Neuter concordat, imo ſi dicas: Alter non concordat; vide annotata ad n. 2. Ex quo etiam ſequitur, quod *Repugnantia ſit mutua.* Oſtenſum enim circa n. 2, quod' non tantum Concordia ſit mutua, ſed etiam non-concordia (ſ. repugnantia) ſit mutua. Jam autem Repugnantes nihil aliud ſunt quam non-concordes. Non recte ſic definiuntur: qui diſcordant; nam diſcordare nihil aliud eſt quam habere ſubjectum ſibi proprium; jam autem hoc non eſt ſatis ad terminos Repugnantes, quod habeant ſubjecta ſibi propria, ſed ulterius requiritur, ut nullum habeant idem ſubjectum, ſeu non concordent. Multum enim differunt *Habere ſubjectum ſibi proprium* et *non habere ſubjectum commune*, ut ſatis patet in terminis diſparatis.



Convertibiles ſunt quorum neuter diſcordat. Non recte ſic: *qui non diſcordant* (vide ann. ad n. 3).



Diſparati ſunt qui concordant et diſcordant. Non ſufficit *qui concordant*, quia hoc etiam Convertibilibus et Subalternis commune eſt; et non ſufficit etiam *quod diſcordent*, quia hoc etiam Repugnantibus commune eſt.



Subalterni ſunt quorum unus tantum diſcordat. Hic qui diſcordat vocatur *Subalternans*, alter *ſubalternatus.* Etc.

Ad pag. 204.

N. 4. Quamlibet combinationem Terminorum ſpectare ad unam ex quatuor recenſitis, nullamque in medio relinqui, tam eſt neceſſarium quam quidlibet eſſe aut non eſſe, nihilque hîc in medio relinqui. Nam ſumptis duobus quibuſcunque terminis, v. g. A et B, vel concordant illi vel non concordant. Si non concordant, ſunt Repugnantes. Si autem concordant, igitur vel unus eorum diſcordat vel non unus. Si non unus, ſunt Convertibiles. Si concordent et unus diſcordet, ergo vel tantum ille unus diſcordat, vel non tantum ille unus. Si non tantum ille unus, ſed etiam alter diſcordet, igitur concordant et diſcordant, ſunt Diſparati. Si unus tantum diſcordet, ſunt Subalterni.

Unus vero terminus, comparatione factâ ad alium quemcunque, habet ſe uno ex his quinque modis: aut repugnat illi aut convertitur cum illo aut diſparatus eſt aut ſubalternus, et vel ſubalternat ſibi illum vel ſubalternatur illi.

Ad pag. 208.

Poſt Cap. II. *Leges Concordiae et Diſcordiae Terminorum.*

Lex 1. *Quilibet terminus de ſe ipſo dicitur.* Nam quidlibet eſt quod eſt.

Lex 2. *Omnis terminus de aliquo dicitur.* Nam de ſe dicitur (per l. 1.), ergo de aliquo.

Lex 3. *Subjectum et praedicatum concordant.* Nam ſubjectum de ſe ipſo dicitur (per l. 1.) et praedicatum de ſubjecto dicitur (per defin.). Ergo concordant (per def. concordantiae), èt quidem concordant (ut patet) in ſubjecto.

Lex 4. *Terminus repugnans diſcordat a ſuo repugnante.* Dicitur enim de aliquo ſubjecto (per l. 2.), non tamen de communi ſubjecto (per defin. repugn.); ergo de ſubjecto proprio, et per conſequens diſcordat (per defin. diſcord.).

Lex 5. *Terminus qui diſcordat non ſubjicitur ei a quo diſcordat.* Si enim ſubjiceretur, etiam ſubjectum proprium ejus ſubjiceretur; nam ſubjectum ſubjecti eſt etiam ſubjectum praedicati (per 3. Axiom. 1. Quadr.), adeoque non eſſet ſubjectum proprium ſed commune, quod eſt abſurdum.

Lex 6. *Terminus repugnans non ſubjicitur ſuo repugnanti, nec diſparatus diſparato, nec ſubalternans ſubalternato.* Nam hi omnes ter-

mini difcordant; primus quidem per legem 4, duo reliqui per fuas defin.; et cf. lex 5.

Lex 7. *Terminus qui non difcordat fubjicitur ei a quo non difcordat.* Si enim non fubjiceretur, difcordaret in fe ipfo; ipfe enim de fe dicitur (per l. 1.), et alter de ipfo non diceretur, quia ipfe alteri non fubjicirur (ex fuppofito); igitur difcordaret in fe, feu ipfe fibi effet fubjectum proprium (per defin. fubjecti proprii).

Lex 8. *Terminus convertibilis fuo convertibili, et fubalternatus fubalternanti fubjicitur.* Hi enim termini non difcordant (per defin. eorum), ergo fubjiciuntur (per l. 7.).

Lex 9. *Uterque convertibilium fubjicitur alteri.* Uterque enim convertibilis eft cum altero (per defin. convert.), ergo fubjicitur (per l. 8.).

Lex 10. *Uterque convertibilium praedicatur de altero.* Hoc ipfo enim quo hic fubjicitur alteri, alter praedicatur de ipfo (per defin. fubj. et praed.); cum igitur uterque fubjiciatur alteri (per l. 9.), uterque etiam praedicatur de altero.

Lex 11. *Quod dicitur de uno convertibilium, dicitur etiam de altero.* Prior enim convertibilium eft praedicatum (per l. 10), pofterior fubjectum (per l. 9); igitur quod de priori, etiam de pofteriori dicitur (per 1. Ax. 1. Quadr.).

Lex 12. *Quod non dicitur de uno convertibilium, non dicitur etiam de altero.* Quia unus ille eft fubjectum (per l. 9.) et alter praedicatum (per l. 10.); ergo quod de priori non dicitur, non dicitur etiam de pofteriori (per 2. Axiom. 1. Quadr.).

Lex 13. *De quo dicitur unus convertibilium, de eo et alter.*

Lex 14. *De quo non dicitur unus convertibilium, de eo nec alter.*

Lex 15. *Subalternatus fubjicitur fubalternanti* (per l. 8.); *non contra* (per l. 6.). *Subalternans vero affirmatur de fubalternato* (per l. 8.); *non contra* (per l. 6.).

Lex 16. *Quod dicitur de fubalternante, dicitur de fubalternato; non contra.*

Lex 17. *Quod negatur de fubalternato, negatur de fubalternante; non contra.*

Lex 18. *De quo dicitur fubalternatus, de eo et fubalternans; non contra.*

Lex 19. *De quo negatur fubalternans, de eo et fubalternatus; non contra.*

Titulus ad posteriores leges.

Hae supponunt Acceptionem terminorum, cum praecedentes tantum intra Concordiam Discordiamque versarentur. Hae concernunt Affirmationes et Negationes artificiales, cum priores tantum ad naturales pertinerent.

Lex 1. *Termini concordes inter se particulariter affirmantur.* Sint termini concordes A et B. Quoniam igitur habeant subjectum commune, de quo ambo affirmantur (par defin. concord.), et respectu cujus ambo sunt praedicata, supponamus illud subjectum esse C. Dico A et B inter se particulariter affirmari. Imprimis A affirmatur de B particulariter sumpto; nam A dicitur de C, ergo A dicitur de B particulariter sumpto (per 1. Axiom. 2. Quadr.); est enim B ex supposito etiam praedicatum de C. Eodem modo demonstrabis, quod B dicatur de A particulariter sumpto.

Lex 2. *Terminus particulariter sumptus designat certum aliquid.* Cum enim dictum est *Aliquis homo est etc.*, designatur ibi Petrus vel Paulus etc. Quod adeo verum est ut, siquidem termino praefigatur *Aliquis* sine designatione certi alicujus, terminus non accipiatur particulariter sed confuse, v. g. *Aliqua navis est necessaria ad navigandum.* Quia non designatur certa et determinata aliqua navis, hinc etiam navis non accipitur ibi particulariter. Licebit ergo ex indiciis cognoscere, confusene an particulariter accipiatur terminus cui nota *Aliquis* praefigitur. Si non inepte petatur *Quis?* terminus accipietur particulariter (petitur enim istâ interrogatione ejus designatum); sin minus, accipietur confuse. V. g. *Aliquis homo est doctus;* quadrat *Quis?* Sed *Aliquis homo requiritur ad loquendum;* non recte petitur *Quis?* Non est hîc certum aliquid designatum.

Lex 3. *Designatum est subjectum designantis.* Conjungitur enim cum designante a priori parte, intercedente particulâ *Qui est.* V. g. *Aliquis homo;* si hîc designetur Aristoteles (ut *Aliquis homo docuit Alexandrum Philosophiam*), praefigitur Aristoteles hoc modo: *Aristoteles qui est homo etc.* Ex quo clare liquet, Aristotelem esse subjectum istius termini particulariter sumpti; nam hoc ipso quo designat Aristotelem, hoc ipso affirmatur de ipso.

Lex 4. *Quod dicitur de termino particulariter sumpto, dicitur etiam de subjecto ejus designato.* Quod dicitur de termino part. s., non

neceſſario dicitur de ejus quocunque ſubjecto; ſic enim procedere pertinet ad 2. Quadr. 3. malum Axioma. Unde non ſequitur: *Hom⁰ eſt animal, et aliquod animal eſt quadrupes, ergo homo eſt quadrupes.* Sed ſaltem hoc eſt verum: Quod dicitur de termino part. ſumpto, dicitur de ſubjecto ejus deſignato; unde valebit argumentum quod jam proxime adferebamus, ſi in minori pro ſubjecto deſignato accipiatur *homo;* ſed minor tunc erit falſa.

Lex 5. *Terminus qui dicitur de alio particulariter ſumpto, concordat cum illo.* Non tantum igitur concors particulariter dicitur, ſed vice verſâ etiam, qui part. dicitur, concors eſt. Prius demonſtratum fuit leg. 1, poſterius hîc demonſtrandum eſt. Sint termini A et B, et A dicatur de B part. ſumpto; dico quod A concordet cum B. Sit enim deſignatum ipſius B, nempe C (per leg. 2), erit C ſubjectum ipſius B (per leg. 3); ſed C etiam erit ſubjectum ipſius A; nam A dicitur de C (per leg. 4.); erit igitur C ſubjectum commune ipſius A et B; igitur A et B concordant. Q. e. d.

Lex 6. *Cum unus terminus de alio dicitur particulariter, etiam alius de priori ſic dicitur.* Sint termini A et B, et A dicatur de B particulariter; dico quod B etiam dicatur de A particulariter. Nam A concordat cum B (per leg. 5.); igitur etiam B concordat cum A (nam concordia eſt mutua, ut ante demonſtratum eſt); igitur B dicitur de A particulariter ſumpto (per leg. 1.). Q. e. d.

Lex 7. *Terminus non dicitur particulariter de ſuo Repugnante.* Si enim part. diceretur, concordaret (per leg. 5.); atqui non concordat (per defin. Repugn.); ergo non dicitur etc. Q. e. d.

Lex 8. *Terminus negatur de ſuo Repugnante, univerſaliter.* Non dicitur enim de aliquo, nam hoc eſſet de part. ſumpto dici; igitur de nullo dicitur: nam *non aliquis* ſeu *non ullus* idem eſt quod *nullus.*

Lex 9. *Terminus concors non negatur de concordi diſtributo.* Affirmatur enim de ipſo part. ſumpto (per leg. 1.), ſeu dicitur de *aliquo;* ergo non dicitur de *non aliquo* ſeu de *nullo.*

Lex 10. *Sunt quatuor ſubjecta Affirmationis particularis, totidemque praedicata; unum vero ſubjectum Negationis artificialis ſeu univerſalis, unumque praedicatum.* Subjecta Aff. part. ſunt Convertibilis, Subalternatus, Subalternans, et Diſparatus; et haec quidem etiam ſunt praedicamenta talis Aff. Haec enim omnia concordant, igitur

inter ſe particulariter dicuntur et ſubjiciuntur (per leg. 1.). Subjectum autum et praedicatum Neg. univ. ſunt Repugnantes (per leg. 8. et 9.).

Praxis Legum priorum.

Oportet applicare Axiomata Quadratorum hiſce terminis. Primum primi ſic applicabitur: Quod dicitur de uno Convertibilium, dicitur etiam de altero; et quod dicitur de Subalternante, dicitur etiam de Subalternato. Ratio eſt quia ſubalternans eſt praedicatum de ſubalternato, et unus ille convertibilium eſt praedicatum de altero, per Leg. 8.

Secundum Axioma ſic applicabitur: Quod non dicitur de uno Convertibilium, non dicitur etiam de altero; item quod non dicitur de Subalternato, non dicitur etiam de Subalternante. Ratio eſt, quia unus Convertibilium eſt Subjectum, etc.

Similiter applicabis 3. et 4. Axioma.

Mala Axiomata etiam applicare quidem poteris ad Subalternos, non vero ad Convertibiles.

Praxis Legum poſteriorum.

Quandocunque habemus Affirmantem particularem, licet invertere ejus extrema eodem manente ſenſu illativo. Cum enim concordes omnes inter ſe particulariter dicantur, et ſoli, igitur Affirmatio particularis conſtans terminis certo ordine poſitis, et alia conſtans iisdem terminis inverſis, inferunt ſe mutuo, adeoque in inferendo et ſequendo idem valent.

Similiter et univerſalem Negantem invertere licebit. Cum enim omnes et ſoli Repugnantes poſſint talem propoſitionem ingredi, idem eſt, quantum ad illationem conſequentiamque, hoc an illo ordine diſponantur termini. Ex quo contingit jam multiplicari (non re ipſâ ſed in ſpeciem) Axiomata ſecundi Quadrati et Appendicis. Quia enim primi Axiomatis ſecundi Quadrati concluſio particulariter affirmat, hinc licet invertere ejus extrema; exſurget hoc (in ſpecie novum, re ipſâ vetus) Axioma: *Si quid dicatur de ſubjecto, praedicatum de ipſo dicetur particulariter ſumpto.* Et ſecundum quia habet praemiſſam negantem univerſalem, licebit invertere et exſurget Axioma: *De quo diſtributo negatur praedicatum, ipſum negatur de ſubjecto.* Quod ſimul

ad apparentiam tantum novum Axioma, re ipfâ folitum illud nobis et fecundum.

Et nota, hinc totam illam farraginem *Barbara*, *Celarent*, etc. ortum fuum ducere. Deficinnt enim a noftris Axiomatibus talibus aliquibus terminorum in particulari Affirmante vel Negante univerfali tranfpofitionibus, adjunctâ infuper aliquando tranfpofitione praemiffarum, ut in Solertiâ noftrâ [f. Meth. Inv. Argum.] monftravimus.

Hinc etiam commodum medium nancifci poterimus ad probandum negantem Artificialem; et breviter medium fic praefcribitur: *Terminus qui dicatur de fubjecto et negetur de praedicato diftributo.* V. g. pofitâ hac probandâ: *Nullus homo eft brutum*, medium idoneum erit *Rationale;* hoc enim dicitur de fubjecto et negatur de praedicato diftributo. Praedicatur itaque hoc modo: *Homo eft rationale; nullum brutum eft rationale; nullus homo eft brutum.* Qui fyllogifmus eft reverâ juxta 4. Axioma 2. Quadr., etiamfi non appareat ob inverfionem in minori.

Ad pag. 211.

C. IV. *Suppofitionis et Acceptionis exemplum.* Caefar mittit legatum ad Regem Galliae. Quis fupponit? Caefar. Quem? Legatum. Pro quo? Pro fe ipfo, fc. Caefare. Quis accipit? Rex Galliae. Quem? Legatum. Pro quo? Pro Caefare.

N. 1. Suppofitio et Acceptio aliquando funt Conformes, aliquando Difformes; aliquando una eft fine alterâ, et contra. Sic fi loquens dicat: *Galli funt libidinofi*, fupponens feu intelligens hoc de gallis gallinaceis, fieri facile poteft ut audiens hoc accipiat de iifdem, adeoque Snppofitio et Acceptio hîc conformes funt; et fieri etiam poteft ut audiens hoc accipiat de Francis, adeoque Supp. et Acc. hîc difformes funt. Fit etiam aliquando ut quis Latine alloquatur ignarum Latinae linguae, quem tamen Latine fcire putaverat. Hîc eft Suppofitio, nam loquens fupponit voces Latinas pro certis rebus, et nulla tamen Acceptio, quia audiens non accipit voces pro certis rebus cum eas non intelligit; adeoque hîc et Supp. fine Acc. Contra, cum puer Latine dicit e fuggeftu, auditores gnari Latinae linguae accipiunt voces pro certis rebus, puer, cum Latine nefciat, voces quas profert non fupponit pro certis rebus.

N. 2. Acceptio ordinaria eſt Acceptio vocis pro re ſignificatâ quatenus tali. Quod addo vel ſubaudio, quia quando dico *Omne ſonus eſt diſyllabum*, tunc ſonus accipitur quidem pro re quam ſignificat (quia *ſonus* ſignificat etiam omnes voces *ſonus*), tamen non accipitur ordinarie ſed grammatice; nam etiamſi accipiatur pro re ſignificatâ, non accipitur tamen pro eâ quatenus tali. Quod patet ex genere neutro in quo ibi conſtituitur, nam voces grammatice ſumptae ſunt neutrius generis.

Diſtinguunt aliqui duas ſignificationes in vocibus, unam quae eſt ex inſtituto generali, alteram quae eſt ex inſt. ſpeciali. Ex inſt. gen. vox quaelibet ſignificat ſuam ſpeciem, ſeipſam et quamlibet ejuſdem ſecum ſpeciei; ex inſt. ſp. voces ſignificant res illas, ad quas ſignificandum ſpecialiter inſtitutae ſunt. Contingit autem aliquando ut vox idem aliquod ſignificet ex inſtituto generali et ſpeciali ſimul; ut vox *Ens;* cum enim quidlibet ſignificet ex inſtituto ſingulari, etiam ſeipſam ſignificat et alias omnes ejuſdem ſpeciei voces; has autem etiam ſignificat ex inſtituto generali. Tales etiam ſunt vox *ſonus*, vox *vox*, etc.

Quando ergo vox accipitur pro aliquo, quatenus ſignificato ex inſtituto generali, tunc grammatice capitur; quando autem ſumitur pro aliquo quatenus ſignificato ex inſt. ſpeciali, tunc plerumque quidem ordinarie, raro autem logice.

Acceptio Logica non fit nude pro re quam vox ſignificat (quando enim dico *Bos eſt ſubjectum beſtiae*, ibi *Bos* non capitur pro iſtâ re nobis per ſenſum notâ et in mundo extra nos exiſtente; nam illa res non poteſt eſſe ſubjectum, quandoquidem ſubjectum debeat ſtare in Affirmatione; Affirmatio autem fit in mente noſtrâ, in quâ bos ipſe ſecundum ſe eſſe non poteſt). Nec etiam Acceptio Logica fit pro voce (quando enim dico *Bos eſt ſubjectum beſtiae*, ibi nomen illud *Bos* non capitur pro ſeipſo; falſum ergo eſt, quod illud nomen ſit ſubjectum *Beſtiae*, ſeu quod *Beſtia* de illâ voce affirmari poſſit). Fit ergo Acceptio Logica pro re quatenus res illa certo modo ſignificatur per vocem (ſic quando dico *Bos eſt ſubjectum beſtiae*, ibi ſignificatur, *Bovem* quatenus iſtâ voce *Bos* importatur, eſſe ſubjectum *Beſtiae*). Similitudine aliquâ res iſta declarari poteſt. In picturâ hominis ſunt oculi, ſed non oculi ipſi (ibi ſimilitudo intelligitur cum

acceptione ordinariâ), nec enim maculae (ibi fim. int. cum acc. grammaticâ), fed oculi quatenus per maculas repraefentati funt in iftâ picturâ (ibi fimilitudo intelligitur cum accept. logicâ).

Tria puncta requiruntur ad Acceptionem Communem: 1. vox debet accipi ordinarie (defectu hujus condicionis *Homo* non accipitur communiter, quando dico *Homo eft fubjectum animalis*, item *Homo eft tertiae declinationis*. 2. vox debet accipi pro pluribus (defectu hujus condicionis non accipitur communiter fubjectum hujus propofitionis: *Deus creavit coelum et terram*, quia tantum accipitur de uno). 3. debent illa plura, pro quibus vox accipitur, etiam plura effe fubjecta termini; fic fc. ut idem terminus de fingulis eorum affirmari poffit (defectu hujus condicionis non accipitur communitur fubjectum hujus: *Academia Leydenfis habet multos praeclaros viros;* accipitur enim pro pluribus, fc. *Rectore*, *Profefforibus*, *Studiofis*, fed illa non funt plura fubjecta iftius termini *Academia Leydenfis*).

Ad Acceptionem autem Singularem duae condiciones requiruntur: 1. ut vox accipiatur ordinarie (defectu hujus cond. fubjectum non accipitur fingulariter hîc: *Petrus eft fubjectum hominis*, item *Petrus eft fecundae declinationis*, etc.). 2. vox ut accipiatur five pro uno five pro pluribus, fic tamen ut five id unum five illa plura tantum fit unum fubjectum termini.

AD PAG. 213.

N. 1. Terminus aut eft unus aut multi. Unus eft qui unius modo affirmationis, ad quam comparatur, fubjectum vel praedicatum eft; multi funt diverfa diverfarum affirmationum fubjecta et praedicata talia.

Prioris generis terminus eft *Petrus*, cum dico *Petrus eft homo;* eft enim unicum iftius affirmationis, quae ibi jacet, fubjectum. Pofterioris generis funt *Petrus et Paulus*, cum dico *Petrus eft doctus et Paulus eft doctus*, aut, quod idem eft, *Uterque homo eft doctus;* imo etiam fi dixerim *Omnis homo eft doctus;* in illis enim propofitionibus *Petrus* et *Paulus* per diverfas affirmationes tanquam fubjecta earum difparguntur.

Unus terminus fubdividitur in fimplicem et compofitum. Simplex eft unus terminus qui non componitur ex pluribus, ut *Deus*, cum dico *Deus eft omnipotens*. Compofitus eft qui ex pluribus aliis terminis

componitur, qui tamen omnes unicum conſtituunt ſubjectum iſtius, ut *Apoſtoli*, cum dico *Apoſtoli ſunt duodecim;* ibi enim ſubjectum *Apoſtoli* componitur ex *Petro*, *Paulo* [sic], *Joanne*, etc., ſed omnes hi ſimul ſumpti conſtituunt unicum ſubjectum praedictae affirmationis.

Multi termini dividuntur in ſeparatos et comparatos. Separati ſunt ita multi termini, ut non enumerentur ſeu non ſimul ſumantur, ut *Bos* in Affirmatione quam Belga pronunciat, et *Unus* in Affirmatione quam Arabs pronunciat [1]. Termini vero comparati, qui inter ſe enumerantur, ut *Petrus* et *Paulus* cum dico *Omnis homo eſt doctus.*

Omnis autem Enumeratio vel eſt Copulativa vel Diſjunctiva. Quando enim intellectus noſter plura enumerat, facit id per *Et*, i. e. copulative, aut per *Vel*, i. e. diſjunctive. Hoc ipſo enim quo plura aliqua enumerat, nec tamen interponit *Vel*, hoc ipſo, inquam, interponit *Et* (v. e. *Veni*, *vidi*, *vici*, etiam *Petrus*, *Paulus*, *Joannes*). Hinc fit ut termini comparati aut copulati ſint aut diſjuncti; ut *Petrus* et *Paulus* copulati ſunt cum dico *Omnis homo eſt doctus*, contra diſjuncti cum dico *Aliquis homo eſt doctus.*

Inter terminos unos, qui compoſitus eſt, ſimiliter aut copulatus eſt aut diſjunctus ſecundum ſuas partes, ſeu illos quos includit terminos. Copulatus quidem non tam proprie dicitur quam partes ejus copulatae dicuntur, ipſe vero melius vocabitur Quaſi-univerſalis terminus. Diſjunctus ſimiliter ex partibus diſjunctis conſtans melius vocaretur Quaſi-particularis ſeu Confuſus. Igitur hîc eſt terminus quaſi-univerſalis, qui obtinet locum ſubjecti: *Ignis*, *Aër*, *Aqua*, *Terra*, *ſunt quatuor elementa;* terminus quaſi-particularis, qui eſt loco ſubjecti: *Dexter vel ſiniſter oculus* (aut: *alteruter oculus*) *eſt neceſſarius ad videndum.*

Termini multi, qui copulati ſunt, conſtituunt terminum Univerſalem; termini vero multi qui diſjuncti ſunt, terminum Particularem.

Quando termini copulati (ſ. terminus Univerſalis) unâ voce perſtringuntur, tunc illa vox accipi dicitur univerſaliter, item diſtribui. Sic plures termini qui copulantur hîc ex parte ſubjecti: *Petrus eſt*

---

1 [*Bos* enim, quod plenius *boſch* ſcribere ſolemus, Belgice *ſilvam* ſignificat, et *Unus* Arabice eſt nomen plurale a ſingulari *anas*, i. e. manſuetus. L.]

doctus et Paulus eſt doctus, hîc perſtringuntur unâ voce: *Omnis homo eſt doctus*, ideoque vox illa *homo* dicitur etc.

Quando vero termini multi diſjuncti unâ voce perſtringuntur, tunc dicitur vox illa accipi particulariter; ut *homo* hîc: *Aliquis homo* (i. e. *Petrus vel Paulus, etc.*) *eſt doctus.*

Quando autem vox perſtringit unum terminum tantum, tunc dicitur accipi ſingulariter; ut *Petrus* cum dico *Petrus eſt homo.*

Cum vero vox quae ſingulariter capitur, perſtringit interim terminum compoſitum ex pluribus terminis, ſiquidem plures illi termini in termino compoſito copulentur, dicetur vox illa accipi quidem ſingulariter in genere, ſed in ſpecie etiam quaſi-univerſaliter. Sic *Apoſtoli* cum dico *Apoſtoli ſunt duodecim* (nam eſt unum tantum ſubjectum unius ejuſdem affirmationis a duodecim illis hominibus conſtitutum, ſed eſt ſimilitudo quaedam hujus acceptionis ſingularis cum univerſali, eo quod in utrâque plures termini copulative numerantur). Quando autem vox perſtringit unum terminum e pluribus diſjunctis compoſitum, tunc ſimiliter in genere quidem dicitur accipi ſingulariter, in ſpecie vero quaſi-particulariter, ut *oculus* hîc: *Alteruter oculus neceſſarius eſt ad videndum.*

De reliquis Acceptionibus infra, cum de Sophiſmate acturi ſumus.

Enumeratio dividitur etiam in Tectam et Apertam. Aperta eſt ubi clare et ad ſenſum enumeramus, ut hîc: *Petrus et Paulus ſunt duo.* Tecta eſt ubi enumeramus quidem, ſed ſic ut ſenſus non appareat, ut hîc: *Omnia elementa ſunt quatuor*, tecte enumeravi omnia elementa: Ignem, Aërem, Terram, Aquam.

Enumeratio Copulativa et Enumeratio Laxa ſunt termini Diſparati. Concordant in hac enumeratione: *Petrus eſt doctus et Paulus eſt doctus.* Prior diſcordat a poſteriori in hac: *Petrus et Paulus ſunt duo*, poſterior vero diſcordat a priori in hac: *Vel Petrus eſt doctus vel Paulus e. d.*

Similiter termini Diſparati ſunt Acceptio Communior et Acceptio Copulativa. Concordant in ſubjecto hujus: *Homo eſt animal.* Prior diſcordat in ſubjecto hujus: *Aliquis homo eſt doctus.* Poſterior vero diſcordat a priori in ſubjecto hujus: *Omnia elementa ſunt quatuor.*

Enumeratio Diſjunctiva et Laxa ſunt etiam termini Diſparati. Concordant in hac: *Vel Petrus eſt doctus vel Paulus e. a.* Diſjunctiva diſcordat a Laxâ hîc: *Vel dexter vel ſiniſter oculus eſt neceſſarius ad*

videndum. Laxa difcordat a Difjunctivâ hîc: *Et Petrus eft doctus et Paulus e. d.*

Similiter termini Difp. funt Acceptio Difjunctiva et Acc. Communior. Concordant hîc: *Aliquis homo eft doctus.* Difcordat Communior in fubjecto hujus: *Omnis homo eft doctus;* Difjunctiva in fubjecto hujus: *Alteruter oculus etc.*

Enumeratio Copulativa et Preffa concordant in hac: *Duo et tria funt quinque.* Cop. difcordat hîc: *Petrus eft doctus et Paulus e. d.* Preffa hîc: *Dexter vel finifter oculus etc.*

Eodem modo Acceptio Copulativa et Acc. Simpliciter communis concordant in Acceptione fubjecti hujus prop.: *Omnia elementa funt quatuor;* uno verbo concordant in Accept. quafi-univerfali. Acc. Simpl. communis difcordat a Copul. hîc: *Aliqua navis eft neceffaria ad navigandum*, uno verbo in Acc. confufâ.

Enumeratio Difjunctiva et Preffa concordant in hac: *Vel dexter vel finifter oculus etc.* Difjunctiva difcordat a Preffâ: *Vel Petrus eft doctus vel Paulus e. d.* Contra Preffa in hac: *Duo et tria funt quinque.*

Igitur Acceptio Difjunctiva et Acc. Simpl. communis etiam funt termini Difparati. Concordant in Acc. confufâ, qualis eft in fubjecto hujus: *Alteruter oculus etc.* Prior difcordat in Acc. particulari: *Aliquis homo eft doctus.* Pofterior in Acc. quafi-univerfali: *Omnia elementa funt quatuor.*

Ad pag. 215.

N. 1. Acceptio communis habet conjunctam Enumerationem. Quando habet conjunctam Enumerationem Copulativam, ipfa Copulativa vocatur. Sic *Homo* accipitur copulative, quando dico *Omnis homo eft doctus*, item *Omnes homines funt plus quam mille.* Quando habet conjunctam Enum. Difjunctivam, ipfa vocatur Difjunctiva; v. g. *Aliquis homo eft doctus*, item *Aliquis homo requiritur ad loquendum.* Quando habet conj. Enum. Laxam, vocatur Acceptio Communior, eo quod inter communes frequentior fit; v. g. *Omnis homo eft doctus*, item *Aliquis homo e. d.* Acceptio Communis, quando ei conjungitur Enum. Preffa, vocatur Simpliciter communis, eo quod inter communes fit rarior; e. g. *Omnes homines funt plus quam mille*, item *Aliquis homo requiritur ad loquendum.*

Quando Acceptioni Communi conjungitur Enumeratio quae fimul

ſit et Copulativa et Laxa, tunc etiam Acc. illa non tantum Copulativa vocatur, ſed etiam Univerſalis, et uno nomine Diſtributio. Unde quatuor ſunt conditiones Diſtributionis: 1. vox debet accipi ordinarie, 2. communiter, 3. copulative, 4. communius, ſ. cum Enumeratione Laxâ.

Acceptio communis, quando ei conjungitur Enumeratio quae ſimul eſt Copulativa et Preſſa, vocatur Acceptio Quaſi-univerſalis; v. e. *Omnes homines ſunt plus quam mille*, etc. Ejus etiam ſunt quatuor conditiones: 1. vox debet accipi ordinarie, 2. communiter, 3. copulative, 4. ſimpliciter communiter ſ. cum Enum. Preſſâ.

Quando A. C. habet conj. Enum. Diſjunctivam et Laxam, vocatur Particularis, item Determinata; unde quatuor conditiones: 1. vox debet accipi ordinarie, 2. communiter, 3. diſjunctive, 4. communius.

Quando Acceptioni Communi conjungitur Enum. Diſjunct. et Preſſa, tunc illa Acc. vocatur Quaſi-particularis, etc.

Univerſale dicit *Et* ſeu Enumerationem Copul. Particulare dicit *Vel* ſeu Enum. Diſj. *Quaſi* dicit Enumerationem Preſſam. Omiſſio iſtius particulae Enum. Laxam.

Univerſalis Acceptio dicit ſingulos, Quaſi-univerſalis dicit univerſos. Particularis admittit interrogationem *Quis?* Quaſi-particularis non admittit illam.

Inter Acceptiones frequentiſſima eſt communis (ſc. in ſcientiis, quae de ſingularibus non tractant). Inter communes frequentior eſt communior. Haec autem duplex eſt, univerſalis et particularis, quae ambae aeque frequentes ſunt, ſed in diverſis locis altera earum alterâ naturalior eſt. In ſubjecto Affirmationis naturalis eſt Acceptio univerſalis (itaque illa ſemper ibidem eſt niſi amoveatur per notam *Aliquis*); in praedicato Affirmationis naturalis eſt Acceptio particularis. In Negatione haec convertuntur, et in ſubjecto Negationis naturaliter viget Acceptio particularis (itaque haec ſemper adeſt niſi excludatur per notam *Nullus*); in praedicato autem Negationis naturaliter viget Acceptio univerſalis.

Quando quaeritur, quomodo vox aliqua accipiatur, reſpondendum eſt per membrum aliquod Acceptionum quod ulterius non ſubdividitur in alia membra; talia autem ſunt ſeptem: Grammatice, Logice, Singulariter, Univerſaliter, Particulariter, Quaſi-univerſaliter, Quaſi-particulariter.

Ex his feptem Acceptionibus exfurgunt totidem Propofitiones; inter quas duae funt Quantae, nempe Univerfalis et Particularis; quinque reliquae Non-quantae dicuntur. Et fiquidem nota Quantitatis (*Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*) non praefigatur expreffe, fed tantum fubaudiatur, vocantur Indefinitae.

Quaedam etiam Quantae funt Naturales, quaedam Artificiales. Naturales funt quarum fubjectis vel nulla nota praefigitur (ut funt omnes Indefinitae), vel illa praefigitur quae adeft a naturâ (i. e. quae fi verbo abfuiffet, re tamen et fenfu adfuiffet); inde omnes univerfales Affirmantes et particulares Negantes, five expreffe Quantae fuerint five Indefinitae, funt propofitiones Naturales. Propofitio Artificialis eft cujus fubjecto nota Quantitatis praefigitur quae non ineft a naturâ (i. e. fi verbo abfuiffet, re et fenfu non fuiffet fubaudita); tales funt omnes Affirmantes particulares omnefque Negantes univerfales.

AD PAG. 218.

N. 1. Plures Termini uno et eodem loco fub eodem nomine convenientes non conftituunt Homonymum. Sic *Homo* non eft Homonymum quando dico *Omnis homo eft doctus;* ibi tamen fub ifto nomine plures termini funt, nempe *Petrus* et *Paulus*, etc. Requiritur ergo ad Homonymum ut plures termini fic fub eodem nomine veniant, ut unus uno loco, alius alio loco veniat; adeoque nomen Homonymum ad minimum bis debet poni, faltem virtute. Quod addo quia, fi quis dicat *Librum Petri divendi*, intelligens hoc de libro cujus Petrus eft auctor, et audiens hoc accipiat de libro cujus Petrus eft poffeffor, Homonymia erit in ifto nomine *Liber Petri*, et tamen femel tantum expreffe ponitur, dum virtute bis ponitur, femel apud loquentem, iterum apud audientem.

N. 2. Vox dicitur accipi Aequivoce, quando pluribus locis pofita uno quidem loco accipitur pro aliquo, pro quo non accipitur alio loco; ut cum dico *Omnis homo eft doctus*, ibi vox *Homo* aequivoce fumitur, priori loco enim pro omnibus hominibus capitur, pofteriori pro duobus tantum. Vox autem dicitur Univoce capi, quando ubique capitur pro omnibus iifdem, ut hîc: *Omnis homo eft doctus* et *Aliquis homo eft natus de virgine.* Homo enim utrobique capitur pro omnibus hominibus tantum diverfimode enumerandis; quae diverfitas hîc non inducit diverfitatem Acceptionis.

Nota igitur, quod diverſitas Enumerationis nunquam inducat Aequivocationem, niſi ſimul inducat diverſitatem rei acceptae. Quod addo propter Enumerationem Laxam et Preſſam; cum enim Acceptioni communi adhaeret ſemel Enum. preſſa et alias Enum. laxa, licet eadem omnia enumerentur, non eſt tamen Acceptio pro iiſdem, ſed pro diverſis. Cum enim preſſe enumeramus, Acceptio fit pro multitudine vel multiplici; cum laxe enumeramus, Acceptio fit pro ipſis multis. Sic Aequivocatio committitur hîc: *Omnis planeta eſt ſtella, omnes planetae ſunt ſeptem ſtellae, ergo quaedam* [ſic] *planeta eſt ſeptem ſtellae;* nam in majori *planeta* ſumitur pro multis, in minori ſumitur pro multitudine, quae licet illis multis conſtet, non tamen formaliter illa multa eſt. Sic etiam hîc: *Navis eſt neceſſaria ad navigandum; cymba eſt navis, ergo cymba eſt neceſſaria etc.;* nam in majori ſumitur pro multiplici *navis*, in minori pro multis diſjunctive enumerandis.

Ad pag. 219.

N. 3. Diſcrimen inter Aequivocum purum et Analogum: quod Analogum per omnes linguas ſolet diffundi (ut *Prata ridere* non tantum Latine dicimus ſed etiam Belgice, etc.), Aequivocum autem purum unâ fere linguâ terminari ſolet (ut *Jus* Latinis aequivocum eſt, Belgis non item; *Licht* vero Belgis aequivocum, Latinis non item). Ratio hujus diſcriminis eſt, quod Analogum non ſit vere Homonymum ſeu Aequivocum; in Analogo enim plures termini non veniunt ſub eodem nomine (niſi forte quoad exteriorem apparentiam), ſed ſub diverſis nominibus, unum nempe ſub nomine ſolo, alterum ſub eodem cum adjunctâ particulâ *Quaſi*. Ut certa ſtella eſt *Sol*, *Chriſtus* vero non eſt *Sol* niſi ſubauditâ vel additâ part. *Quaſi*. Non eſt igitur mirum, Analogum vagari per omnes linguas, cum ſimilitudo apud omnes nationes ſit eadem.

N. 4. Haec ſpecies Analogiae non multum habet loci in Philoſophiâ; Philoſophi enim qua tales utuntur proprio ſermone, non autem Tropis rhetoricis.

Ad pag. 220.

N. 5. Haec Analogia apud Philoſophos etiam viget; tenentur enim aliquando propter penuriam vocum, eandem vocem modo per actum, modo per potentiam, etc. capere, ut patet ex cap. 2. noſtri libelli, ubi ſubjectum et praedicatum per actum, per habitum, etc. capi dicuntur.

N. 6. Quando terminus capitur Grammatice, tunc capitur pro ſuo nomine. Quando capitur Logice, tunc capitur pro themate (i. e. pro re quatenus certo modo ſignificatâ per vocem). Quando ſumitur ordinarie, tunc ſum. pro re ſignificatâ. Quando communiter, tunc pro multis; quando ſingulariter, tunc pro uno. Quando univerſaliter, tunc ſumitur pro multis intercedente *Et;* quando particulariter, tunc pro multis interced. *Vel.* Quando quaſi-univerſaliter, tunc pro multitudine; quando quaſi-particulariter, tunc ſumitur pro multiplici. Apparet igitur, vocem plerumque ſumi pro aliis et aliis, et per conſequens, vocem illam Aequivoce capi ſeu Homonymiam committi.

N. 7. Ex iis quae ad praecedentem n. .notata ſunt ſatis patet, Acceptionem univerſalem et particularem poſſe permutari inter ſe ſine aequivocatione; ſunt enim duae illae Acceptiones pro ipſis multis, ergo nulla erit ratio Homonymiae ſeu Aequivocationis agnoſcendae. Aliud eſt cum vox univerſaliter et quaſi-univerſaliter capitur; eo enim caſu uno loco pro multis, alio pro multitudine ſeu numero illorum capitur; unde hîc Homonymia eſt: *Omnis Apoſtolus eſt homo* et *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim.* Similiter cum vox accipitur particulariter et quaſi-particulariter; priori enim loco pro multis, poſteriori pro multiplicitate eorum ſumitur, ut hîc: *Cymba eſt navis, et navis eſt neceſſaria ad navigandum, ergo cymba eſt n. ad n.*

AD PAG. 221.

N. 1. Haec regula nullam habet exceptionem. Cum enim loquens abſurde utitur vocabulis, reprehendi quidem poteſt ab audientibus, ſed tamen audientes debent per vocabula hoc quod ipſe velit accipere, et penes eam Acceptionem aut concedere aut negare quod dicit.

N. 2. Haec regula patitur aliquam exceptionem, et primum quidem irrefragabilem exceptionem facit prima regula; ſi enim loquens aliam quam communem et obviam Acceptionem dedit, ſtandum eſt voluntati ejus. Secundo exceptionem ſaepe patitur haec regula a tertiâ regulâ, praeſertim quando cum infirmioribus et non bene in Logicâ verſatis agendum eſt; tunc enim contra communem et obvium ſenſum ſaepe ſtamus pro veritate propoſitionis quam loquens profert. Ut ſi dixerit, *Omnes homines eſſe in hoc conclavi*, capiemus ſubjectum univerſaliter, aut ſi dixerit, *Omnes homines non poſſe eſſe in hoc cubiculo*, capiemus quaſi-univerſaliter, ut ſic veritas afferatur propoſitioni. Tertio ex-

ceptionem valde magnam patitur ſecunda regula a quartâ; vix enim attendimus ad communem et obvium ſenſum, cum conformitas ſermonis aliud requirit; v. g. ſi quis dixerit, *Gallum eſſe avem*, poſteaque ſubſumat, *Ludovicum eſſe Gallum*, negabimus ei minorem propter conformitatem ſermonis.

Ad pag. 222.

N. 3. Haec regula etiam habet tres exceptiones. Irrefragabilem a primâ regulâ; frequentem a ſecundâ. Cum enim inter firmos verſamur ſeu in Logicâ verſatos, non favemus veritati dictorum ipſorum (quod quodammodo Caritatis eſt), ſed metimur dicta ipſorum ad regulam communis ſermonis communiſque et naturalis intellectùs (quod quodammodo eſt rigidae Juſtitiae). Tertiam exceptionem habet haec a quartâ regulâ; inter firmos perpetuam (inter hos enim Acceptiones aeſtimamus penes conformitatem ſermonis, nunquam vero penes favorem veritatis), raram et fere nullam inter infirmos; horum enim dicta ſemper interpretamur in meliorem partem, conamurque ea quantum fieri poteſt verificare.

N. 4. Haec regula duas tantum habet exceptiones. Irrefragabilem a primâ regulâ, et aliquando benignam a regulâ tertiâ, quando cum infirmis agitur. Sed non videtur admittenda exceptio tertia, quae fieret per regulam ſecundam. Voces etiam quam maxime contra communem et obvium ſenſum interpretari ſolemus quando id poſtulat conformitas ſermonis. V. g. quia in Logicâ noſtrâ dicimus, terminos *concordes* eſſe qui in eodem ſubjecto conveniunt, hinc poſtea dicemus, *Hominem et Brutum non concordare*, etiamſi juxta communem ſermonem dicendum eſſet *concordare*, nam ambo ſunt animalia, ambo ſentiunt, etc.

Ad pag. 224.

N. 1. Regulae ſpeciales quae derivantur ex ſecundâ regulâ generali, hinc patiuntur eaſdem exceptiones.

N. 5. Nota *Omnis* ſaepe implicite praefigitur, ſed nota *Nullus* niſi expreſſe praefigitur, non cenſetur abſolute praefigi, (ſtando ſaltem in ſecundâ reg. generali, in qua ſtant hae regulae ſpeciales). Igitur ſi dictum fuerit *Animal non eſt homo*, non ſubintelligitur *Nullum* ſed *Aliquod*. Similiter ſi dicas *Bos non eſt mus*, etiamſi nullus Bos ſit mus, ſenſus tamen eſt, *Aliquem bovem non eſſe murem.*

AD PAG. 226.

N. 8. Nota *Aliquis* implicite praefigitur fubjectis Negationum quando illis nulla nota expreffe praefigitur; ut *Animal non eft homo* idem eft quod *Aliquod animal non eft homo.* Cum enim *animal* ibi accipiatur communiter feu pro multis (non enim ibi fermo eft de uno aliquo animali) et multa illa enumeranda fint, debent ibi enumerari per *Et* aut per *Vel.* Sed, fi numeres per *Et*, falfa reddetur propofitio, cum tamen vera fit (quia haec falfa eft: *Animal eft homo*); igitur numerandum per *Vel*, adeoque efficitur fenfus *Aliquod animal non eft homo.*

In propofitionibus autem Affirmantibus nota *Aliquis* nunquam fubauditur fubjecto (quamdiu fc. ftatur in fecundâ reg. generali), nam *Animal eft homo* perinde eft ac *Omne animal etc.* (ut fupra part. 1., fect. 1. cap. 2. n. 5.), cumque *Animal* ibi pro multis capitur, fiquidem numeres per *Vel*, vera reddetur propofitio; reftat ut per *Et* numeres, quo pofito exfurgit hic fenfus: *Omne animal eft homo.*

N. 11. Praedicatum Affirmationis univerfalis (i. e. conftantis fubjecto diftributo feu univerfaliter fumpto) accipitur quidem particulariter (ficuti generatim per regulam decimam praedicatum Affirmationis accipitur particulariter), fed non femel accipitur particulariter, aft faepius. Quod intelligi poterit ex hoc fchemate:

OMNIS HOMO EST ANIMAL, id eft (primo): *Hic homo eft an.*; id rurfum eft: *Vel hic homo eft hoc animal, vel hic homo eft illud animal;*

(fecundo) *et ifte homo eft an.*; id rurfum eft: *Vel ifte homo eft hoc an., vel ifte h. eft iftud an.;*

(tertio) *et ille homo eft animal;* id rurfum eft: *Vel ille homo eft hoc an., vel ille h. eft iftud an.*

Et fic porro pergendum in infinitum. Ubi vides, in fingulis claffibus, quae numero primo, fecundo, tertio infinitae funt, *Animal* accipi femel particulariter; adeoque in omnibus fimul claffibus, faepe ufque in infinitum, particulariter accipitur. Non poteft autem *Animal* in hac propofitione *Omnis homo eft animal* accipi femel tantum particulariter, quia tum fenfus effet: *Vel omnis homo eft hoc animal, vel omnis homo eft iftud animal, etc.*, qui fenfus fine dubio falfus eft, cum nullum fit Auimal quod fit Omnis homo.

Ad pag. 227.

N. 1. *Primum Axioma.* Sit subjectum A, Praedicatum B, et C dicatur de A; dico quod C etiam dicatur de B particulariter sumpto. Nam A concordat cum B (per leg. 3. pri.); igitur A dicitur de B particulariter sumpto (per leg. 1 post.); igitur B part. sumptum est subjectum et A praedicatum de ipso (per defin. Subj. et Praed.). Igitur et quod dicitur de A (per suppos.) etiam dicitur de B particulariter sumpto (per 1. Axiom. 1. Quadr.). Q. e. d.

Axiomata hujus secundi Quadrati etiam applicanda sunt ad terminos Convertibiles et Subalternos, sicut id fecimus circa Axiomata Secundi Quadrati, etc. Oportet autem supponere praedicatum capax.

Ad pag. 228.

N. 5. Nota, omnia haec Axiomata supponere aliquam affirmationem primo loco positam; secundo vero loco incipere dispensationem ipsorum Axiomatum, et tandem tertio loco finiri. Unde clare insinuantur tres propositiones in Syllogismis, quibus moderantur ista Axiomata.

Sed Axiomata duorum primorum Quadratorum supponunt primo loco Affirmationem Naturalem (i. e. eam quae subjectum suum secundum se adfert). Axiomata autem Appendicis supponunt primo loco Affirmationem Artificialem (i. e. quae Subjectum suum tantum designat per notam *Aliquis*). Cum enim Axiomata Quadratorum diserte loquantur de Subj. et Praed., utique oportet praecedere expresse vel implicite Affirmationem aliquam, in qua haec diserte reperiantur, i. e. Naturalem. Axiomata autem Appendicis loquuntur tantum de Terminis Concordibus, qui designantur per Aff. Artificialem; in hac enim tantum innuitur, terminos, qui abjectâ notâ *Aliquis* supersunt, concordes esse, seu idem habere subjectum.

N. 5. et 6. Quia inter Terminos Concordes infimo loco censentur Disparati, hinc Axiomata Appendicis proprie quadrant in illos, atque sic accommodari possunt:

(1.) Quod dicitur de uno Disparatorum, dicitur etiam de altero particulariter sumpto. Ratio est, quia Disparati sunt Concordes. Sic sequitur *Bipes ambulat, ergo Aliquod Brutum ambulat.* Item: *Brutum est irrationale, ergo aliquod Bipes est irrat.*

(2.) Quod negatur de uno Disparatorum distributo, negatur etiam de altero. Sic sequitur: *Nullum Bipes est quadrupes, ergo Aliquoa*

Brutum non eſt quadrupes. Item: *Nullum Brutum eſt homo, ergo Bipes non eſt homo.*

Atque ita habentur in hiſce Quadratis cum Appendice omnis Syllogiſmi, item omnia Enthymemata. Syllogiſmi in ipſis quidem Axiomatibus ſunt, Enthymemata vero in applicationibus Axiomatum ad Terminos Convertibiles, Subalternos, etc.; quod ita eſſe monſtravimus in Methodo noſtrâ.

AD PAG. 238.

N. 4. Ad partem Enunciationis Compoſitae duo requiruntur. 1. Debet eſſe Enunciatio (defectu hujus condicionis in hac compoſitâ: *Veni vidi*, pars non eſt *ego* aut *fuens veniens*). 2. Debet ea Enunc. expreſſe cum alia Enunc. exhiberi in Enunc. Compoſitâ (defectu hujus cond. *exſtiti* non eſt pars illius *Veni vidi*, quia non ingeritur expreſſe in illa, ſed tantum implicite, eo quod ſequitur *Veni, ergo exſtiti.*

Enunc. Comp. eſt plures formaliter ac expreſſe Enunciationes ſimul-ſumptae. Dico *formaliter et expreſſe*, quia alioqui omnis En. eſſet Compoſita; vide n. 1. et 2. in Textu. Addo *quâ Enunciationes*, quia ad Enunc. Comp. non ſufficiunt plures quomodocunque Enunciationes; ſi enim non ut Enunciationes, ſed ut Subjecta et Praedicata, aut ut horum partes concurrerent, non conſtituerent Enunc. Compoſitam. Sic haec non eſt Compoſita ſed Simplex: *Petrus eſt doctus non eſt Paulus eſt doctus.* Ex quo intelligis, etiam Negationem non debere compoſitam dici; etiamſi enim duplex ſit Enunciatio, nempe Affirmatio inclufa et ipſa integra Negatio, tamen prior harum non ut Enunc. ſed ut Subjectum concurrit.

Vides etiam hinc, Enunciationem Condicionalem non eſſe Compoſitam; duarum enim Enunciationum, quas expreſſe proponit, unam ut Subjectum, alteram ut partem Praedicati proponit. V. g. *Si cogito, ſum;* ſenſus eſt: *Cogito infert Sum*, ubi proinde *Cogito* eſt ſubjectum, *Sum* autem pars praedicati.

Enunciatio autem Rationalis proprie eſt En. Compoſita, et quidem Copulativa, conſtans Antecedente tanquam unâ parte, et Enunc. condicionali, ex Antecedente et Conſequente, tanquam alterâ parte. V. g. haec Enunc. Rationalis: *Cogito, ergo ſum*, hunc habet ſenſum: *Et cogito et, ſi cogito, ſum*, ſeu *Et cogito et hoc infert Sum* (ſ. *me eſſe*). Ex quo patet, in omni Argumento Rationali ſemper involvi

aliquod Arg. Condicionale, et proinde in Syllogifmo Hypothetico directo primam praemiffam redundare. Hinc fi opponens Hypotheticum directum propofuerit, defendens tantum repetat pofteriorem partem.

Dixeram etiam *Enunciationes fimul-fumptae*, quia una Enunc. hodie et altera cras pronunciatae fine ulla fimul-fumptione intellectûs noftri, non conftituunt Enunciationem Compofitam.

Ex his fequitur, omnem Enunc. Compofitam effe Copulativam aut Difjunctivam. Cum enim intellectus nofter plura fimul fumit et enumerat, aut Copulative aut Difjunctive enumerat, ut fupra fatis oftenfum eft. Non licet hîc autem alias fpecies comminifci ob Enumerationem Laxam et Preffam; quia Enunciationes quâ tales (quae hîc requiruntur) non poffunt nifi laxe enumerari, femperque recedent a fe mutuo integrâ et perfectâ fententiâ, cum ipfaemet integrae funt et perfectae fententiae; ut proinde hîc non debeat illa diverfitas exfpectari in Enunc. Compofitis, quae ante fe obtulit in Acceptionibus Communibus ab Enumerationum diverfitate petita.

Ad pag. 243.

N. 3. Copula pura eft quae fe folâ non poteft inducere veritatem falfitatemve in Enunciationem Compofitam, fed tantum id praeftat adjuta a veritate falfitateve alicujus partis. Copula autem impura eft, quae fe folâ veritatem, fine adminiculo partis verae, vel falfitatem, fine adminiculo partis falfae, inducere poteft in Enunc. Comp. *Et* introducit veritatem non nifi cum adminiculo utriufque partis verae, falfitatem vero cum admin. etiam unius partis falfae. Oppofitum fit in *Vel*, nam introducit veritatem cum admin. unius partis verae, falfitatem vero non nifi cum adminiculo utriufque partis falfae. Copulae purae tamen introducunt aliquando neceffitatem atque impoffibilitatem fine admin. partis neceffariae vel impoffibilis; ut haec neceffaria eft: *Sto vel non fto;* haec impoffibilis: *Sto et non fto;* in hac tamen neutra pars impoff., in illâ neutra pars neceff. eft.

Impurae Copulae continent in fe enunciationem aliquam; funt enim verae vel falfae. Sic *Quia Ariftoteles ambulavit*, *A. eft doctus* falfa eft, et falfitas omnis recumbit in copulâ *Quia*. Sic etiam *Quia Petrus eft bos*, *P. eft brutum* etfi falfa effe intelligatur, tamen veritas aliqua percipitur in copula *Quia*, et bene intelligimus, hanc non effe in caufâ cur praedicta enunciatio fit falfa. Idem facile videmus in notâ

Ergo; differunt autem iſtae duae notae, quod *Quia* antecedentis, *Ergo* conſequentis nota eſt; ſufficit autem alterutram notam apponere. Quando *Ergo* ſimul cum condicionali copulâ reperitur, poteſt etiam e medio loco revelli, ut hîc: *Si ſto, ſtare poſſum,* poteſt *Ergo* implicite poſitum e medio revelli, hoc modo: *Ergo ſtare poſſum, ſi ſto.* Ex quo patet, quod *Si* et *Ergo* inter ſe conjuncta in eâdem Enunc. Compoſ. poſſunt quidem ambo ſeorſim revelli e loco medio, ſed ita ut, cum unum antrorſum revellitur, alterum ad medium deturbetur et contra, obſervato ut mutetur ordo extremorum.

Quia autem enunciationem in ſe continent Copulae Impurae, omnis autem enunciatio re ipſâ eſt Affirmatio (part. 2. ſect. 1. cap. 1. n. 5.), hinc etiam in copulis imp. ſubjectum et praedicatum deſignari debent. Quod quia primâ fronte paradoxon videtur, hinc Logicis agnitae non fuerunt, et ignorantia Impuritatis iſtarum copularum totam iis abſtulit Enunc. Compoſitae veram doctrinam. Compoſita namque Enunciatio non niſi Copulativa Diſjunctivave eſſe poteſt; quod illi non animadverterunt ob alias illas copulas grammaticales, quas non minus veras atque puras quam *Et* et *Vel* arbitrabantur. *Quia eſt, cogitat;* ibi in *Quia* continetur haec affirmatio (quae et praedictam enunc. falſam reddit): *Exiſtere infert Cogitare in eodem.* Similiter *Eſt, ergo cogitat,* ubi in *Ergo* continetur haec affirmatio: *Cogitare ſequitur Eſſe in eodem.*

Quia etiam impurae ſunt hae copulae, neceſſum eſt ut equidem puram copulam involvant (quia impurum non eſt aliud quam purum cum aliquo alio). Dicimus ergo quod involvant copulam *Et,* et proinde ſive Cauſalis (cujus copula eſt *Quia*) ſive Rationalis Enunciatio (cujus copula eſt *Ergo*) revera ſunt Enunc. Copulativae; ut *Cogito, ergo ſum* ſic reſolvitur: *Et cogito, et ex Cogito ſequitur Sum.* Idem facile oſtenditur in Cauſali.

Sed difficultas manet circa Copulam Condicionalem, quam non poſſumus recte dicere eſſe Cop. Impuram, cum nullam involvat Puram; neque enim *Et* neque *Vel* in *Si* reperiuntur. Dico ergo, *Si* non eſſe abſolute Copulam, ſed verbum grammaticum contractum, acſi diceretur *Sequitur;* veluti *Si cogitat, eſt,* id eſt *Sequitur ex Cogitat Eſt.* Ex quo rurſum clare patet, Enunc. Condicionalem eſſe Simplicem tantum Enunciationem.

Duae ergo ſunt Copulae Purae: *Et* (quae pertinet ad totum actuale)

et *Vel* (quae pert. ad totum potentiale); duae etiam Copulae Impurae, quae non tam reapse (ambae enim consequentiam notant) quam connotato (antecedente vel consequente) differunt, nempe *Ergo* et *Quia*, quarum proinde etiam altera redundat. Manent tres tantum in universum Copulae Grammaticales, quibus accedens Cop. Verbalis *Est* quaternarium numerum absolvit.

AD PAG. 247.

N. 2. In Propositione Relativâ duo verba reperiuntur: Verbum Relationis (quod proprium est particulae *Qui*) et Verbum Propositionis (quod remotius est ab illâ particulâ). Cum V. Rel. praecedit, propositio relativa dicitur Relati Subjecti; cum sequitur, Relati Praedicati.

Implicite Relativa vel est cum verbo Relationis puro (ut *Homo albus non debet esse albus* juxta sensum in quo vera est, hunc nempe: *Homo ille qui albus est*, puta *Petrus*, *non debet esse albus*), vel cum V. Rel. modificato (v. g. *Petrus est brutum non album;* sensus enim est: *P. est brutum quod non est album*). Atque illa quae posterioris generis est, vocatur apud Logicos propositio Infinita. Nota incidenter, hanc propositionem *Homo albus etc.* habere duos sensûs, in quorum altero vera sit, in altero falsa (juxta quem sc. non exponitur relative). Priorem vocant Logici sensum divisum, posteriorem compositum.

AD PAG. 249.

N. 1. Cum Propositio Quanta debeat constare Subjecto sumpto communius, et ad Acceptionem Communiorem tres condiciones requirantur (1°. ut sit ordinaria, 2°. communis, 3°. laxa), hinc per primam cond. excluduntur duae propositiones, nempe Logica (v. g. *Mus subjicitur Animali*) et Grammatica (v. g. *Mus est syllaba*); per secundam cond. excluditur Singularis (v. g. *Petrus est homo*); per tertiam excluduntur rursus duae, nempe Quasi-universalis (v. g. *Omnia elementa sunt quatuor*) et Quasi-particularis (v. g. *Aliqua navis est necessaria ad navigandum*). Adeo ut in universum quinque sint propos. Non-quantae, et duae Quantae, nempe Universalis et Particularis.

N. 2. Nota bene, has non esse proposs. ejusdem quantitatis: *Omnis homo est doctus* et *Omnia elementa sunt quatuor;* nec illas: *Aliquis homo est docendus* et *Aliquis homo requiritur ad docendum.* Similiter non sunt diversae quantitatis, quarum altera est universalis, altera quasi-particularis, aut altera quasi-universalis, altera particularis. Unde

etiam patet, multas esse propositiones quae nec ejusdem nec diversae sunt quantitatis; sicut Homo et Lapis nec recte eadem, nec recte diversa cogitare dicuntur, sive nec ejusdem nec diversae cogitationis esse, quia Lapis nullius est cogitationis.

AD. PAG. 250.

N. 3. *Prima Regula:* In universali negativâ utrumque extremum distribuitur. Haec regula complectitur duas regulas speciales, nempe quintam et septimam quas vide pag. 225. *Nullus Homo est Brutum;* ibi *Homo* distribuitur, nam sensus est: *Et hic homo non est br., et iste homo non est br., etc.* Sed et *Brutum* distribuitur, nam sensus est: *Et nullus homo est hoc br., et nullus homo est istud br., etc.*

Secunda Regula: In Universali Affirmativâ solum Subjectum distribuitur. Subj. distribuitur per regulam quintam; praedicatum non distribuitur, sed accipitur particulariter, et quidem saepius particulariter, per regulam decimam et undecimam. Rursum igitur Secunda Regula complectitur duas regulas speciales.

Tertia Regula: In Particulari Negativâ solum Praedicatum distribuitur. Praedicatum quidem per regulam septimam; Subjectum vero non distribuitur sed accipitur particulariter per regulam octavam.

Quarta Regula: In Particulari Affirmativâ neutrum extremum distribuitur. Non Subjectum; vide regulam octavam. Non Praedicatum; vide regulam decimam. Singulae ergo hae Regulae complectuntur duas speciales, et fere continent totum quod de Acceptionibus dicendum est, modo sc. stetur in Acceptionibus magis usitatis.

N. 4. Propos. Indefinita, cum est Affirmativa, habet sensum propositionis Universalis. Demonstratur ex primo Ax. primi Quadrati, nam illud Axioma indefinite loquitur proponitque omnes propositiones Aff. Indefinitas. Cum igitur Axioma sit verissimum (quod patet ex ejus demonstratione), necessum est, Indefinitis Affirmantibus accommodare sensum Universalem; si enim particularem aliquam facies, corruet Axioma. V. g. *Homo est animal, et animal est bos, ergo homo est bos* procedit juxta primum Axioma, et secunda prop. etiam erit vera, si indefinitae propp. habent sensum particularem; itaque notus syllogismus erit bonus (utpote Axiomati irrefragabili conformis), et quidem praemissae erunt verae, consequens autem manifeste falsum; quod est absurdum, cum ex vero non nisi verum sequatur, et ante-

cedens non poſſit eſſe verum conſequente falſo, ut infra demonſtrabitur.

Ad pag. 251.

N. 5. Hîc jam tradere poſſumus modum contradicendi (qui eſt unum ex Logicae capitibus). Igitur Enunciatio aut eſt Simplex aut Compoſita.

Compoſita vel habet Copulam Puram vel Impuram. Si Puram, geminamus eam et primo loco praefigimus ei adverbium negandi. V. g. *Sto et loquor;* contradic: *Non et ſto et loquor.* Si vero habeat cop. Impuram, revellimus eam e medio (ſi revulſa non ſit), mutando ſimul ordinem extremorum. V. g. *Sto ſi ſtare poſſum;* contradic: *Non ſi ſtare poſſum, ſto.* Male contradicit vulgus *Petrus eſt homo et Petrus eſt brutum* hoc modo: *P. non eſt homo et P. non eſt brutum*, utraque enim illa compoſita eſt falſa; item *P. eſt h. vel P. eſt br.*, mala contradictio *P. non eſt h. vel P. non eſt br.;* utraque enim enunciatio compoſita eſt vera.

Si vero enunciatio Simplex fuerit, vel eſt Quanta vel Non-quanta. Si Non-quanta, contradicimus ei applicando adverbium negandi *Non* ad copulam verbalem *Eſt.* V. g. *Homo eſt ſecundae declinationis* (haec eſt propoſitio grammatica); contradic: *Homo non eſt ſec. decl.* Item *Homo ſubjicitur bovi* (haec logica); contradic: *Homo non ſubj. b.* Item *Petrus eſt doctus* (haec ſingularis), etc. Si vero propoſ. Quanta fuerit, vel eſt expreſſe Quanta, vel Indefinita. Expreſſe quantis contradicimus praefigendo negationem notae quantitatis; v. g. *Omnis homo eſt doctus;* contradic: *Non omnis h. e. d.* Item *Aliquis homo eſt bos;* contradic: *Non aliquis etc.* Item *Nullus homo eſt doctus;* contradic: *Non nullus etc.*

Ubi bene notandum eſt et cavendum, ne Quaſi-quantis eâdem formâ contradicamus; ſiquidem *Aliqua navis eſt neceſſaria etc.* et *Non aliqua* (ſeu *Nulla*) *navis eſt neceſſ. etc.* non ſunt contradictoriae, quia ambo ſunt ſimul verae; item *Omnia elementa ſunt quatuor*, etc.

Quantis Indefinitis contradicimus eâdem formâ quâ Non-quantis, ſed non eodem ſenſu. V. g. *Animal eſt homo;* contradic: *Animal non eſt homo*, ubi ſenſus ſimilis ſeu ejuſdem farinae cum Quantis; nam *A. eſt h.* perinde eſt ac *Omne a. eſt h.*, et *A. non eſt h.* perinde eſt ac *Non omne a. eſt h.*, ſeu *Aliquod a. non eſt h.*

AD PAG. 255.

N. 4. Enunciatio Modalis (feu Affirmatio de Affirmatione) conftat Modificatâ tanquam fubjecto, et Modo tanquam praedicato. Sicut enim Praedicatum fumitur per Actum, per Potentiam, etc. (cap. 2. hujus libelli), fic etiam Modus fumitur. Unde, cum dico *Sto eft lapis*, ibi quidem *Lapis* eft modus actu, item potentiâ (nam affirmatur de Affirmatione), fed non dignitate. Modus vero potiffimum fumitur per dignitatem, ficut et Praedicatum, atque adeo Modus, per dignitatem, eft omne id quod de Affirmatione affirmare poffumus in Aff. verâ; proinde tales Modi funt *Verum*, *Falfum* feu *Non;* item *Certum*, *Dubium* feu *Forfitan;* item *Neceffarium*, *Poffibile*, *Impoffibile*, *Contingens;* item *Sequens* aut *Inferens*. Ex quo ultimo patet, Enunciationem Condicionalem non effe Compofitam, ut prima fronte videtur, fed Simplicem, et quidem Modalem. Nam *Si fto*, *ftare poffum* eft Affirmatio de Affirmatione *Sto*, nempe quod inferat iftam aliam *Stare poffum*.

Formaliter Modalis eft, quae affirmat de Aff. per adverbium praefixum copulae fuae. V. g. *Petrum effe bovem eft falfum*, haec eft Modalis realiter (abfolute enim eft Aff. de Aff.), fed non eft Mod. formaliter, quia non affirmat per adverbium praefixum copulae; fic igitur reddes Mod. form.: *Petrus non eft bos*. Sic nec ifta modalis eft: *Omnis homo poffibiliter eft in hoc conclavi*, copula enim Quantarum continetur in notâ quantitatis Subjecto praefixâ. Sic igitur modalem facies: *Poffibiliter omnis homo eft in hoc conclavi*, quae falfa eft, cum praecedens vera foret.

Magnopere igitur diftinguendum eft inter Enunc. Modalem et Enunc. conftantem partibus modalibus; nam ipfa Enunc. non cenfetur modalis, nifi Modus cadat in ejus Copulam; ita ut ad rem non faciat fi cadat aut non cadat in copulas partium ejus. Unde haec non eft modalis: *Poffibiliter curro et poff. non curro;* fic modalis efficitur: *Poffib. et curro et non curro*, quod falfum eft cum praecedens illud verum effet.

Quando Modus cadit in copulas partium, Logici vocant fenfum divifum; quando vero cadit in copulam ipfius Enunc., vocant fenfum compofitum. Nec differt re ipfâ a preffâ et laxâ noftrâ Enumeratione, de quâ actum antehac; in fenfu enim compofito preffa enumeratio

32

eſt, praecedentibus partibus tanquam uno ſubjecto, et ſequente Modo tanquam praedicato; in ſenſu diviſo autem laxa enumeratio eſt, praecedentibus partibus tanquam ſubjectis multis, et cum ſingulis conjuncto Modo tanquam praedicato ſaepius repetito.

Enunc. Modalis dicitur etiam habere ſenſum Compoſitum et Diviſum, quando ſc. Quanta eſt. Senſus compoſitus Modalis Quantae eſt juxta quem modus intelligitur cadere in copulam grammaticalem incluſam in notâ Quantitatis. Ut *Impoſſibiliter aliquod animal eſt homo;* ſenſus compoſitus eſt juxta quem modus *Impoſſibiliter* cadit in *Vel* incluſum in notâ *Aliquod*, in quo ſenſu propoſitio vere quidem modalis eſt, ſed et falſa. Senſus autem Diviſus eſt quando modus intelligitur tantum cadere in copulas verbales partium; ſic *Aliquod animal impoſſibiliter eſt homo* ſenſus diviſus eſt, in quo ſenſu propoſitio vera quidem eſt ſed non modalis. Ex quo vides, ſolum in ſenſu compoſito Quantas pertinere poſſe ad Enunc. modales. Vides etiam, ſaepe veram eſſe in ſenſu diviſo, quae in ſenſu compoſito falſa eſt (ut patet in exemplo propoſito; ſaepe contra, ut hîc: *Infallibiliter alterum eſt verum, ſc. cras pluet aut non pluet.* Poteſt etiam ſubinde fieri ut in utroque ſenſu vera ſit vel in utroque falſa, ut iſta: *Neceſſario omnis homo eſt animal*, et haec: *Animal neceſſario eſt homo.*

Patet etiam, in ſenſu Compoſito preſſam fieri Enumerationem, in Diviſo laxam; nam in Comp. plures propoſitiones numerantur tanquam partes ſubjecti intercedente *Et* aut *Vel*, Modus autem quoad ſenſum ſequitur ex parte praedicati, quae enumeratio (cum non ſit enunciationum ut enunciationum) neceſſario preſſa eſt; in ſenſu autem Diviſo plures enunciationes qua tales intercedente *Et* aut *Vel* enumerantur, ut videre potes in exemplis antepoſitis.

Et nota, generatim enumerationem Laxam apud Logicos revocari ad ſenſum Diviſum, Preſſam ad Compoſitum, ut *Aliqua navis eſt neceſſaria etc.* verum eſt in ſenſu Comp., falſum in ſenſu Diviſo; ſimiliter *Omnia elementa ſunt quatuor*, etc. Sed etiam ſenſum Comp. atque Div. agnoſcunt in propoſitionibus conſtantibus Adjectivo Contingenti tanquam ſubjecto, ut *Album non debet eſſe album*, ubi ſenſus diviſus eſt, juxta quem *Album* relative intelligitur, et intercedente *Qui* diviſum a ſubjecto ſuo; ut *Ea res quae eſt alba* (puta paries quiſpiam) *non debet eſſe alba*, qui proinde ſenſus verus eſt. Senſus

autem Compofitus eft, juxta quem non difjungitur fubjectum intercedente Relativo *Qui*, fed potius conjungitur et replicatur intercedente particulâ *Dum*, hoc modo: *Album dum eft album non debet ffe album*, in quo proinde fenfu falfa eft praedicta propofitio. Simi ter facile fenfum Comp. et Div. hujus generis agnofces in iftis: *Sec ens poteft ftare; Quicquid eft, neceffario eft*, quarum prior vera eft in fenfu divifo, falfa in fenfu compofito, pofterior vice verfâ.

AD PAG. 258.

N. 2. Bene notandum eft, quod *Neque* non eft *Non et* (ut alioqui ad verbum fonare videtur), fed idem eft atque *Et non*; nam *Non et* idem eft atque *Vel non*, ut patebit ex fchemate Reductionum. Idem notandum eft in particulâ *Nifi*, quae non eft *Non fi*, fed *Si non*. Et nota hîc generalem Dialecticae admonitionem, diligenter attendendum ad illas particulas, quae cum exteriori apparatu non multum differant, altera tamen veritatis, altera falfitatis auctor effe in oratione poteft; contingunt enim hinc facile fraudes in fermone, et gignuntur errores in animo.

N. 3 et 4. Negatio non poteft cadere nifi in Enunciationem; nihil poteft dici *Non* feu *Falfum* praeter Euunciationem, per hanc, quae apud omnes Logicos exftat, definitionem Enunciationis: *eft dictio vera vel falfa*. Talis ergo Negatio Infinitans, qualem communis Logicorum fchola obtrudit, quae proprie in Subftantivum aliquod, Adjectivum, vel Adverbium cadat, eft impoffibilis. Semper ergo cum *Non* pronunciatum fuerit, fiquidem id rite factum fuerit, feu bono fenfu, femper inquirenda eft Enunciatio feu Affirmatio in quam illud *Non* cadat. V. g. *Non docti faepe funt non probi*, ubi fenfus relativus primum affignandus eft, fc. *Illi qui non funt docti faepe etc.*, et prius *Non* intelligitur cadere in copulam Relationis, et per confequens in partes hujus Quantae particularis: *Quidam funt docti*, quae partes omnes funt enunciationes. Pofterius vero *Non* revellendum eft a praedicato, juxta regulam pag. 267 n. 4., hoc modo: *Qui non funt docti, faepe non funt probi*, ubi pofterius *Non* incidit in copulam propofitionis, et per confequens in hanc Enunciationem: *Qui non funt docti, funt probi.* Videtur aliquando quidem negatio cadere in alium modum Enunciationis, v. g. *Petrus non neceffario currit*, fed hoc non eft ita, cadit enim in Enunc. Modalem conftantem Modifi-

catâ et isto Modo *Necessario;* nam haec Enunc. ibi falsa dicitur: *Petrum currere est necessarium*, pro quo nota quod Modus semper habeat implicite conjunctam copulam verbalem seu verbum *Est*, mediante quo connectitur cum suâ Modificatâ, atque ita in Modali ad minus reperiuntur duae copulae. Subinde autem plures, cum pluribus modis modalem esse contigerit. Singuli enim Modi suam copulam habent, mediante quâ connectuntur in diversis Modificatis; ut *Petrus impossibiliter est bos*, i. e. *Petrus est bos est possibile est falsum;* et adhuc plures esse possunt, v. g. *Petrus evidenter impossibiliter est bos.*

AD PAG. 262.

N. 5. Certum est, ad Enunciationem Negativam requiri, ut Copula ejus afficiatur Negatione; nequaquam autem sufficere, ut Copulae partium ejus Negatione afficiantur. Hinc necessum est dicere, illas quas in scholis vocant Universales Negativas et Particulares Negativas, Negativas non esse, sed Affirmativas ex partibus negativis. In argumentis tamen, ubi Antecedens vel Consequens, vel praemissam Antecedentis aut submissam Consequentis constituunt, merito Negativae vocantur, non in ratione Enunciationis, sed in ratione Antecedentis et Consequentis. Nam ad Antecedens negativum (ut pag. 316 in cap. de Argum. Uniformi et Bif. vidimus) sufficit, unam praemissam esse negativam, similiterque ad Consequens neg. sufficit, unam submissam esse neg. Unde hîc: *Nullus homo est doctus, ergo Petrus non est doctus,* Antec. negativum est, non in ratione Enunc. sed in r. Antecedentis; habet enim quam plurimas praemissas, quae omnes sunt negativae. Atque sic lis illa composita videtur, quae inter nos et scholas de Enunc. Neg. erat; nobis quidem nullam contendentibus esse Negativam Enunc. cujus copula a negatione sit immunis, illis contra negativas quasdam volentibus, quarum non ipsarum copulae, sed dumtaxat copulae partium negatione afficerentur.

AD PAG. 266.

N. 2. Nota bene: *Duplex Negatio facit Affirmationem*, sed non negatio repetita. Haec enim non affirmat, sed fortius negat, ut *Non, non faciam.* Unde commate interjecto distinguitur. Duae Negationes se mutuo proxime quoad sensum sequentes habent se sicut *Falsum est falsum esse.* Affirmatio duplicem infert Negationem.

Petes forte: quid faciet duplex Affirmatio. Resp. Facit Affirma-

tionem, et quidem aequivalentem ſimplici. Negatio enim non negat ſe, ſed Affirmatio affirmat ſe. Hinc obiter moneris, ut caveas tibi ab obſcuro aliquo fonte errorum, qui plurimos adhuc latere videtur; nempe quadrare homines amant, et obſervantes forte, duplicem Negationem facere Affirmationem, praecipitanter dicunt aut exiſtimant, pariformiter jam etiam duplicem Affirmationem facere Negationem; et quia Affirmans et Affirmata ſententia ſunt idem, quadrandi ſtudio longius quam veritas ſinit abducti, dicunt etiam Negantem et Negatam idem eſſe. Hunc Genium ſic quadrandi et ornandi omnia vocavi in Saturnalibus meis Mangonem, et oſtendi plurimorum in Philoſophiâ errorum cauſam eſſe.

Ad pag. 276.

N. 2. Antecedens eſt Enunciatio quae dicit totum quod dicit aliqua alia enunciatio, ſeu Enunc. quae continet aliquam aliam. Conſequens vero ea eſt, quae ſic continetur in aliâ enunciatione.

Ad pag. 278.

C. VIII. 1a *Proprietas.* Antecedens dicit, ſuum Conſequens eſſe verum. — Conſequens enim dicit ſe eſſe verum (nam omnis Enunciatio, cf. pag. 234). Antecedens autem dicit omne quod Conſequens (per defin. Anteced.), ergo dicit ſuum Conſ. eſſe verum; q. e. d.

2a *Proprietas.* Fieri non poteſt ut Antec. ſit verum et Conſeq. falſum. — Antec. enim dicit, ſuum Conſ. eſſe verum (per 1. propr.); ſi ergo Conſ. non ſit verum, ſed falſum, mentitur Antec., ergo et ipſum erit falſum.

3a *Proprietas.* Quandocunque Antec. eſt verum et Conſ. etiam eſt falſum, Antec. etiam eſt falſum. — Alias enim habebitur Antec. verum et Conſ. falſum, quod eſt contra ſecundam propr.

4a *Proprietas.* Fieri poteſt ut Anteced. ſit falſum, Conſ. verum, ut hic: *Duo et tria ſunt ſex, ergo duo et tria non ſunt ſeptem;* et hoc ſatis demonſtratum eſt, nam poſſe ſatis demonſtratur per unum actum.

De Contradictione.

Contradictoria ſeu Contradictio non eſt aliud quam Enunciatio falſa. V. g. contradictoria hujus: *Sto* non eſt aliud quam ea ipſa falſa ſeu *Non ſto.*

Enunciationibus ſingularibus et quaſi-ſingularibus contradicimus praefigendo adverbium negandi copulae verbali. V. g. *Petrus eſt doctus;* contradic: *P. non eſt d.* Item *Omnes apoſtoli ſunt duodecim;* contradic: *Omnes ap. non ſunt duod.* Item *Aliquis homo requiritur ad curſum;* contradic.: *Aliquis h. non req. etc.*

Modalibus contradicimus Negationem proxime praefigendo ipſi modo ſeu adverbio quo modales redduntur; ut: *P. non eſt neceſſario doctus*, non autem ſic: *P. neceſſario non eſt doctus.*

Quantis contradicimus Negationem praefigendo notis illis *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis.* Quod ſi Quantae fuerint Indefinitae ut vocantur, ſeu Naturales ut nos vocamus, contradicimus eâdem formâ quâ ſingularibus et quaſi-ſingularibus, nam *Homo eſt doctus* perinde eſt atque *Omnis homo eſt doctus*, et *Homo non eſt doctus* perinde eſt atque *Aliquis homo etc.*

Quod ſi Quantitas ſimul et Modus in propoſitione fuerint, praefigenda eſt negatio ei quod inter duo iſta praecedit. V. g. *Omnis homo poſſibiliter eſt in hoc conclavi;* contradic: *Non omnis homo etc.* Sed *Poſſibiliter omnis homo eſt etc.;* contradic: *Non poſſibiliter omnis homo etc.*

Denique Enunciationibus Compoſitis contradicimus praefigendo negationem copulae grammaticali; quae ſi ſit *Et* aut *Vel*, geminamus illam, ponimuſque *Et* initio ſimul et medio, eique primo loco poſitae negationem praefigimus, hoc modo: *Sto et loquor;* contradic: *Non et ſto et loquor.* Si vero copula ſit *Si* aut *Quia*, ſiquidem ponatur primo loco, ſimpliciter negationem ei praefigimus; v. g. *Si cogito, ſum;* contradic: *Non ſi cogito, ſum.* Si vero copula ſit in medio, ipſam cum parte eam ſequente ponimus ante partem priorem; v. g. *Ariſtoteles eſt doctus quia ſaepe ambulavit;* contradic: *Non quia ſaepe amb., A. eſt doctus.*

Proſecutio Proprietatum Conſequentiae.

Cum Contradictio non ſit aliud quam enunciatio falſa, ſequitur jam facile

5a *Proprietas.* Ex Contradictione Conſequentis ſequitur Contrad. Antecedentis, per 3am propr.

6a *Proprietas.* Cum una Enunciatio non infert alteram, Contradictio

hujus non infert Contradictionem iſtius. — Si A non inferat B, C (quae ſit contradictio ipſius B) non inferet D (quae ſit contrad. ipſius A). Si enim C inferret D, etiam inferret B, per 5am propr. C enim eſſet Antecedens et D Conſequens, ergo contrad. hujus (nempe A) inferret contrad. antecedentis (nempe B); cum enim C ſupponatur eſſe contradictio ipſius B, etiam B erit contradictio ipſius C (et idem dic de A et D). Contradictio enim eſt mutua; ſed hoc jam demonſtrandum eſt.

7a *Proprietas.* Contradictio eſt mutua, id eſt, ſi una Enunciatio contradicat alteri, altera viciſſim contradicit priori. — Sint A, B, et A contradicat ipſi B, dico quod B contradicat ipſi A. A enim dicit B eſſe falſum (per defin. Contradictionis), ſed B dicit ſe eſſe verum (per ſuperius demonſtrata); ergo dicit, A eſſe falſum, et ſic eſt contradictio ipſius A (per defin.).

8a *Proprietas.* Conſequens Conſequentis eſt etiam Conſequens Antecedentis. — Sit Antecedens A, Conſequens B, et Conſ. ipſius B ſit C, dico quod etiam ſit Conſequens ipſius A. A enim dicit totum quod dicit B (per defin. Antec.) et B dicit totum quod C; ergo etiam A dicit totum quod dicit C; adeoque A eſt Antecedens ipſius C, C vero Conſequens ipſius A; q. e. d.

9a *Proprietas.* Antecedens Antecedentis etiam eſt Antecedens Conſequentis. — Simili modo demonſtratur.

Ex his facile ſequuntur haec: Quod non eſt Conſequens Antecedentis, non eſt Conſequens Conſequentis. Item: quod non eſt Antec. Conſequentis, non eſt Antecedens Antecedentis (per propr. 5.). Adeoque perfectum eſt 3um Quadratum; 4um autem habuimus reapſe.

Ad pag. 321.

N. 3. Prima conſideratio eſt cum omnes termini diſtribuuntur in argumento, ut hîc: *Nullus homo eſt bos, ergo Nullus bos eſt homo.* In tali argumento nullum poteſt eſſe peccatum contra hanc regulam, cum regula clare ſupponat Non-diſtributum.

Secunda conſideratio eſt cum nullus terminus diſtribuitur in argumento, ut hîc: *Aliquod brutum eſt bipes, ergo Aliquod bipes eſt brutum;* et ſimiliter hîc nullum poteſt eſſe peccatum contra hanc regulam, quandoquidem regula clare ſupponat Diſtributum.

Tertia conſideratio eſt cum in Antecedente aliquid diſtribuitur, in

Confequente vero nihil; et iterum non poteft hîc effe peccatum, quandoquidem regula fupponat Diftributum in Confequente. Hinc in ifto argumento ac fimilibus nullum eft periculum peccati contra hanc regulam: *Homo eft animal, ergo Aliquod animal eft homo.*

Hinc fequitur: Quando in argumento aliquo omnes funt Univerfales Negativae, aut Particulares Affirmativae, aut faltem Confequens eft Part. Affirmativum, nullum effe periculum peccandi contra hanc regulam.

Quarta confideratio cum in Confequente aliquid diftribuitur et nihil in Antecedente; quo cafu oportet adhuc diftinguere, et videre num illud, quod in Conf. diftribuitur, etiam reperiatur in Antecedente. Si enim ibi etiam reperiatur, neceffario peccatur contra regulam; fi vero non reperiatur, non peccabitur, ut hîc: *Petrus eft homo, ergo Petrus non eft bos;* ibi enim in Conf. diftribuitur *Bos*, in Antec. nihil diftribuitur, et tamen non vitiatur regula.

AD PAG. 336.

N. 3. Prima Regula: *Ne tres propofitiones etc.* Syllogifmus eft argumentum formale; requiritur ergo ut in formâ ejus non poffit poni Impudentia. Sed fi fumpferis omnes propofitiones, neceffario fuborietur Impudentia, fumendo duas extremitates convertibiles inter fe, repugnantes cum medio (capiendo v. g. *Hominem* et *Rationale* tamquam extremitates, *Lignum* vero tanquam medium). Hae enim extr. cohaerebunt negative cum medio quomodocunque (id eft, in quacunque figurâ, item five univerfaliter five particulariter procedendo); adeoque exhibebunt duas praemiffas veras, feu Antecedens fyllogifmi verum; Confequens tamen neceffario erit falfum. Cum enim in Confequente tantum reperiantur duae extremitates, atque hae funt convertibiles inter fe, non poterunt cohaerere inter fe negative, adeoque neceffario exhibebunt Confequens falfum, adeoque abfoluta erit Impudentia, Antecedens verum et Confequens falfum.

Secunda Regula: Syllogifmus debet effe Uniformis. Haec regula quodammodo duas complectitur, fc. ne fit Difformis, et ne fit Deformis.

Si enim effet Difformis, neceffario poneretur Impudentia in tribus terminis convertibilibus inter fe (v. g. *Homo*, *Rationale*, et *Rifibile*). Extremitates enim cohaererent cum medio affirmative quomodocunque, eaedem vero non poterunt quadrare in Confequens negativum, cum

ſint etiam convertibiles inter ſe, adeoque in iſtis terminis erit neceſſario Antecedens verum et Conſ. falſum.

Syllogiſmus non poteſt eſſe Deformis; et hoc etiam quodammodo duas regulas involvit, ſc. Non poteſt habere utramque praemiſſam negativam concluſione affirmativâ, et Non poteſt habere alteram praemiſſam aff. alteram negativam concluſione affirmativâ. Quantum ad priorem partem, ſi Syllogiſmus eſſet Deformis cum utrâque praemiſſâ negativâ, neceſſario poneretur Impudentia in tribus terminis omnibus inter ſe repugnantibus (v. g. *Homo*, *Lapis*, *Lignum*). Quantum ad poſteriorem partem, ſi Syll. eſſet Deformis cum unâ tantum praemiſſâ negativâ, poneretur Impudentia capiendo duas extremitates, quarum altera repugnet, altera convertatur cum medio (v. g. extremitates ſint *Bos* et *Homo*, medium vero *Rationale*); adeoque exhibebunt Antecedens Syllogiſmi verum, Conſequens autem neceſſario falſum erit, nam erit affirmativum (utpote Conſ. argumenti Deformis), et recipiet inter ſe duos terminos repugnantes (nam quod repugnat uni convertibilium, etiam repugnat alteri, cum convertibiles quodammodo eidem ſint); qui non poſſunt quadrare in affirmationem veram quomodocunque.

Tertia Regula: Medium debet diſtribui etc. Syllogiſmus eſt vel affirmativus vel negativus. Jam enim demonſtratum eſt, ipſum non poſſe eſſe biformem. In Affirmativo medium diſtribui debet, quia alias ponetur Impudentia in duabus extremitatibus repugnantibus inter ſe et ſubalternantibus medio (v. g. ſint hoc extremitates: *Mus*, *Bos*, et hoc medium: *Beſtia*); hae enim extr. cohaerebunt affirmative cum medio particulariter ſumpto quomodocunque, adeoque exhibebunt praemiſſas affirmativas veras; eaedem in concluſionem affirmativam (quandoquidem inter ſe repugnant) quadrare non poterunt, adeoque exhibebunt concluſionem falſam.

Si vero Syllogiſmus Negativus fuerit, tunc tamen una praemiſſa ejus erit affirmativa (ut demonſtratum pag. 337 n. 5.), adeoque ponetur Impudentia in duabus extremitatibus convertibilibus inter ſe et ſubalternatis medio (v. g. ſint hae extrem.: *Animal*, *Sentiens*, et hoc medium: *Vivens*), nam utravis extremitas cohaerebit affirmative cum medio partic. ſumpto, ſive ex parte ſubjecti ſive ex parte praedicati; altera vero ſeu reſtans extr. cohaerebit negative cum medio

pofito ex parte fubjecti et partic. fumpto (medium enim eo cafu non poterit poni loco praedicati, quia fic diftribueretur, adeoque fuppofitum everteretur). Eaedem extremitates, utpote convertibiles inter fe, quadrare non poterunt in conclufionem negativam, adeoque exhibebunt Antecedens verum et Confequens falfum; q. e. d.

Date Due

ILL (KEU)
32456208
8/24/07
2 of 3

Demco 293-5